R. P. F. IGNATII HIACYNTHI
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, & Collegii Caſanatenſis Theologi, Ord. Prædicatorum,

EPISTOLÆ
AD AMICUM SCRIPTÆ
THEOLOGICO-HISTORICO-POLEMICÆ,

IN QUIBUS

Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Scholæ Thomiſticæ Adverſarios aſſeritur ac vindicatur.

TERTIA, ET ULTIMA CLASSIS.

OPUS

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII.
PONTIF. MAX.

NUNCUPATUM.

VENETIIS, M. DCCXXX.
Apud Joannem Baptiſtam Recurti.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

253-1
Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS
A D
LECTOREM.

NON certè deerunt Adverſarii, erudite Lector ; qui , SS. Doctores *Auguſtinum*, & *Thomam* patronos ſibi perperam adſciſcentes, te, Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ ſtudioſum , totis ſuis viribus adnitentur ſpoliare præclara illa ac pretioſa hæreditate , quam in defenſione doctrinæ de Gratia ſe ipſa efficaci à ſuis Sanctiſſimis Doctoribus *Auguſtino* , & *Thoma* conſtanti ac perpetua Traditione , hæc celeberrima Schola & de Eccleſia bene merita ſe accepiſſe jure optimo gloriatur . Sed illos omnes juratos Scholæ Thomiſticæ Adverſarios contemnere debes, & in ipſos retorquere (mutatis tantùm nominibus) hæc *Tertulliani* verba : *Qui eſtis Vos , quando & undè veniſtis ? Quid in meo agitis non mei ? Quo denique* (Janſeni) *jure Sylvam meam cædis ? Qua licentia* (Queſnelle) *fontes meos tranſvertis ? Qua poteſtate* (Molina) *limites meos commoves ? Quid hìc cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis ? Mea eſt poſſeſſio , olim poſſideo , prior poſſideo : habeo origines firmas ab ipſis Authoribus* (Auguſtino , & Thoma) *quorum fuit res . Ego ſum hæres . Sicut caverunt Teſtamento ſuo , ſicut fidei commiſerunt , ſicut adjuraverunt , ita teneo . Vos exhæredarunt ſemper & abdicaverunt ut extraneos & inimicos* . Ita *Tertullianus* cap. 37. Lib. *De Præſcriptionibus*, juxta illius Operum Editionem , quam adornavit *Joannes Lúdovicus De la Cerda* , Theologus Soc. Jeſu , quæque prodiit Lutetiæ Pariſiorum anno MDCXLI.

Quodlibet itidem convitiorum genus , ſeu omnes calumniarum aculeos, quos aliquis Scholæ Thomiſticæ adverſarius in eam conjicere vellet, æquo & chriſtiano animo tolerare & flocci facere debes, quia his ne tantillum quidem læditur Schola Thomiſtica , ſolidæ petræ innixa , ad quam infringuntur calumnia-

rum aculei, ſufficietque planè, ſi cuilibet calumnianti ac vellicanti doctrinam Scholæ Thomiſticæ, hæc Sancti *Epiphanii* verba opponas: *Hæc cùm ita ſeſe habeant, eoque à nobis modo diſputata ſint* (inquit ille Sanctus) *quid attinet in viliſſimo illo crabrone (quem Zopyrum vocant) profligando, vel acriter occupando ingenio hærere diutius? Suum enim aculeum perdidit. Ferunt enim, moleſtiſſimum illud crabronis genus, (quod Zopyrum appellant) aculeo quodam armatum eſſe, venenato illo quidem, ſed exiguo, quique haud multum doloris incutiat, & ex ſuo nihilominus genere ſit venenatus. At, ſi quis fortè prætereundo, latebras illius nidumque diruat, & baculo vel virga favos demoliatur; furens illicò prorumpit acer ille quidem, ſed imbecillus crabro. Tum vicinum aliquod ſaxum lignumque nactus, ira exæſtuans, eo impetu fertur, ac ſilicem tundit aut lignum, quibus cum noceat nihil, ac ne homini quidem, quantumvis pungat, aliud præter leviſſimum dolorem inferat, ſaxum verò nihil oblædat, aculeum ſibi interim excutit, itaque moritur. Sic ille crabro (levi dolore inflicto) in petram, hoc eſt, veritatem incurrens, & aculeum infigens, enecabitur* (Hæc habet *S. Epiphanius* Lib. I. *adverſus Hæreſes* Tom. 3. Hæreſi 44. juxta interpretationem doctiſſimi *Dionyſii Petavii*, Soc. Jeſu, in ea, quam concinnavit, Operum *S Epiphanii* Editione Græco-latina, publica luce Pariſiis, Anno MDCXXII. donata.

Hanc diſputandi contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ, quam tibi præſcribo, normam, modeſtia & charitate conditam, ſequar ipſe ad amuſſim in iſtis Epiſtolis, in quibus Molinianæ doctrinæ principia, *De Scientia Media*, *De Gratia verſatili*, *& congrua*, *atque De prædeſtinatione ac reprobatione*, impugnandi provinciam ſuſcepi. In his, inquam, meis Epiſtolis non reperies morſus, contumelias, calumnias, cenſuras, ſed potius ab his omnibus (ſicut decet virum Religioſum) in integrum abſtinebo. Tentarunt quidem & nullum non moverunt lapidem duo recentiſſimi Scriptores *Gabriel Daniel*, & *Livinus De Meyer*, medullitus Moliniſtæ, Doctrinam Scholæ noſtrę de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci contumeliarum, calumniarum, & cenſurarum aculeis pungere: Sed abſit, ut ipſe (qui *S. Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici, poſt homines natos modeſtiſſimi, diſcipulus ſum) velim hac in re illos imitari, aut aliqua æmulatione, & ſtudio partium, vel quocumque affectu prępoſtero concitatus, Scholę Molinianę Theologorum doctrinam

im-

Digitized by Google

impugnare & cum illis contentionis funem ducere. Hoc unum dumtaxat, erudite Lector, meum in animum induxi, ſimplici ac modeſto ſtylo confutare omnia, quę ſive ad deprimendam, immò & ad damnandam doctrinam Scholę noſtrę de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, ſive ad aſtruenda ſuę Scholę Molinianę Dogmata de Scientia Media, de Gratia verſatili, & congrua (tanquam ſi eſſent ab Eccleſia approbata) duo iſti Moliniani Scriptores in ſuis lucubrationibus hactenus protulerunt.

In primis, *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* acriter pertendunt, principia doctrinæ Scholę Molinianę de Scientia Media, de Gratia verſatili, & Congrua, eſſe magis conſentanea doctrinę *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ*, & ſolidiora his principiis, quibus nituntur Thomiſtę ad tollendam de medio Scientiam Mediam, & ad negandam Gratię Molinianę verſatilis, & congruę exiſtentiam. Ego in meis Epiſtolis, citra ullam verborum aſperitatem, evincam, principia queis ad ſtabilienda ejuſmodi dogmata utitur Schola Moliniana, eſſe caduca, ruinoſa, & à doctrina *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ* aliena. Dein, commonſtrabo, principia, quę adhibet Schola Thomiſtica, ad ablegandam procul à Deo Scientiam Mediam, & ad exſufflandam Molinianam Gratiam verſatilem, vel congruam, eſſe omnino conſentanea doctrinę *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ*, eaque eſſe longe ſolidiora illis principiis, quibus ſuperſtruitur & incumbit tota Molinianę doctrinę moles,

Præterea, *Livinus de Meyer*, in quatuor Diſſertationibus, quas edidit *De Mente Concilii Tridentini*, audacter aſſerit, Patres Concilii Tridentini ſuo calculo approbaſſe contra *Lutherum*, & *Calvinum*, doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu (quę ipſiſſima eſt *Ludovici Molinæ doctrina*) At ipſe hoc vanum *Livini De Meyer* commentum refello, & oſtendo, tantum abeſſe ut hæc *Molinæ* doctrina fuerit à Patribus Concilii Tridentini approbata, ut potius, ſtatim ac in lucem protruſa eſt, multas in Belgio, in Italia, Gallia, & Hiſpania excitarit tragædias: à celeberrimis Facultatibus Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi, (quibus ſuffragata eſt omnium facile Princeps Academia Pariſienſis) publicis cenſuris damnata ſit; ad Tribunalia Quęſitorum Fidei delata fuerit, immò ad ſupremum Tribunal ſummorum Pontificum CLEMENTIS VIII. & PAULI V. & nunc tandem

dem ſit tantum in Eccleſia tolerata. Quis ergo poterit æquo animo ferre *Livinum de Meyer*, quaſi de tripode pronunciantem, hanc Molinianam doctrinam, quæ à ſuis natalitiis ad noſtram uſque memoriam, tam infauſtam ſortem nacta eſt, quæque nunc tantummodo eſt tolerata ab Eccleſia, fuiſſe in Concilio Tridentino receptam & approbatam? Apage ergo tam inſulſum commentum, tamque doctiſſimis Patribus Tridentinis injurium, quod dum *Livinus de Meyer*, nimio doctrinæ Molinianæ propugnandæ ſtudio abreptus, procudit, è *Carbonaria* (ſicut vulgari fertur Adagio) incidit in *calcariam*.

Denique, *Livinus de Meyer* in ea, quam ſcripturivit, *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis*, ſed potiſſimùm pag. 242. & 243. Cap. I. libr. 3. ejuſdem *Hiſtoriæ à ſe vindicatæ*, & typis an. MDCCXV. editæ, Conſultores, quos ſummi Pontifices CLEMENS VIII. & PAULUS V. ſelegerunt, & celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis* præfecerunt, canino dente mordet, eorum famam injuriis & calumniis proſcindit, authoritatem, quantum poteſt, deprimit, nihilque intentatum relinquit, ut illos tanquam viros contra *Molinæ* doctrinam præjudiciis perperam affectos; Dominicanis, & præſertim Cardinalibus *Alexandrino*, nepoti S. PII V. Pontificis Maximi, & *Bernerio Aſculano*, addictiſſimos, atque in iſtis de Gratia Controverſiis peregrinos & hoſpites, traducat, totique Orbi deridendos exhibeat. Hujus Satyræ *Livini de Meyer* in doctiſſimos *Congregationum de Auxiliis* Conſultores, hìc ſpecimen dabo, ut facile intelligas, juſtam Scholæ Thomiſticæ ſuppetere cauſam frangendi audaciam iſtius Scriptoris, qui, ſub ſpecioſo obtentu defendendæ, ac vindicandę doctrinæ Scholæ ſuæ Molinianæ, non dubitavit os ſuum ponere in Cælum, & inſultare ſanctiſſimis Pontificibus, Eminentiſſimis Cardinalibus, ac doctiſſimis Epiſcopis ac Conſultoribus. Audi igitur *Livini de Meyer* Satyram: *Ante omnia* (inquit) *obnoxios fuiſſe* (Conſultores Congregationum de Auxiliis) *Cardinali Alexandrino* (Ordinis Prædicatorum) *beneficiis ab eo partim ſperatis, partim acceptis, diſerte traditur: Lælius Landus anno* 1607. *renunciatus Neritenſis Epiſcopus, ob medicinam in ſtatu ſeculari exercitam, Theologicis Diſciplinis, maximè qua parte rerum ſubtiliſſimarum ſpeculatrices ſunt, non erat admodum excultus. Propertius Reſta, Conventualis antea Franciſcanus, ad priorum Conſultorum numerum poſtmodum aggregatus, ob Scripta quædam inventa,*

ta , *& ad* CLEMENTEM VIII. *delata* , *dolore contabuit* . *Julius Sanctutius* , *ex eodem Franciſcano Ordine aſſumptus ad Inſulas* , *aſſiduus erat in aula Cardinalis Bernerii Aſculani* , *ex Ordine S. Dominici ad Purpuræ honores promoti* . *Gregorius Nunnius Coronel* , *non ſolum Didaco Alvarezio Dominicano* , *& præcipuo Romæ in Molinam Actori* , *amicitiæ fædere conjunctus erat* , *ſed & natalium ſanguiniſque vinculo propinquus* , *qui dudum priuſquam Liber Molinæ prodiret in lucem* , *ipſi Eboræ in Luſitania Theologiam. docenti* , *doctrinæque ejus ſe adverſarium fuit profeſſus* . *Jacobus Le Boſſu* , *& Ludovicus de Creil* , *Doctores Sorbonici* , *exules è Gallia* , *quia Regi Henrico IV. adverſi* , *alebantur à Franciſco Pegna* , *Auditore & Decano Rotæ* , *homine Hiſpano* , *multum quidem Societati* , *ſed Galliarum Regi* , *totique adeo Nationi* , *furioſius infenſo* . *Eoſque conſtat clientelam Alexandrino Cardinali* (Ordinis Prędicatorum) *notiſſimam fuiſſe profeſſos* , *ſportulam ab eo* , *hoc eſt* , *quotidianum panis & vini more romano dimenſum* , *ſolitos accipere* . *Joannes de Rada multo ante* , *ſe adverſarium Molinæ declaraverat* , *ſcriptu in librum ejus cenſura* , *quam in numerum Conſultorum aſciſceretur* . *De quo proinde certum eſt* , *præoccupato animo in cauſæ cognitionem veniſſe* . *Conſtat præterea*, *nonnullos è Conſultoribus pendentes habuiſſe lites in Tribunali Rotæ*, *cui Pegna præerat*. *Ut diſſimulem Epiſcopum Geruntinenſem ad editionem Libri* de vera & falſa Sapientia , *quem Romæ anno* 1599. *edidit* , *favore Magiſtri Sacri Palatii* , *& Dominicanorum Patrum eguiſſe* . Et , poſt pauca interjecta , ſubdit itidem Livinus De Meyer : *Adde* , *quod nemo iſtorum octo Conſultorum Theologiam tunc docuerit* . *Hinc longa deſuetudo* , *ſtrepitus negotiorum* , *curæ domeſticæ* , *officia aulæ* , *& id genus occupationes remiſſioneſque animorum variæ* , *acrimoniam illam & vim præſentem Theologica meditantis ingenii hebetaverant* . *Ad hæc libris* , *Scriptiſque caruerunt* , *unde lucem notitiamque debitam haurire potuiſſent* , *& quando de Molinæ libro judicarunt* , *ſolas Bannezii* , *& Alvaris accuſationes perlegerant* , *nullis viſis Jeſuitarum Reſponſioaibus* , *præterea* , *ita feſtinare jubebantur* , *ut reſpirandi vix otium haberent* . *Poſtremo* , *ne Molinæ quidem librum* , *de quo judicabant* , *videntur præſentem inſpexiſſe* , *ac ne habuiſſe omnes* , *ſed tantum excerptas* (*opera Bannezii* , *Alvariſque*) *ex eo ſententias* .

Quis , amabò , hanc *Livini de Meyer* in Conſultores Congregationum de Auxiliis Satyram legendo, ſtatim non dicat primo,

eam

Digitized by Google

eam directe petere ſummos Pontifices CLEMENTEM VIII. & PAULUM V. qui ejuſmodi Conſultores, quos tam atro carbone denigrat *Livinus de Meyer*, delegerunt, ſuoque patrocinio, favore, multiſque gratiis dignati ſunt. Secundò, quis itidem non dicat, *Livinum de Meyer*, dum arrodit ac vellicat famam Conſultorum *Congregationum de Auxiliis*, nihilque non molitur, ut eorum, falſis, quas venditat, impoſturis, auctoritatem doctrinamque deprimat, perbelle imitari *Paſchaſium Queſnellum*, ejuſque ſectarios, quos non pudet etiamnum injuriis, probris, conviciis ac contumeliis dilacerare ac infamare Conſultores Congregationum, quas, ad examen centum & unius prædicti *Queſnelli* Propoſitionum, Romæ inſtituit felicis recordationis CLEMENS XI Pontifex Maximus. Certè, nec tali auxilio, nec defenſoribus iſtis eget Eccleſia.

Cave tamen, erudite Lector, ne, dum vides, me impugnandam ſuſcipere novam Molinæ Doctrinam (cui nuperrime *Gabriel Daniel*, & *Livinus De Meyer* non ſolum tentarunt novum conciliare robur, ſed etiam dictitare auſi ſunt, eamdem *Molinæ* Doctrinam in Œcumenico Concilio Tridentino fuiſſe approbatam, tanquam Eccleſiæ Catholicæ Doctrinam, &, verſa vice, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci eſſe ipſiſſimam *Lutheri*, & *Calvini* virulentam doctrinam, in eodem Concilio proſcriptam, ac juſto anathemate fulguritam) cave, inquam, ne, dum vides, me in hos duos Doctrinæ *Molinæ* ultra modum defenſores, & de Schola Thomiſtica peſſime meritos, ſtylum calamumque acuere, falſo tibi perſuadeas, velle me eadem opera quidquam detrahere honori, & æſtimationi, quæ clariſſimæ Societati Jeſu multis nominibus debetur. Certè, ingenue poſſum & palam profiteri, me à teneris annis hanc doctiſſimam Societatem ſincero animo coluiſſe, quamvis, (ut candide itidem dicam) ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere, & Opera Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* De Gratia lectione aſſidua verſare cœpi, fuerim ſemper à nova *Molinæ* doctrina alieniſſimus, ſemperque exiſtimaverim, eam & Sacræ Scripturæ, & Doctrinæ Sanctorum Patrum, præſertim eorum, qui de Gratia Chriſti contra Pelagianos, & Semipelagianos ſcripſerunt, ut *Auguſtini*, *Proſperi*, *Hilarii*, *Fulgentii &c.* neutiquam eſſe conſentaneam. Porrò, poſſe aliquem vero & intimo cordis affectu colere, & venerari Societatem Jeſu,

Digitized by Google

ſu, tametſi ei non probetur *Molinæ* doctrina, pluribus, quæ ſuppetunt, poſſum demonſtrare exemplis. Conſtat enim primò, Theologos è Societate Jeſu primi ſubſellii Cardinalem *Toletum*, *Alphonſum Salmeronem*, *Benedictum Perrerium*, *Henricum*, *Henriquem*, *Joannem Marianam*, *Joannem Philippæum*, *Claudium Typhanium*, *Dionyſium Petavium*, & alios, nihil prius & antiquius habuiſſe honore & ſplendore Societatis Jeſu, quam perdoctis editis Operibus maximè illuſtrarunt: & tamen iſti Theologi undecumque, doctiſſimi, & ſuæ Societatis amantiſſimi, *Ludovicum Molinam*, uti Novatorem, data opera exagitarunt, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis luculenter commonſtravi.

Prætereà, Eminentiſſimus Cardinalis *Baronius* fuit (ſicut ipſemet teſtatur) Societati Jeſu addictiſſimus, & tamen doctiſſimus ille purpuratus (cui magis erat amica veritas) in ea, quam Idibus menſis Martii Anni MDCIII. ſcripſit ad illuſtriſſimum *Petrum de Villars*, Archiepiſcopum Viennenſem in Galliis, diſertiſſimè ait, ſe monuiſſe RR. PP. Societatis Jeſu, ne æſtimationem ſuam in defenſione librorum Molinæ periclitari ſinerent & in diſcrimen adduci. Integram iſtius Eminentiſſimi Cardinalis & Annalium Parentis Epiſtolam hic inſerere haud pigebit, ut inde intelligas, poſſe aliquem erga Societatem Jeſu eſſe optimè affectum atque propenſiſſimum, & tamen juremerito repudiare, explodere, & averſari Scholę Molinianę doctrinam.

Digitized by Google

EPISTOLA
EMINENTISSIMI CARDINALIS
BARONII
AD ILLUSTRISSIMUM
PETRUM DE VILLARS,
Archiepiſcopum Viennenſem in Galliis.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Domine : *ignoſcas ſi tardiùs quàm par eſt, ad Litteras Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ reſcribo, quas ut puras & orthodoxas in omnibus exoſculatus ſum, à quibus abſit ut vel in minimo apice vel puncto diſſentiam. Tantummodò de Libris Molinæ remanet controverſia. Legi eos, ſed non ſine ſtomacho, cum nihil potentius agere præ ſe ferat, quàm S. Auguſtino adverſari (licèt Sanctum nunquam nominet) eumque oſcitantiæ redarguere, ſeque illo in iis diſputationibus vigilantiorem acutioremque jactare. Quis poteſt talia loquentem abſque nauſea tolerare? licèt ut anguis effugiat, & è manibus facilè elabatur; ut, etſi temerarium quis inveniat, haud facilè poſſit hæreſis convincere & ſuggillare. Non hujuſmodi Commentatoribus indiget Eccleſia Dei, quæ puritate, candore, nitore delectari tantummodò conſuevit, ipſa non habens maculam neque rugam. Legi, inquam, eum, & ad quinquaginta & amplius notavi propoſitiones, verba, phraſes, quas vel ſaltem affines eſſe erroribus Pelagianorum, ſive Semipelagianorum (licèt ipſe cautius intra Catholicæ Fidei limites, vel proteſtando ſaltem, ſe contineat) nemo, puto, qui abſque affectu illa perlegerit, negabit omninò. Quid Eccleſia indiget hujus Molinæ libris, ut diſcat quæ à tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis, jam ante tot ſæcula didicit atque docuit? Quòd ad ipſum D. N. Clementem Papam attinet, hoc ipſi in propoſito eſt, hoc in voto, hoc denique in decreto, ut ne latum unguem à veſtigiis Prædeceſſorum recedat, ſed iiſdem inſiſtat quàm firmiſſimè. Scit planè, tot Sanctos Pontifices Innocentium, Sixtum, Cœleſtinum, Hormiſdam, ac denique Felicem, cujus ſunt canones Arau-*

ſicani

ſicani Concilii ; hoc profeſſos ſuis Scriptis eſſe atque teſtatos ; Romanam Eccleſiam , in iis , quæ ſpectant ad Gratiam & Liberum Arbitrium , ſequi ſemper conſueviſſe S. Auguſtinum . Teſtatur equidem id tot verbis Hormiſdas ſuis Litteris , adeò ut alio judicio opus non ſit , cum jam præjudicatum ſit . Laborat nunc in diſcutiendo Molinæ volumine , de quo vel abjiciendo , vel purgando , vel retinendo , adhuc ſub judice lis eſt . Mea ſiquidem ſententia , eo non indiget Eccleſia Catholica , in quo vel ſaltem quædam auditui horridula eſſent corrigenda . Monui Reverendos Patres meos Societatis Jeſu , ne extimationem ſuam in defenſione librorum ejus periclitari ſinant & in diſcrimen adduci . Colo ipſos omnes (Deus ſcit) ut Patres , ut de illis uſurpem: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. *At nolo prolixior eſſe . Vale , Pater amantiſſime atque doctiſſime , lucerna pedibus meis , cum per obſcura contigerit ambulare . De beatis viris , in Sanctorum numerum collocandis , ad aliud tempus ſervat hoc Deus Romæ . Idib. Martii , anno Domini 1603. Veſtræ Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Frater & ſervus .* Hujus Eminentiſſimi Cardinalis *Baronii* Epiſtolæ fidem facit *Petrus Matthæus* in *Hiſtoria ſeptem annorum pacis* , quam gallico idiomate an. 1604 adornavit lib. 7. narratione 4. aitque , ſe eam legiſſe propria manu Cardinalis *Baronii* ſcriptam. Eadem etiam purpurati illius Hiſtorici Epiſtola extat in Mſs. Cardinalis *Ricci* apud noſtrum *Gonetum* in Apologia Thomiſtarum. Quæ cum ita ſint, quid , amabò te , dixiſſet Cardinalis *Baronius* , ſi ipſius ætate prodiiſſent libri , quos nuperrime ediderunt *Gabriel Daniel* , & *Livinus de Meyer* qui eo audaciæ proruperunt , ut aſſererent , Molinæ doctrinam fuiſſe contra *Lutherum* & *Calvinum* à Patribus Concilii Tridentini approbatam , tanquam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam , & ex adverſo Doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci (quæ eſt ipſiſſima SS. *Auguſtini* , & *Thomæ* doctrina) fuiſſe ab eodem Concilio , in his duobus Hæreſiarchis damnatam & anathemate perculſam ? Profecto nullus ipſe dubito , quin Eminentiſſimus ille Cardinalis illico judicaſſet , his & ſimilibus libris non indigere Eccleſiam Dei , & ſimul inclytam Societatem Jeſu (cujus alumnos colebat velut ſuos Patres) monuiſſet , ne extimationem ſuam in defenſione librorum *Gabrielis Danielis* , & *Livini de Meyer* periclitari ſineret & in periculum adduci , cum ejuſmodi libri , ad deturpandam Scholæ Thomiſticæ doctrinam exarati , è mendaciis ac convitiis non

b 2 ali-

aliter ſint contexti, quam cento contexitur ex pannis.

Veſtigiis itaque Eminentiſſimi Cardinalis *Baronii* ipſe inſiſtens, non ægre feret (ut ſpero) præclariſſima Societas Jeſu, quod doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, quam multis calumniis & Cenſuris denigrare moliti ſunt *Gabriel Daniel, & Livinus de Meyer*, in præſentia patrocinium, ut par eſt, ſuſcipiam. Quam in ſpem eo magis erigor, quòd probè ſciam, *S. Ignatium de Loyola* (Societatis Jeſu Inſtitutorem, & meum in Cælis ſingularem patronum) fuiſſe ſemper doctrinæ Thomiſticę addictiſſimum, & jure optimo à Cardinali *De Monte* (dum virtutum ac miraculorum ejus Geſta pro ſolemni ipſius inauguratione, ſeu Faſtis Sanctorum inſcriptione, coram Summo Pontifice Gregorio XV. referret) hoc elogio eſſe coronatum: *Novas* (inquit ille Cardinalis de S. Ignatio) *opiniones nunquam admiſit, & in Theologia Scholaſtica Doctrinam Angelici Doctoris ſecutus eſt*. Addo denique, nec addidiſſe pigebit, me ex officio, quo fungor, Theologi Collegii Caſanatenſis, teneri omnino confutare calumnias, quibus mox à me citati Moliniani Scriptores doctrinam Scholę Thomiſticę onerarunt. Nemo quippe ignorat ſupremam voluntatem Eminentiſſimi, juxta ac doctiſſimi, piiſſimique Cardinalis *Hieronymi Caſanate*, qua Patres Dominicanos, bonorum ſuorum, magnam partem ſcripſit hęredes, eumque pręter inſignem Bibliothecam, quam, plaudente toto Orbe Catholico, in Conventu Minervitano excitavit, inſtituiſſe, & annuis redditibus dotaſſe ac locupletaſſe Collegium ſex ejuſdem Familiæ Dominicanæ, variarum nationum, Theologorum, quibus hanc potiſſimùm provinciam demandavit doctrinam S. *Thomæ Aquinatis* (cujus ipſe fuit poſt hominum memoriam acerrimus aſſertor ac vindex) palam & intrepide propugnandi, eamque ab adverſariorum calumniis vindicandi. Vale, erudite Lector, meas Epiſtolas, abdicatis præjudiciis, &, ſemoto omni partium ſtudio, legere ne graveris, meoſquę qualeſcumque in defenſione doctrinę Scholę Thomiſticę conatus boni conſule. Si enim filium *Crœſi*, à nativitate mutum, paternę defenſionis ardor (ut fertur) vocalem fecit, & impedimentum linguę ita abrupit, ut inclamaret in hoſtes, qui Regi, patri ipſius, violentas manus iniiciebant; numquid, amabò te, quoddam parricidii genus patraſſe viderer, ſi ipſe è vocali mutus fierem, vel ſi (dum in doctrinam Scholę Thomiſticę, cujus

ſum

ſum alumnus, plures adverſarii & ęmuli obtrectatores inſurgunt) ſilentium non abrumperem metu cujuſcumque periculi aut incommodi, quod ex defenſione veritatis, aut innocentię oppreſſę, poſſem in meum caput evocare? *Breviter ex parte reſpondi, & illud cavi, ne in quoquam exiſtimationem læderem Chriſtianam, ſed tantùm ut mendacium confutarem* .... *Optimè novit prudentia tua puerilis eſſe jactantiæ quod olim adoleſcentuli facere conſueverunt, accuſando illuſtres viros, ſuo nomini famam quærere*. Sunt verba *S. Hieronymi* in Epiſtola olim nonageſima prima ad *S. Auguſtinum*, nunc ſexageſima nona, inſerta Tomo IV. recentis Operum *S. Hieronymi* Editionis, quam Pariſiis adornavit doctiſſimus *Joannes Martianai*, Congregationis *S. Mauri* Benedictinus. In hac itaque tertia Epiſtolarum mearum Claſſe efficiam ut triumphet divina Gratia, *cujus vis potentior utique eſt quàm natura, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam poteſtatem*, ſicut appoſitè ait *Tertullianus*, antiquiſſimus & ſecundi Eccleſiæ ſæculi Scriptor, in libro, quem edidit *de Anima*, capite decimo.

AD.

ADDITAMENTUM
AD SECUNDAM CLASSEM
EPISTOLARUM.

IN meis Epiſtolis, quæ in Secunda Claſſe continentur, late, omnique argumentorum genere (ni meus me fallit animus) errores ac libros *Lutheri*, *Calvini*, *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli* circa Gratiam, jure ac merito ab Eccleſia Catholica proſcriptos, confutavi. Aſt, neſcio qua mala alite, vel potius nimia Typographi præfeſtinatione contigerit mihi, ut inter Documenta, quæ ad calcem ejuſdem Secundæ Claſſis mearum Epiſtolarum adtexui, prætermiſerim præcipuum, tibique apprime neceſſarium Documentum, quod jam paratum & præ manibus habebam; quodque adverſus omnes iſtos Novatores in præclariſſima luce ponit infallibilem, qua pollet Eccleſia, authoritatem damnandi Hæreticorum errores, atque virulentos eorum libros. Quocirca, rem tibi gratiſſimam facturum me eſſe duxi, ſi ad frontem hujuſce tertę ac poſtremę Epiſtolarum, mearum Claſſis ejuſmodi infererem Documentum, quod complectitur triginta Axiomata, ſeu Propoſitiones, quę Catholicę Eccleſię eam, quam à Chriſto Domino accepit, authoritatem configendi Hęreticorum errores, illorumque proſcribendi Scripta, aſſerunt ac vindicant; quas ſingulas (ſi fieri poteſt) memorię tuę penitius infigere debes, & ſedulò cavere, ne unquam ex ea excidant. Porrò, iſtud Documentum, quod triginta continet Propoſitiones, excerpſi ex doctiſſimo libro, cui titulus eſt: *Elementa Theologica &c.* quemque Anno MDCCII. Pariſiis in lucem edidit illuſtriſſimus *Carolus du Pleſſis d' Argentrè*, Sacrę Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, & nunc in Galliis Epiſcopus Tutelenſis.

DO-

DOCUMENTUM,

TRIGINTA COMPLECTENS PROPOSITIONES,

Neceſſarium ad habendam notitiam authoritatis, quæ competit Eccleſiæ Romanæ damnandi errores, & Libros Hæreticorum, excerptum ex Articulo Decimo ſexto à pagina 235. uſque ad pag. 242. Libri, cui titulus eſt: Elementa Theologica, *Authore Illuſtriſſimo* Carolo du Pleſſis d' Argentrè, *nunc in Galliis Epiſcopo Tutelenſi.* Pariſiis Anno MDCCII.

PROPOSITIO I.

Eccleſiæ jus non tantum eſt damnandi quaſcumque Hæreſes, ſed earum Autores proſcribendi.

PROPOSITIO II.

Quotieſcumque Eccleſia damnat quoslibet errores una cum eorum Authoribus, toties ab omnibus exigere poteſt Fidelibus, ut errores à ſe ipſa damnatos una cum eorum Authoribus illi ſimiliter & quidem apertè damnent.

PROPOSITIO III.

Non ſolum ab Eccleſia neceſſario pendet ſana doctrina in ſe ſpectata ſimpliciter, ſed ab illius quoque judicio pendent Orthodoxæ locutiones, quibus Myſteria Fidei debent exprimi.

PROPOSITIO IV.

Quemadmodum Eccleſia ab omni prorſus errore immunis eſt cum ſanam doctrinam ab impia & hæretica diſcernit, ſic nulli errori eſt obnoxia, cum unanimi conſenſu judicat de propoſitionibus Orthodoxis, quibus Myſteria Fidei exprimenda ſunt, & loquendi rationes, à divina Traditione abhorrentes, rejicit ac repudiat.

PROPOSITIO V.

De Fidei Myſteriis rectè ſentire non ſatis eſt, niſi de iiſdem Orthodoxe loquamur & ſcribamus, quotieſcumque de iiſdem loquimur aut ſcribimus.

PROPOSITIO VI.

Quocumque modo accipiantur propoſitiones, quæ ad Fidem ſpectant, ſive ſeorſim, id eſt, ſimpliciter & abſolute in ſe ipſis, ſive una cum aliis pluribus, & comparate tum ad antecedentia, tum ad conſequentia; certo atque infallibiliter Eccleſia poteſt germanum earum ſenſum diſcernere, & de eo judicare, utrum ſit Orthodoxus, an Hæreticus.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

Germanus, proprius, & nativus ſenſus propoſitionum cujuſcumque libri ad Fidem pertinentium non pendet ex mero Authoris arbitrio, ſed ex uſitata vocum apud Eccleſiam Catholicoſque Doctores ſignificatione.

PROPOSITIO VIII.

Communis exiſtimatio Eccleſiæ de germano ſenſu Propoſitionum cujuslibet Libri ad Fidem pertinentium, ſive & ſimpliciter in ſe ipſis ſpectentur, ſive comparate ad ea, quæ præcedunt & conſequuntur, per ſe certiſsimum atque infallibile argumentum eſt, germanum, proprium & nativum illarum propoſitionum ſenſum reipſa eum eſse, qui concordi Eccleſiæ ſententia ipſis adſcribitur.

PROPOSITIO IX.

In diſcernenda Sanctorum Patrum germana ſententia de Fidei divinæ Myſteriis, nulli, procul dubio, errori obnoxium eſt Eccleſiæ Catholicæ judicium unanimi conſenſu prolatum.

PROPOSITIO X.

Veterum Patrum mentem ex eorum Scripturis præcipuè compertam habet Eccleſia; atque ideò in diſcernenda eorum ſententia de Fidei Myſteriis, eatenus tantummodò eſt infallibilis, quatenus germanum ſenſum, qui in ipſorum & aliorum libris de Fidei Myſteriis expreſſus eſt, poteſt infallibiliter diſcernere.

PROPOSITIO XI.

Germanum ſenſum propoſitionum cujuſcumque libri ad Fidem pertinentium ut poſſit Eccleſia certò diſcernere, tria tantùm requiruntur. Primum ſcilicet ut Eccleſia doctrinam cum Sacra Scriptura diviniſque Traditionibus conſentientem, à contraria doctrina, ubicumque tandem reperiatur, diſcernere valeat. Alterum, ut Orthodoxas locutiones, quibus Fidei Myſteria ex antiqua Traditione ſunt exprimenda, apprimè noverit. Tertium denique, ut certò diſcernere queat, utrum propoſitiones cujuſcumque libri de quo agatur, cum Orthodoxis locutionibus, quibus Fidei Myſteria ex antiqua Traditione exprimenda ſunt, conſentiant, an ab illis abhorreant. Ad quod quidem præſtandum ſingulari opus non habet revelatione divina, nec alio privilegio, quàm eo, quo Chriſtus ipſi ſemper affuturum peculiari aſsiſtentia promiſit, ut Fidem ad uſque expletionem ſæculorum conſervaret integram atque illibatam.

PROPOSITIO XII.

Quotieſcumque in controverſiam venit, utrum doctrina, in hoc vel illo libro a quolibet Authore tradita, vera ſit, an falſa; Catholica, an hæretica? hujuſmodi quæſtio duplicem ſemper involvit quæſtionem: unam de germano illius ſenſu quem expreſsit Author in ſuo libro, alteram de veritate aut falſitate doctrinæ, quam ex germano illius ſenſu patet ab ipſo fuiſse traditam. Quod ſi omninò conſtat quænam ſit doctrina cujuſpiam Authoris, & id unum controvertitur, utrum ſit vera, an falſa; Catholica, an Hæretica? tum agitur *de*

jure

jure, non *de Facto*: & illa quidem juris quæſtio ad Fidem Catholicam proximè & immediatè pertinet, ſi agatur de doctrina Hæretica, vel ad ejus tantum conſecutiones ſeu conſectaria, ſi agatur de doctrina ſolum erronea, temeraria, aut piarum aurium offenſiva.

PROPOSITIO XIII.

Si quæritur, utrum quilibet Author impiam doctrinam in ſuo libro tradiderit, necne? tum agitur quidem de facto ſingulari, nempe an ille Author erraverit? at illud tamen ſingulare factum neceſſariò conjunctum eſt cum hac quæſtione juris Grammatici ſimul & Theologici, quiſnam, ſcilicet germanus & proprius ſit ſenſus propoſitionum ad Fidei Myſteria pertinentium, quibus in libro ſuo uſus eſt? Nam quærere utrum quiſpiam in libro ſuo hanc, an illam doctrinam impiam tradiderit, idem prorſus eſt ac quærere, quiſnam ſit germanus & proprius ſenſus, quem in libro ſuo reipſa expreſſerit; & utrum ſenſus ille ab Orthodoxa doctrina abhorreat?

PROPOSITIO XIV.

Contingere quidem poteſt, ut propoſitiones aliquot ſimpliciter & abſolute ſpectatæ, impiam doctrinam enuntient, aut certe ipſi faveant; & eædem, ſi ſpectentur comparatè tum ad ea, quæ illas in aliquo libro antecedunt, tum ad ea, quæ ſubſequuntur, nihil à ſana doctrina alienum contineant. At, nullo tamen pacto fieri poteſt, ut propoſitiones, quas tum in ſe ipſis, tum comparatè ad mentem Authoris, prout exprimitur in ipſius libro, Eccleſia damnat, temere fuerint damnatæ.

PROPOSITIO XV.

Etſi hæc quæſtio de facto, an iſte Author in ſuo libro de Fidei Myſteriis diſputante erraverit, nec ne, per ſe proximè non pertineat ad Fidem divinam, à qua poteſt abſolutè ſeparari, ſi Fides in ſe ipſa ſpectetur; per ſe tamen proximè conjuncta eſt non ſolum cum quæſtione juris Grammatici ſimul & Theologici de germano ſenſu propoſitionum illius Libri, ſed etiam cum iure, quod habet Eccleſia, infallibiliter judicandi de germano ſenſu quarumlibet propoſitionum ad Fidei myſteria pertinentium, ubicumque reperiantur; atque adeò per accidens, ut ajunt, connexa eſt cum Fide catholica, quatenus ſcilicet Catholica Fides per Orthodoxas locutiones, antiqua Traditione comprobatas, debet exprimi: quod niſi fieret, mox perverſis locutionibus, ſi tolerarentur, ſenſim Fides deſtrueretur.

PROPOSITIO XVI.

Fieri poteſt, immo nonnumquam contingit, ut quiſpiam Author aliud animo intendat & aliud incautus atque imprudens reipſa exprimat ex propria ocum, quibus utitur, ſignificatione. At, is tamen ſenſus, qui ex propria verborum ſignificatione ab Authore exprimitur, jure ac meritò cenſetur ſenſus ab Authore intentus, ſeu ipſi propoſitus, cum nullum eſt argumentum, quo conſtet, ipſum aliud intendiſſe, & aliud imprudenter expreſſiſſe.

PROPOSITIO XVII.

Cùm Eccleſia damnat aliquas propoſitiones *in ſenſu ab Authore intento*, ut ajunt; ſenſus ille intentus, quem damnat Eccleſia, non eſt ſenſus aliquis in mente

Authoris deliteſcens, qui nullo exteriori ſigno fuerit manifeſtatus. (Nam de occultis Eccleſia non judicat) Sed eſt ſenſus ab Authore intentus, quantum ad propriam verborum, quibus uſus eſt, ſignificationem; ſeu non alius eſt ſenſus ac ille, quem reipſa expreſſit Author.

PROPOSITIO XVIII.

Nemo unquam contendit, Eccleſiæ judicium eſſe infallibile in declarando ſenſu in mente cujuſpiam Authoris deliteſcente, qui nullo exteriori ſigno fuerit manifeſtatus. At Orthodoxi jure ac merito contendunt, Eccleſiæ judicium nulli prorſus errori obnoxium eſſe in declarando germano ſenſu, quem de Sacris Myſteriis expreſſit Author; qui quidem non ex mero Authoris arbitrio pendet, ut ſupra diximus, ſed ex uſitata vocum apud Eccleſiam Catholicoſque Doctores ſignificatione.

PROPOSITIO XIX.

Eccleſia jus habet exigendi profeſsiones Fidei Catholicas ab iis omnibus, quorum Fides ſibi ſuſpecta eſt, ſive ſint Clerici, ſive Laici; & eos adigendi, ut Orthodoxis Fidei formulis ſubſcribant.

PROPOSITIO XX.

Poſtquam Eccleſia ſolemni judicio damnavit impiam aliquam doctrinam tanquam hujus vel illius Authoris, quem Fidei Myſteria minus Orthodoxè elocutum fuiſſe judicat, Eccleſiæ Decreto parere tenentur omnes Fideles, cum ad damnandam impiam Doctrinam, quæ iſti Authori adſcribitur, tum ad damnandos etiam libros, in quibus impiam doctrinam contineri, ex proprio & obvio propoſitionum ſenſu dijudicavit.

PROPOSITIO XXI.

Authorem ab Eccleſia damnatum duplici ratione defendere quiſpiam poteſt, etiamſi ab impia doctrina, quæ illi tribuitur, ipſe abhorreat: Scilicet vel propterea quod exiſtimet in animo fuiſſe illi propoſitum aliud, ab eo quod incautus, atque imprudens non recte elocutus eſt: vel eo quod contendat, impiam doctrinam, quæ ipſi affićta eſt, temere prorſus ei fuiſſe aſsignatam, nec reperiri in libris ejus ab Eccleſia damnatis. Priori quidem ratione defendere nonnumquam licet mentem atque propoſitum quorumdam Authorum, etiamſi eorum Scripta jure ac merito ab Eccleſia damnata eſſe agnoſcantur, cum aliunde veriſimilia ſuppetunt argumenta, quibus non temerè conjiciatur, eos ſibi propoſuiſſe aliud ab ea, quod incauti atque imprudentes non recte expreſſerunt: at poſteriori ratione Authores ab Eccleſia damnatos defendere, deſpecta Eccleſiæ authoritate, nefas eſt. Et quiſquis Scripta cujuslibet Authoris, quæ ab Eccleſia proſcripta ſunt, idcircò defendit, quia impia Dogmata, quæ illis tribuuntur, quæque cum Eccleſia ipſe fortaſsis damnat, non ſibi videntur in illis reperiri, nihilominus certe fautor eſt impiorum Dogmatum, quæ tanquam illius Authoris damnata ſunt. Etenim defendere librum Orthodoxum, idem eſt ac defendere Orthodoxas ſolummodo propoſitiones de fidei Myſteriis in illo reperiri. At, quotieſcumque liber aliquis ab Eccleſia damnatus eſt, conſtat ex infallibili Eccleſiæ judicio, quaſdam minus Orthodoxas locutiones de Fidei Myſteriis ſecundùm germanum ac proprium ſenſum, qui videtur expreſſus, in illo reperiri: Atque adeò, quiſquis, damnata licet impia doctrina, tanquam Orthodoxum defendit librum ab Ec-

clesia

cleſia damnatum, quia ſcilicet in Catholico ſenſu propoſitiones ejuſdem libri damnatas interpretatur, neceſſe eſt ut quaſdam locutiones illius libri de Fidei Myſteriis reipſa minus Orthodoxas in proprio ſenſu, tanquam in proprio ſenſu Orthodoxas ipſe temere defendat, nulla habita ratione judicii ab Eccleſia lati, quo illas minus Orthodoxas eſſe conſtat, & in errorem inducere.

PROPOSITIO XXII.

Impiam aliquam doctrinam tanquam hujus vel illius Authoris cum Eccleſia damnat, duplex eſt præcipuè ipſius propoſitum. Primum quidem, ne impia doctrina, quæ ab illo Authore tradita fuiſſe videtur, Fideles decipiat. Deinde, ne quis abutatur minus Orthodoxis locutionibus ejuſdem Authoris ad errorem ſtabiliendum, Fidemque pervertendam.

PROPOSITIO XXIII.

Eccleſia, poſtquam impia Dogmata cujuſpiam Authoris damnavit, ab iis omnibus quorum Fides ſibi ſuſpecta eſt, ſive ſint Clerici, ſive Laici, exigere poteſt, ut ſuo ipſius judicio à ſe ipſa lato ſubſcribant: nec tantum impiam doctrinam damnent, quæ illi Authori adſcribitur, ſed etiam pro certo habeant, Scripta hujuſce Authoris, quæ ab Eccleſia proſcripta ſunt, jure ac merito fuiſſe damnata, nec fieri poſſe ut ab Eccleſia temere damnata ſint.

PROPOSITIO XXIV.

Eccleſiæ judicio, quo Scripta cujuſpiam Authoris damnantur, tanquam ab Orthodoxa Fide abhorreant, ſubſcribere quiſquis pertinaciter detrectat, eo quod hæc Scripta in catholico ſenſu intelligenda ipſi videantur (Etſi fortaſsis ſincerè damnet impia dogmata, quæ ipſis aſsignantur) nihilominus fautor eſt locutionum minus Orthodoxarum, in quibus impia quædam Dogmata ex infallibili Eccleſiæ judicio revera continentur ſecundum germanum ac proprium ſenſum, qui in iſtis Scriptis videtur expreſſus; atque ideo cum reipſa ſit Hæreſeos fautor (quantumvis per imprudentiam, & non de induſtria) tanquam Hæreſeos fautor ab Eccleſia plectendus eſt.

PROPOSITIO XXV.

Fides, qua creditur, impia quædam Dogmata in Scriptis cujuſpiam Authoris ab Eccleſia proſcriptis reipſa contineri, non eſt Divina Fides; ſiquidem aliquid à Deo proximè revelatum pro objecto non habet: Sed eſt humana Fides quam appellare licet merè Eccleſiaſticam, de certo quodam facto, quod neceſſariam habet connexionem cum infallibili authoritate, qua pollet Eccleſia ad judicandum de germano ſenſu quarumcumque Propoſitionum ad Myſteria Fidei pertinentium, ubicumque tandem reperiuntur: quemadmodum Fides, qua credimus penultimo Sæculo habitum fuiſſe Tridentinum Concilium, quod ſit revera Oecumenicum, non eſt divina Fides, ſed Fides Eccleſiaſtica de quodam recenti facto, quod quidem per ſe proximè neceſſariam habet connexionem cum infallibili authoritate, qua gaudet Eccleſia ad judicandum de Conciliis Oecumenicis, utrum ſcilicet pro Oecumenicis habenda ſint, nec ne, hæc & illa Concilia?

PROPOSITIO XXVI.

Quotieſcumque impia quædam Dogmata tanquam hujus vel illius Authoris ab Eccleſia damnantur, hæc quæſtio facti, utrùm hic vel ille Author in ſuis Scriptis ab Eccleſia damnatis erraverit, nec ne per ſe quidem neceſſariam cum hac quæſtione juris ad Fidem divinam ſpectante, utrum ſcilicet doctrina, quæ illi Authori tributa eſt, ſit Hæretica, connexionem non habet, quaſi ad idem Fidei genus utraque quæſtio pertineat, aut quaſi quæſtio facti de quo agitur, non abſolutè ſeparari neque ſejungi poſsit à quæſtione juris ad Fidem divinam ſpectante (utrum ſcilicet impia doctrina, quæ huic Authori, ab Eccleſia damnato, proſcripta eſt, ſit Hæretica, nec ne?) attamen præter iſtam quæſtionem juris ad Fidem divinam per ſe proximè ſpectantis, quotieſcumque impia Dogmata tanquam in Scriptis hujuſce vel illius Authoris contineantur, damnat Eccleſia, ſemper involvitur altera quæſtio juris Theologici, de auctoritate, qua pollet Eccleſia, cum ad judicandum de Orthodoxis locutionibus, quibus Myſteria Fidei decet exprimi, tum ad diſcernendum germanum ſenſum quarumcumque propoſitionum de Fidei Myſteriis diſſerentium. Hæc eſt quæſtio juris ad conſervanda Fidei Catholicæ Dogmata penitus neceſſaria, cum qua, Facti, de quo mox agebatur, quæſtio ita neceſſariam habet connexionem, ut unum non poſsit ab altero ſeparari.

PROPOSITIO XXVII.

Eccleſiæ conſuetudo atque diſciplina nunquam tulit, ut cum aliqua exceptione ſubſcriberetur quibuſcumque Fidei formulis, quarum ſubſcriptionem à fidelibus exigeret. Quia ſcilicet, quælibet exceptio formulis, ab Eccleſia propoſitis, allata injuriam faceret Eccleſiæ. Nam exceptio hujuſmodi foret argumentum illam Fidei formulam, cujus ſubſcriptio exigeretur, eſſe nimis ambiguam, aut obſcuriorem, aut ex parte tantum veram. Itaque quibuſcumque Fidei formulis ab Eccleſia propoſitis, ſimpliciter & abſolute ſine ulla exceptione ſubſcribere tenentur Fideles, tum quoad quæſtionem juris, tum quoad quæſtionem facti, ſi quid facti involvatur.

PROPOSITIO XXVIII.

Heterodoxa quædam Dogmata tanquam hujus vel illius Authoris, cùm ab Eccleſia damnantur, ſatis per ſe intelligitur, non eadem Fide credi ea Dogmata illi Authori adſcripta eſſe Hæretica, ac ea, qua pro certo habetur impia hæc Dogmata in Scriptis illius Authoris ab Eccleſia proſcriptis reipſa contineri: ſatis inquam, intelligitur, prioris Fidem eſſe divinam, alteram verò non habere pro objecto proximo aliquid à Deo revelatum, atque ideò non eſſe divinam, licèt omnino certa ſit propter neceſſariam connexionem, quam habet cum infallibili Eccleſiæ authoritate, de qua ſatis diximus. Unde patet hanc exceptionem, qua quis uti poſſet, (*Eccleſiæ judicio, quo damnantur impia hæc dogmata tanquàm hujus vel illius authoris ea lege ſubſcribo, ut Fide Divina credere minimè tenear, impia hæc Dogmata in illis Scriptis reperiri, quemadmodum Fide divina credo, impia Dogmata, quæ ipſi aſſignatur, eſſe Hæretica*) patet, inquam, hujuſmodi exceptionem eſſe non modo ſupervacaneam ſed etiam Eccleſiæ probroſam. Quaſi verò ſuſpicari liceat, Eccleſiam id exigere, ut eadem Fide divina utrumque ſimiliter credatur.

PROPOSITIO XXIX.

Cùm ſit Eccleſiæ mens, atque propoſitum in damnanda quadam impia doctrina, tanquàm in Scriptis hujuſce vel illius Authoris contineatur, non tantùm ut ab illa doctrina, quæ illi tribuitur, Fideles abhorreant, ſed etiam ut habeant pro certo, in Scriptis hujuſce Authoris multas Propoſitiones minùs Orthodoxas reperiri, quæ in proprio germanoque & obvio ſenſu doctrinæ damnatæ virus exhibeant, à quibus proinde cavendum eſt, evidenter conſequitur, prædictis formulis, ab Eccleſia quandoque propoſitis, ſine mendacio ſubſcribi non poſſe, niſi quicumque ſubſcribunt, intus aſſentiantur, & pro certo habeant, ſcripta illius Authoris, quæ ab Eccleſia ſunt proſcripta, jure ac merito fuiſſe damnata, nec eſſe ex omni parte Orthodoxa.

PROPOSITIO XXX.

Nihil magis à veritate abhorret, quàm quod Eccleſia cùm exigit, ut quiſque ſubſcriptione ſua damnet impiam aliquam doctrinam tanquàm in Scriptis hujus vel illius Authoris expreſſam, obliget tantummodò ad credendum id quod ad Fidem divinam pertineat, & ad ſervandum ſilentium de eo facto, quod ad Fidem divinam non ita ſpectat (nimirùm, utrùm impia illa doctrina in Scriptis hujuſce Authoris contineatur?) quod ſatis ſuperque patet ex ſuperioribus effatis.

Has triginta illuſtriſſimi Domini *Caroli Dupleſſis d'Argentrè*, Tutelenſis Epiſcopi, Propoſitiones (quas veluti totidem Canones & Regulas Eccleſia, juxtà ſuam, cùm antiquam, tum recentem, in damnandis Hæreticorum libris, praxim, hactenus jugiter obſervavit) ipſe meo calculo lubentiſſimè approbo & adopto, necnon etiam ſolidiſſima argumenta, quibus idem illuſtriſſimus Antiſtes in Appendice, quam ad calcem ſui doctiſſimi Operis, quod inſcribitur: *Elementa Theologica*, attexuit, veritatem prædictarum XXX. Propoſitionum benè multis exemplis, ab Hiſtoria Eccleſiaſtica petitis, confirmat, illuſtrat; aſſerit ac vindicat contra Novatores, qui inficiantur, Eccleſiam eſſe infallibilem in examine & in judicio de doctrina, ſeu de vero, obvio, & germano ſenſu librorum, quos proſcribit, Hæreticorum; audentque pervicaciter aſſerere, Eccleſiam falli poſſe in dirimenda quæſtione alicujus *Facti*, quod cum jure, ſeu cum Dogmate Fidei, connexionem habet. Denique, Author tibi ſum, erudite lector, ut ſemper præ oculis habeas tutiſſimam illam Regulam, quam Clariſſimus *Joannes Morinus*, Congregationis Oratorii Jeſu presbyter, dat in Præfatione doctiſſimi Libri, quem anno MDCLI. Pariſiis edidit, cuique titulus eſt: *Commentarius Hiſtoricus De Diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ*, &c. ubi hæc habet: *Differentiæ Catholicum, & Hæreticum ſubſtantialiter conſtituentes, unumque ab altero ſecernentes, his Propoſitionibus continentur. Iſta Propoſitio: Eccleſia veritatem ſecuta eſt annis ducentis, trecentis, quadringentis, mille ducentis vel quadringentis, poſteà verò erravit, morum iniquitatem, & regiminis perturbationem amplexa eſt, & probavit, Hæreticum conſtituit, ſi pertinaciter defendatur, aut Hæreſis ſuſpectum, ſi verbis vel ſcriptis inſinuetur. Contra, iſta Propoſitio: Eccleſia nullo ſæculo, nullo die errare poteſt aut pravos mores probare, Catholicum demonſtrat. Catholicus enim ille eſt, qui Eccleſiam profitetur non modò non erraſſe, ſed etiam nullo ſæculo errare poſſe; & quamdiu hoc profitetur, errare poteſt, Hæreticus eſſe non poteſt. A Deo enim præceptum nobis eſt, Eccleſiam hodie loquentem audire, non ſolùm alterius ævi. Si hoc ſemel Axioma concutias, omnem excutis de cordibus Chriſtianorum Fidei ſecuritatem; tumq; neceſſariò ſicut parvuli fluctuantes circumferemur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Nulla enim inter ſe ſic ſentientem & Hæreticos quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, quatenùs Hæretici ſunt, differentia prœ-*

Digitized by Google

prorſus eſt . Omnes enim Hæretici , qui fuerunt , ſunt , & erunt , tales ſunt propter non auditam hodiè & nunc Eccleſiam loquentem , & definientem . Nam importunè jactant & oſtentant omnes Hæretici , hic ævi ſecundi , ille tertii , ille quarti , & conſequenter , audituros ſe Eccleſiæ Doctores ; Sed nullus Eccleſiam hodiè loquentem & docentem ſe auditurum ſincerè pollicetur . Omnes Hæretici volunt Eccleſiam audire mutam , non loquentem ; Doctores mortuos , non vivos ; ut quod vivis & non loquentibus judicibus fieri non poteſt , mutis & mortuis illudant .

Hæc addenda eſſe duxi Secundæ Claſſi mearum Epiſtolarum , in quibus non tantum *Michaelis Baii* , *Janſenii* , & *Queſnelli* errores , ab Eccleſia jure optimo proſcriptos , lato calamo confutavi , verùm etiam invictis momentis commonſtravi , doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci , & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem præviſionem meritorum , à virulenta horumce Novatorum doctrina penitus abhorrere . Qua in re , ut obiter dicam , volui gratificari & abundè facere ſatis votis R. P. *Gabrielis Danielis* , inſignis Societatis Jeſu Theologi , qui , ut videre eſt in Epiſtola ſecunda ad noſtrum *Natalem Alexandrum* , ſignificat , ſe vehementer optare , ut aliquis Familiæ Dominicanæ Theologus in *Janſenii* , ejuſque diſcipulorum doctrinam , ſæpiùs ab Eccleſia profligatam , calamum acuat . Sic enim ſcribit laudatus ille Molinianus Scriptor : *Interim* (inquit , alloquendo Dominicanos) *an non è veſtra , & publica etiam re foret , ut identidem exiret à vobis ſcriptum aliquod , idcircò elaboratum , ut homines admonerentur , quæ meus Ordinis totius ſuper ea re , quæ doctrina ſit ! Quàm multi prodierunt ab annis compluribus de Gratia libri , Theſes , diſputationes , inuſtæ & notatæ ſummorum Pontificum , Præſulum , Religionis & Fidei ſtudioſorum , Academiarum cenſuris ! Doctrinam illæ omnes lucubrationes veſtram , tanquàm Clypeum tutiſſimum , telis quibuslibet ac fulminibus Eccleſiæ opponunt . Siletis intereà & ſedetis otioſi . . . . Perſonant aures noſtræ quotidiè vocibus hominum plurimorum è Gallia Belgioque , quorum fides & Religio , ut leviſſimè dicam , ſuſpecta meritò eſt , ſe nihil aliud eſſe quàm Thomiſtas dictitantium , licèt ipſos reverà eſſe janſeniſtas , condemnatis eorumdem ac proſcriptis Operibus , oſtendant qui Chriſtianæ rei præſunt ; cùm iſti novorum dogmatum artifices ita veſtram ſuamque doctrinam ementita induunt ſpecie , ut alteram dignoſcere ab altera perdifficile ſit , unde remedium huic malo , unde huic veneno antidotus æquiori petatur jure , quàm à vobis ? Veſtrum , veſtrum , inquam , eſt , hanc deripere larvam , hanc ſpeciem impiis & fucum , quo multi (ſic enim ſe res habet) in errorem inducuntur , detrahere . . . . . Nunc demùm , quando gliſcit in dies hoſtium veritatis , & bacchatur latius audacia , quando ſpectantibus vobis* (ſeu Dominicanis) *locum ſibi , janſenioque in Schola Divi Thomæ per ſummam confidentiam arrogant , nonne veſter ad tuendam communem Eccleſiæ cauſam accendi jure deberet ardor , atque ita demonſtrare , ſi Ordini veſtro attributa Gratiæ defenſio eſt , idoneos eſſe vos , qui has tueri partes , hoc Divinæ Gratiæ patrimonium contra viros ipſius hoſtes defendere poſſitis .*

Hæc inter legendum *Gabrielis Danielis* verba , candidè fateor , me haud parum extimulatum & accenſum fuiſſe , ut non tantùm larvam detraherem omnibus *Janſenii* diſcipulis , qui , ut faciliùs elabi poſſint è cenſuris , quas ſæpius Eccleſia in quinque hæreticas libri *Janſenii* Propoſitiones tulit , ſeſe , ad fucum faciendum , Thomiſtarum pallio perperam involvunt , ſed etiam , ut veram & antiquam Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci , ad germanam mentem Sanctorum Patrum , præſertim *Auguſtini* & *Thomæ* exactam , vindicarem ab illorum Novatorum erroribus . Id porrò , quod antehac opportunè importunè *Gabriel Daniel* , aliique Moliniſtæ à Dominicanis Theologis palam in libris editis poſtulabant , ipſe , ut eorum votis obſecundarem , divino propitio numine , ſic copioſè , ſtrennè , ac fortaſſe ultra eorum vota , in Secunda Epiſtolarum mearum Claſſe præſtare ſtudui , ut ſperare auſim , fore ut deinceps

in

in vulgi fabulam abeat hæc illiberalis Janſeniſmi nota, quam Scholæ Thomiſticæ doctrinæ de Gratia ſe ipſa efficaci inurere ipſos non pudebat. Cùm igitur *Gabrieli Danieli*, aliiſque Moliniſtis, Familiæ Dominicanæ Theologos ad confutandam *Janſenii* doctrinam provocantibus, jam ipſe fecerim ſatis, & impactam ab ipſis Scholæ Thomiſticæ Janſeniſmi calumniam abundè & pro meis viribus diluerim; nullus in præſentia dubito, quin ipſimet Moliniſtæ, vi veritatis convicti, atque conſtricti, æquis animis patiantur, ut nunc me accingam ad refellenda eorum Scholæ Molinianæ Dogmata, quæ tamen, cùm ſint adhuc tolerata ab Eccleſia, nulla prorſus cenſura afficiam, nec hoſtili animo, aut contentionis, ſimultatiſve ſtudio, impetam, ſed ea ſolius amore veritatis, quam pro aris ac focis tuetur celeberrima, & de Eccleſia optimè merita Angelici Doctoris Schola, impugnare ſatagam, juxtà illud clariſſimi Poetæ Diſtichon:

Diverſum ſentire duos de rebus eiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitia.

NOS FRATER THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Profeſſor, totius ordinis FF. Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus.

TERTIAM EPISTOLARUM THEOLOGICO-HISTORICO-POLEMICARUM CLASSEM, quam nuper ſcripſit, & adornavit *Rever. admodùm Pater Magiſter Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon*, Provinciæ Noſtræ Gallo-provinciæ, & Conventus Arelatenſis Alumnus, Doctor Facultatis Pariſienſis, & Collegii Caſanatenſis Theologus: *In quibus Doctrina de Gratia ſeipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Scholæ Thomiſticæ adverſarios aſſeritur & vindicatur*: Tenore præſentium, Noſtrique authoritate officii Typis mandari permittimus; & concedimus Authori facultatem, dummodò prædictum Opus à duobus Ordinis noſtri Theologiæ Magiſtris, à nobis deſignatis, fuerit cenſorio examine comprobatum, aliiſque ſervatis de jure ſervandis. Datum Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die undecima Februarii 1730.

Fr. Thomas Ripoll, Magiſter Ordinis.

Loco ✠ Sigilli.

Regiſtr fol. 94.

Fr. Joannes Sicard, Magiſter & Socius.

APPROBATIONES.

TErtiam, & ultimam Claſſem Epiſtolarum ab Adm. R. P. Magiſtro Fr. Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, Sac. Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Prædicat. ad Amicum ſcriptarum, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævisionem meritorum contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur, & vindicatur; mandatis Rev. Patris Fr. *Thomæ Ripoll*, ejuſdem Ord. Præd. Generalis Magiſtri, morem gerens, non minori animi delectatione quàm duas præcedentes perlegi: Cùmque in iiſdem Epiſtolis nihil prorſus offenderim quod bonis moribus vel Catholicis Dogmatibus non conſentiat, quinimò illas ſolida doctrina atque omnigena eruditione refertas animadverterim, proptereà digniſſimas cenſeo, ut publici juris fiant ad communem utilitatem, & perennem tanti Viri, Urbi & Orbi notiſſimi, commendationem. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 8. Februarii 1730.

F. Dominicus Ponſi, Ord. Præd. S. Theol. Mag. Exprov. Prov. Rom. Reverendiſſimi P. Gen. Soc. & S. Cong. Indulgent. & Reliquiar. Conſult.

Cum

CUM nihil prius & antiquius genuinis Thomiſtis ſit, quam inconcuſſa, tutiſſimaque Doctoris Angelici *S. Thomæ Aquinatis* Dogmata ſarta tecta conſervare; laudandus ſanè Vir clariſs. R. adm. P. F. Mag. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theol. Ordin. Prædicat.* qui totus eſt in hac *Epiſtolarum tertia Claſſi*, ut ſententias, *de Gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de Prædeſtinatione ante omnem prævisionem meritorum gratuita*, liquidò probet. Juſſu Reverendiſs. P. F. *Thomæ Ripoll*, totius Ord. FFi Prædicatorum Magiſtri Generalis, Opus iſtud avidis oculis, & ſumma animi oblectatione perlegi, nec aliquid offendi, quod (ne latum quidem unguem) vel aberret à Fide, vel Caſtioris Ethices regulis non conveniat: Quinimo, quâ eſt eruditione, vir de re literaria optimè meritus, ſic ſcientiæ ſuæ copiam facit Author, ut obſcura quæque dilucidè pertractet, veritatis cultor ipſam validiſſimis momentis defendat, ac omni luce clarioribus argumentis contrarias opiniones refellat. Prodeat igitur, & pro merito laudem ſortiatur Opus Authore ſuo dignum. Datum Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam VI. Februarii MDCCXXX.

Fr. Antonius Bremond, Ord. FF. Prædicator. S. Theol. Mag. & Bullarii ejuſdem Ordinis Editor.

CLASSEM Tertiam Epiſtolarum Theologico-Hiſtorico-Polemicarum *De Divina Gratia, & Prædeſtinatione &c.* ab Admodùm R. P. *Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon*, Ord. Prædic. Doctore Sorbonico, & Caſanatenſi Theologo, compoſitam atque à Reverendiſs. P. F. *Jo: Benedicto Zuannelli*, Sac: Apoſt: Pal: Magiſtro, meo examini commiſſam, maxima animi oblectatione de more legi; & cùm nec minimum quid, ſeu bonis moribus abſonum, ſeu orthodoxæ fidei adverſum adinvenerim, ſed cuncta optima, & omnia conſona Sancto Thomæ, Doctori Angelico, SS. Patribus, Sac. Apoſtol. Conſtitut ſignanter illi, quæ incipit his verbis: *Pretioſus*, a SS. D. N. BENEDICTO XIII. fel. regn. editæ. nec non Sac. Scripturæ repererim: Idcircò non cenſorio calamo, ſed aureo ſerto indigebat. Aſt, quia per cætera Opera immortali gloria eorum Author jam rutilans coruſcat, ipſum ea propter aliqua laude afficere abſtineo, cum ſit omni laude dignus. Quare ſi Priores Tomos harum Epiſtolarum dignos publica luce judicavi, & hunc publico juri adjudicare debeo. Ita &c. Dabat Romæ in Collegio S. Mariæ de Victoria 11. Febr. 1730.

F. Leo à S. Felice Carm. Excalc. S. Theol. Prælect. ac S. Congreg. Ind. & S. Rit. Conſ.

Digitized by Google

OPERI ſuo *De Divina Gratia*, *& Prædeſtinatione* manum extremam impoſuit Clariſſ. Auctor F. *Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon*, Ord. Præd Facultatis Pariſienſis Doctor, & Theologus Caſanatenſis, in hac Tertia Epiſtolarum Claſſe. Enimverò, hìc primùm longam argumentorum ſeriem, cui ſimilem & alteram in ſuperioribus epiſtolis pro Thomiſtica doctrina inſtituerat, adverſus Moliniſtarum Placita, expedita methodo proponit, & auctoritate urget etiam hiſtorica, atque Theologica ratiocinatione. Obſtruſiſsimæ deinde de Reprobatione præſertim *Negativa*, & Præparatione ſufficientis Gratiæ quæſtiones ita expediuntur, ut in ſententiis ſibi invicem ſuccedentibus magni ingenii ſui acuminis ſignificatio eluceat, nec tamen vel digitum progrediatur ultra ſcholaſticæ libertatis cancellos. Quæ ſanè omnia reddunt Opus de Divinis Auxiliis abſolutiſsimum, ſibi undique cohærens, & ampla eruditione refertum, minimè à Catholica Fide alienum, & morum Regulis maximè conſonum. Unde hujus etiam poſtremæ Claſsis impreſsio in commune Literariæ Reipublicæ bonum procedere poterit, ac debet; ſi ita videbitur Reverendiſsimo P. *Jo: Benedicto Zuannelli*, Sac. Pal. Apoſt. Mag. cujus mandatis, ut obſequerer, eam, qua potui, diligentia perlegi, & hoc judicium ultro tuli. Romæ Nonis Febr. Anni 1730.

Ego D. Fridericus de Judice, Cong. Cœleſtin. Ord. S. Benedict. in Collegio S. Euſebii de Urbe Sac. Theol. Lector.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Riviſione, & Approbazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato F. *Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris Epiſtolæ ad Amicum Scriptæ*, non vi eſser coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza à Gio: Battiſta Recurti Stampatore, che poſsa eſser ſtampato, oſservando gl'ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 28. Maggio 1730.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Rif.
(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Pietro Grimani Kav. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

INDEX

279

INDEX EPISTOLARUM

HISTORICO-THEOLOGICO POLEMICARUM,

Quæ continentur in bac Tertia Claſſe, & in quibus oſtenditur Moliniſtarum Dogmata,

DE Scientia Media, de Gratia congrua, & de Prædeſtinatione ad gloriam poſt prævifionem meritorum, quàm longiſsimè diſtare à vera Sanctorum Auguſtini, & Thomæ Doctrina. Pag. xxix.

ORDO ET MATERIES EPISTOLARUM,

Quæ in hac Tertia Claſſe continentur. xxxv.

EPISTOLA PRIMA,

In qua expenduntur firmiſſima Sanctorum Patrum Auguſtini, & Thomæ Doctrinæ principia, quibus fulti Thomiſtæ Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, de medio tollunt, & à Deo procul eliminant. 1

EPISTOLA SECUNDA

In qua excutiuntur, & exſufflantur principia, quibus Scholæ Molinianæ Theologi Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, vulgò ſtabilire ſolent. 21

EPISTOLA TERTIA,

In qua (juxta Scholæ Thomiſticæ Doctrinam) oſtenditur, Deum, independenter à Scientia Media, certò futura conditionata cognoſcere in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum eu parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, voliti à Deo. 43

EPISTOLA QUARTA,

In qua fit ſatis Argumentis, quibus Moliniſtæ probant adverſus Thomiſtas, Deum certam & infallibilem, independenter à Scientia Media, non habere notitiam futurorum conditionatorum in Decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ideſt, ex parte Dei volentis, & conditionatum ex parte objecti voliti à Deo. 65

EPISTOLA QUINTA,

In qua ſtabiliuntur Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ Principia, quibus profligatur Moliniſtarum Gratia congrua. 86

Digitized by Google

EPISTOLA SEXTA,

In qua referuntur, & eadem opera refelluntur principia, quibus Patres Daniel, & De Meyer, aliique Molinianæ Scholæ Theologi ſententiam de Gratia congrua & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, ſtabilire moliuntur. 105

EPISTOLA SEPTIMA,

In qua Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & independentem à præviſione meritorum, ex indubitatis Thomiſtarum principiis demonſtratur. 131

EPISTOLA OCTAVA,

In qua evincitur, ſententiam Moliniſtarum de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam, dependentem à præviſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, & libero hominum, (quantùm ad efficaciam) ſubditæ arbitrio, comparandis; falſis niti principiis, & caducis fultam eſſe fundamentis. 156

EPISTOLA NONA THEOLOGICO-POLEMICA,

De Reprobatione negativa & poſitiva ſive Angelorum, ſive lapſorum hominum, quam non eſſe Prædeſtinationem ad malum culpæ, ſed ſolùm ejus permiſſionem includere; nec itidem eſſe prædeſtinationem ad pœnam antè culpam, ſed tantùm ſuppoſita ac præviſa culpa; multis argumentis evincitur. 191

EPISTOLA DECIMA ET ULTIMA,

In qua evincitur, Deum omnibus omninò hominibus præparaſſe, & offerre Gratias verè, & proximè ſufficientes, non in ſenſu Moliniſtico, ſed in ſenſu Thomiſtico acceptas; tametſi necdùm inter Theologos conſtet, an Deus ejuſmodi Gratias ſufficientes ſingulis, præſertim obduratis & excæcatis, & Infidelibus, qui dicuntur negativi, *largiatur.* 222

CLAS.

Digitized by Google

CLASSIS TERTIA
EPISTOLARUM
HISTORICO-THEOLOGICO-POLEMICARUM,

IN QUIBUS OSTENDITUR,

MOLINISTARUM
DOGMATA

De Scientia Media, de Gratia congrua, & de Prædeſtinatione ad gloriam poſt prævifionem meritorum,

Quàm longiſſimè diſtare à vera Sanctorum Auguſtini, & Thomæ Doctrina.

SCHOLA Thomiſtica (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis commonſtravi) in negotio Divinæ Gratiæ ab extremis ſemper deflectens, tuta ac ſecura ſic media via incedit, ut nec impingat in errorem *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum de Gratia efficaci *neceſſitante*, & præfocante liberum hominis arbitrium, nec dicat etiam cum Moliniſtis,

divinæ Gratiæ efficaciam humano ſubjici arbitrio ; eamque , in effectu producendo , ab hominis pendere conſenſu ; ſed avitæ Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ retinendæ tenaciſſima Schola Thomiſtica , dum Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus neceſſitatem adſtruit invictis momentis , libertatem hominis incolumem conſervat , eamque ne tantillum quidem lædit . Hos Duces ſequens Schola Thomiſtica , his Fidei columnis fulta , omnia adverſariorum tela facile eludet , eorumque machinationes , artes , dolos , & potentiam nunquam formidabit . His quippe potentior ſemper erit veritas , quæ illam jugiter ſuſtentabit , ſolidabit , tantoque ad ſui defenſionem Scholam Thomiſticam robore donabit , ut pro Gratiæ per ſe efficacis doctrina , tanquam pro aris ac focis , hæc celeberrima Schola contra omnes ejus hoſtes ad ſeram uſque poſteritatem ſit glorioſe pugnatura . Nec enim profecto cadet Schola Thomiſtica, quamdiu perſtabit Sanctorum *Auguſtini* , & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci , & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævifionem meritorum avita doctrina . Stabit autem hæc Sanctorum illorum Patrum doctrina , quamdiu in Eccleſia perſtabunt Fides, pietas ac religio . Sunt etenim Sanctorum *Auguſtini* , & *Thomæ* , Doctoris Angelici , *Dogmata tutiſſima & inconcuſſa* , ſicut ALEXANDER VII Pontifex Maximus, pronuntiavit in Pontificio Diplomate , ad clariſſimam Univerſitatem Lovanienſem directo .

Certè , mirari non ſubit , quod *Gabriel Daniel* , & *Livinus de Meyer* , Societatis Jeſu Profeſſores , Molinianam doctrinam de Scientia Media , exploratrice futurorum conditionatorum , & de Gratia congrua , attemperata locis , circumſtantiis , temporibus , genio , indoli , & temperamento eorum , quibus datur , acriter in libris , quos nuperrime in lucem ediderunt , propugnandam ſuſceperint , & , verſa vice , doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci ita depreſſerint , ac plerumque deformaverint , ut eam verus Thomiſta in illorum libris non agnoſcat . Hoc , inquam , mirari non ſubit ; erant enim ambo illi Scriptores ſolemni Sacramento obſtricti defendere mordicus Scholæ Molinianæ doctrinam , quam periclitantem , & hac illac rimas agentem cùm ægre admodum viderent , novis præſidiis fulcire , eamque labaſcentem vehe-

men-

mentioribus ſtatuminibus firmare moliti ſunt. At, quod *Honoratus Tournely*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, anno MDCCXXV. in ſecundo Tomo ſuarum *Prælectionum Theologicarum*, & in Tractatu *De Gratia* in novam Scholæ Molinianæ doctrinam manibus pedibuſque deſcenderit, & relicta regia via (quam ſemper calcavit celeberrima Facultas Pariſienſis) doctrinæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, tot Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum authoritate roboratæ, nuncium planè remiſerit, iſtud eſt, ut candide fatear, quod valde miror, quodque nunquam meum in animum inducere potuiſſem, niſi oculos meos teſtes advocaſſem, & attento animo ejus Prælectiones Theologicas, quæ purum putumque Moliniſmum ſpirant, & quæ tandem aliquando in manus meas nuperrime inciderunt, lectitaſſem.

Tentat tamen hic Theologus Pariſienſis fucum facere & illudere ſuis Lectoribus, dum Tomo 2. ſuarum *Prælectionum Theologicarum* Art. V. *de variis Scientiæ Dei diviſionibus*, agens data opera *de Scientia Media* p. 109. hæc habet: *Si quæ verò ſit Scholæ controverſia, in qua neceſſe eſt mentem ab omni præjudicata opinione revocare, eamque præmunire adverſus omnes partium diſſidentium clamores ac molitiones, in hac maximè, quam verſamus; quæſtione; in qua nihil prætermiſſum fuit, ut ſuam quiſque ſummo æſtu & ardore vindicaret ſententiam, & oppoſitam publicæ cenſuræ ac invidiæ objiceret, ſibi mutuo inuſta Pelagianiſmi, vel Semipelagianorum, aut Calviniſmi nota. Nos verò, depoſito omnium partium ſtudio, rem in utramque partem verſabimus; utrumque Syſtema oculis ſubjiciemus, quid unumquodque ferat, quid habeat difficile; quid objici, quid reſponderi ex utraque parte ſolitum ſit; paucis ac ſummatim attingemus ...... Cum verò fundamenta unius opinionis ſint objectiones, quibus oppoſita impugnatur, ſimul proponemus & illa momenta, & reſponſiones, quæ altera ex parte adduci ſolent.*

Quis, legendo hæc Tournely verba, non diceret, illum; abdicatis omnibus præjudiciis, çqua lance libraturum tam Thomiſtarum, quàm Moliniſtarum Syſtema de Gratia? illum utriuſque Scholæ Syſtema, ſemoto omnium partium ſtudio, in utramque partem ventilaturum, ut lector omnia momenta & prçſidia ex utraque parte unico velut intuitu inſpiciens, illud

illlud ſeligeret Syſtema , quod videret veritati eſſe magis conſentaneum , & validioribus munitum argumentis ? hanc profecto viam ac methodum tenere debuiſſet *Honoratus Tournely* , ut ſe revera ab omni partium ſtudio demonſtraret alienum . Aſt , huic Theologo , à capite ad talos Moliniano , placuit oppoſitam inire viam . Doctrinæ quippe Molinianæ de Gratia verſatili , & ſubdita libero hominis arbitrio , de Scientia Media , & de Gratia congrua primas partes dat , ejuſdem Molinianæ doctrinæ principiorum ſoliditatem , perſpicuitatem , & facilitatem ubique commendat , extollit , ac prędicat ; reſponſiones , quas Moliniſtę adhibere ſolent Thomiſtarum argumentis , ſunt ei reſponſa & oracula Sibyllina , & Objectiones, quibus Moliniſtę impetunt Thomiſtarum doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, tanta vi pollere putat, ut in his ſolvendis Thomiſtę ſudent ęſtuentque ſatis.

Ex adverſo principia , quibus nititur doctrina Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci , tanquam obſcura caligine involuta , ſalebroſa , & nemini pervia , adductis labiis aſpernatur ; Reſponſiones , quibus Thomiſtę diluunt Moliniſtarum argumenta , velut ſubleſtas , jejunas , ac frigidas exſufflat ; & objectiones , quas Scholę Thomiſticę Theologi in Moliniſtas intorquent , fidenter affirmat , nullum Moliniſtis faceſſere negotium , eoſque mira facilitate ſeſe ab illis expedire ; verbo dicam , nullum lapidem non movet , nihilque intentatum relinquit *Honoratus Tournely* , ut doctrinę Scholę Thomiſticę de Gratia per ſe efficaci principia , Reſponſa , & argumenta contra Moliniſtas , deprimat , elevet , & extenuet , atque hoc pacto Scholę Molinianę , cui ſe addictiſſimum prodit , imaginarium accinat triumphum . Videat ergo , nunc Lector , an *Honoratus Tournely* fidem liberarit , qua in ſuis adornandis Prędectionibus Theologicis ſeſe obſtrinxit , loco mox à me laudato dicens : *Nos , depoſito omni partium ſtudio , rem in utramque partem verſabimus , utrumque Syſtema* (ideſt , Thomiſtarum , & Moliniſtarum) *oculis ſubjiciemus . . . . . . ita fiet ut eorum declinemus vitium , qui , cum unam præ alia opinionem defendendam ſibi ſumunt , oppoſitam ita deprimunt , ac plerumque deformant , vix ut à ſuis defenſoribus agnoſcatur* : judicet , inquam , æquus rerum ęſtimator , num ſibi conſtet ſuiſque promiſſis ſtet , *Honoratus Tour-*

Digitized by Google

Tournely, qui in ſuis Prçlectionibus Theologicis omnem curam, induſtriam, & operam ſuam in hoc potiſſimùm collocavit, ut Lectores ſuos à Syſtemate de Gratia per ſe efficaci, objectis vanis quibuſdam terriculis, monſtris, ac prçſtigüs, penitus deterreret, eoſque vel invitos, & quaſi obtorto collo, pertraheret in Moliniſtarum Syſtema, quod ipſe magno animi çſtu ſe tutari gloriatur.

Quod ad Moliniſtarum caſtra tranſierit *Honoratus Tournely*, eorumque Placita de Gratia verſatili, de Scientia Media, de Gratia congrua, & de Prædeſtinatione ad gloriam, pendente ex prçviſione meritorum, defendenda in ſuis Prçlectionibus Theologicis ſuſceperit, non queror; cum adhuc ſub judice ſit *Ludovici Molinæ* doctrina; & etiamnum ab Eccleſia toleretur; ſed quod hic Theologus, ut Scholç Molinianç Theologis gratificaretur, eorumque capita blandè demulceret, dedita opera Scholç Thomiſticç doctrinç principia, Reſponſa, & Objectiones contra Molinianam doctrinam de Scientia Media, de Gratia congrua, & de Prçdeſtinatione ad gloriam, pendente ex prçviſione meritorum, cautè diſſimularit, infirmarit, labefactarit; hoc eſt, ut candidè fatear, quod concoquere non poſſum, & quod certè non feram, non patiar, non ſinam.

Quapropter, in meis ſequentibus Epiſtolis in id totus incumbam, ut contra *Gabrielem Danielem*, *Livinum De Meyer*, *Honoratum Tournely*, *Franciſcum Mariam Aſſermet*, & contra alios Moliniſtas oſtendam primò, Thomiſticç Scholç doctrinç de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prçdeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem meritorum prçviſionem, fundamenta, ſeu principia eſſe ſolidiſſima, Sanctorum Patrum, prçſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinç omnino conſentanea, quibus ſolvendis omnes quotquot hactenus contra hanc Scholç Thomiſticç inconcuſſam doctrinam vexillum erexerunt, impares fuerunt. Secundò, evincam, omnia Scholç Molinianæ doctrinæ de Gratia congrua, de Scientia Media, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam, pendente è prçviſione meritorum conditionatorum, principia, ac momenta fuiſſe jam pridem à Schola Thomiſtica abundè ſoluta, cribrata, convulſa, ac ſolo penitus çquata. Hoc

pacto

Digitized by Google

pacto (ut ſpero) doctrinam Scholæ Thomiſticæ (qua nihil , ſecundùm Deum , prius & antiquius habeo) in optima luce collocabo , & vindicabo à cavillationibus ejus æmulorum obtrectatorum , qui , hæc præſertim tempeſtate , ficulneis , & millies eliſis argumentis eam oppugnant , & (quod gravius eſt) illam in ſuis libris ita deformant ac decolorant , vix ut à Thomiſtis agnoſci poſſit .

OR.

Digitized by Google

ORDO ET MATERIES EPISTOLARUM,

Quæ in hac Tertia Claſſe continentur.

CUM Scholæ Thomiſticæ Doctrina De Scientia Dei, effectrice rerum omnium cauſa, de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem meritorum prævisionem, ſit à diametro oppoſita doctrinæ de Scientia Media, de Gratia congrua, & de Prædeſtinatione, pendente à prævisione meritorum; nulla clarior ac facilior, mea quidem ſententia, occurrit via, aut expeditior methodus dijudicandi quænam doctrina ſit, citrà ullum errandi periculum, alteri præponenda, quàm conferendo principia unius doctrinæ cum principiis adverſæ doctrinæ, & oſtendendo, principia, quibus nititur doctrina Scholæ Thomiſticæ, eſſe longe ſolidiora, magiſque veritati, antiquitati, & menti Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, conſentanea, quàm ſint principia, quibus ſuperſtruitur Scholæ Molinianæ doctrina.

Hanc igitur tam facilem viam inibo ipſe, eamque expeditam methodum ſectabor in hac tertia Claſſe mearum Epiſtolarum Theologicarum, quę erunt numero decem. In prima, lectoris ob oculos ponam firmiſſima Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* principia, quibus fulti Thomiſtæ Scientiam Mediam de medio tollunt, eamque à Deo penitùs ablegant. In altera, excutiam principia, quæ Scholæ Molinianæ Theologi ſtabilire ſolent ad aſtruendam Scientiam Mediam, quam à Scientia Dei *ſimplicis intelligentiæ*, & à Scientia *viſionis* ex æquo diſtinctam eſſe pertendunt; eademque Moliniſtarum principia benè multis momentis confutabo. In tertia Epiſtola commonſtrabo, Deum certo cognoſcere futura conditionata independenter à Scientia Media. In quarta, faciam ſatis argumentis Moliniſtarum, qui oppugnant Decretum abſolutum ex parte ſubjecti (ſeu Dei) & conditionatum ex parte objecti, in quo Decreto, juxta Thomiſtas, Deus cognoſcit futura conditionata. In quinta Epiſtola proponam Scholæ Thomiſticæ principia, quibus profligatur Gratia Molini-

ſta-

ſtarum *Congrua*. In ſexta referam, & eadem opera refellam principia, queis Scholæ Molinianæ Theologi ſuam Gratiam Congruam aſſerere ac vindicare moliuntur. In ſeptima, Prædeſtinationem electorum ad Gloriam eſſe pure gratuitam, & independentem ab omni meritorum prævifione, ex certis Thomiſtarum principiis probabo. In octava evincam, Moliniſtarum opinionem de Prædeſtinatione ad gloriam dependenter à prævifione meritorum caducis ac ruinoſis niti principiis. Nona Epiſtola erit de Reprobatione poſitiva, quam fieri poſt prævifionem demeritorum contra Hæreſiarcham *Calvinum* demonſtrabo. In poſtrema Epiſtola oſtendam, Deum præparare & offerre omnibus hominibus Gratias verè ſufficientes, non in ſenſu Moliniſtico, ſed in ſenſu Thomiſtico, intellectas, quibus concupiſcentiam vincere, præcepta obſervare, & ſalutem æternam adipiſci poſſint, ita ut in eorum culpa ſit, qui ejuſmodi gratias non recipiunt.

Scio quidem, perdoctos Thomiſtas ad enodandas haſce difficultates immenſa non minus mole, quàm eruditione volumina lucubraſſe, adeo ut prçſtaret potius ſilere, quàm bonas horas perdere in iiſdem quæſtionibus ad novam criſim revocandis. Memini etiam ſapientiſſimè à *Cicerone* dictum, *mandare quemquam litteris ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua Lectorem afficere, hominis eſſe intemperanter abutentis & otio & Litteris*. Verùm, quamvis id probè ſciam, in eam tamen erigor ſpem, fore ut apud çquum Lectorem veniam & excuſationem obtineam. Ea enim eſt, hac prçſertim tempeſtate, in laceſſenda, vel deformanda Scholç noſtrç Thomiſticç doctrina, çmulorum importunitas, ut quamvis eorum objectionibus & cavillis millies repetitis nihil novi occurrat, quod reſpondeam; ignaviç & imperitiç adſcriberetur; quod, pro modeſtia, prudentia, & charitate ſervaretur, ſilentium.

EPI-

EPISTOLA PRIMA

In qua expenduntur firmiſſima Sanctorum Patrum Auguſtini, & Thomæ Doctrinæ principia, quibus fulti Thomiſtæ Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, de medio tollunt, & à Deo procùl eliminant.

GAbriel Daniel in Epiſtola IX. quam ſcripſit ad R. P. *Natalem Alexandrum*, Dominicanum, contendit, Syſtema Jeſuitarum, in quo ponitur Scientia futurorum conditionatorum (ſeu Scientia Media) à nullo Dei Decreto pendens, magis congruere *Sancti Auguſtini* menti & ideæ, quàm Thomiſticum Syſtema, quod Scientiam futurorum conditionatorum Decreto Dei abſoluto alligat, ibidémque concludit Molinianus ille Theologus, *ad Sancti Auguſtini mentem ſententiamque loqui congruentiùs eos, qui dicunt, cognitiones Dei conditionales ab omni Dei Decreto eſſe ſolutas & liberas; ſivè, quod idem eſt, Scientiam Mediam ab Auguſtino (quicquid contrà opponatur) agnitam & uſurpatam fuiſſe.*

Aſt, cum bona P. *Danielis* venia, hìc ex ipſamet ejuſdem Moliniani Theologi ingenua confeſſione probandum ſuſcipio, illum, in ſtabilienda ſcientia futurorum conditionatorum (ſeu Scientia Media) ante Decretum Dei, perperam gloriari patrocinio Aquilini illius Doctoris, quem obtorto collo ad ſuam Molinianam Scholam trahere pertentat. Enim verò, fatetur P. *Daniel* in Epiſtola VI. ad Patrem *Natalem Alexandrum*, Semipelagianos admiſiſſe quidèm in Deo Scientiam futurorum conditionatorum, ſeu Scientiam Mediam, à nullo Dei pendentem Decreto, & in hoc illos non erraſſe; ſed eorum errorem in hoc ſitum fuiſſe, quòd abuterentur ſcientia illa Media, negantes Catholicum Dogma de Prædeſtinatione gratuita ad Gratiam, & aſſerentes, non gratiam, ſed ſolam libertatem & proprium hominis meritum ſecernere prædeſtinatum à non prædeſtinato. Sed præſtat auſcultare P. *Danielem*, loco mox à me laudato de Semipelagianorum errore his verbis diſſerentem: *Semipelagiani, cùm gratuitam prædeſtinationem ad Gratiam impugnabant cognitione divina conditionalium* (ſeu Scientia Media) *pravè utebantur, ut objectas, pro gratuita prædeſtinatione, ab Auguſtino difficultates, à quibus expedire ſe non poterant, diſſolverent. Sic enim, exempli cauſa, illos adoriebatur Auguſtinus: Parvuli duo recens nati ſacram ad ædem à parentibus deferuntur, ut ſalutaribus baptiſmi abluantur aquis: alter illorum priùs mortem obit, quàm à Sacerdote poſſit ablui, alter ſacro fonte tinctus moritur. Hic adoptione divina dignatur & Cælo; ille non dignatur: nihil utrobique meriti eſt, cur alter cæleſti donatur beneficio, alter non donatur . . . . Cùm hoc argumentum Semipelagianis grave negotium faceſſeret, recurrebant illi ad ſcientiam conditionalium* (ſeu ad Scientiam Mediam omni Decreto Dei liberam) *ut cauſam redderent, quare Deus tam diſparem utriuſque parvuli ſortem juberet eſſe. Ajebant* (Semipelagiani) *ideò ſalutares baptiſmi lymphas alteri Deum annuere, quia prævidiſſet, eumdem libertate ſua, ut par eſt, uſurum, cùm rationis compos per ætatem foret: alterum contrà, non rectè pièque illa uſurum. Ita hæc prædeſtinatio, ſive diverſum de ambobus illis parvulis Decretum Dei, ut quidam Semipelagiani cenſebant, nitebatur amborum meritis, non quæ reverà tùm eſſent, ſed quæ olim futura, ſi diutiùs viverent, à Deo præviderentur.*

Sic Auguſtiniani argumenti vim eludebant Semipelagiani, in quorum reſponſo extat error Catholico dogmati de gratuita prædeſtinatione ad gratiam contrarius, in eo videlicèt, quòd libertas hoc pacto hominis prædeſtinatum à non prædeſtinato ſecerneret, cùm tamen diſcrimen illud efficiat unica Dei miſericordia . . . . Itèmque (pergit ibidem P. Daniel) *errabant Semipelagiani, quod contenderent ſine auxilio gratiæ futurum, ut ille V. G parvulus libertate ſua rectè uteretur. Hic eorum alter, inquam, error extitit, quo libertati ſoli eam vim tribuebant, ut gratiam baptiſmatis mereretur.*

Jam verò ab hoc gemino errore mirum quantùm disjuncta Scientiæ Mediæ doctrina eſt. Nam primò, ex Theologorum mente, qui pro Syſtemate hoc ſtant, cùm Deus prævidet fore ut veram Fidem amplecteretur Ethnicus, ſi talem ipſi gratiam largiretur, ſimùl novit opus hoc non ſolius libertatis fore, ſed libertatis, quam adjuvet, quam præveniat gratia. Deindè (quod rei caput eſt, ac diligentèr animadvertendum) tametſi Deus prævideat Ethnicum hunc tali gratia, ſi detur, benè uſurum & convertendum eſſe: tamen, quòd benè illa ſit uſurus, id nullo pacto facit, ut Deus eam illi donare decernat, ſua ſola miſericordia impellitur.

Certè, non is ego ſum, qui in hoc confutando diſcrimine, quod *Gabriel Daniel* aſſignat doctrinam Semipelagianorum inter & doctrinam Moliniſtarum circà uſum & abuſum Scientiæ Mediæ contentionis funem ducere velim, aut Moliniſtas, Scientiæ Mediæ defenſores, Semipelagianiſmi inſimulare. Non ſequar profectò exemplum Patris *Danielis*, qui in ſuis Epiſtolis ad noſtrum *Natalem Alexandrum* doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci illiberalem Janſeniſmi notam inuſſit, ſed potiùs imitabor prudentiam, modeſtiam, & charitatem noſtri *Natalis Alexandri*, qui cap. 3. Art. 8. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quinti ſæculi* differens de Semipelagianis, eorumque erroribus, hæc habet: *Cavendum tamen, ne recentioribus quibuſdam Theologis, qui prædeſtinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum à Deo fieri contendunt, & ſcientiam quamdam Mediam propugnant, Semipelagiani erroris nota inuratur . . . Magnum enim eſt, quantùm ad hoc utrumque dogma, inter Semipelagianos & Theologos illos diſcrimen. Nullam enim verò prædeſtinationem gratuitam Semipelagiani admittebant, nedùm ad gloriam, ſed nec ad gratiam: electionem ſcilicèt ad gloriam meritis operum tribuebant, electionem ad gratiam merito Fidei, de qua dici non poteſt: Quid habes quod non accepiſti? utpotè quæ in eadem natura remanſerit, licèt vitiata, quæ priùs ſana ac perfecta donata ſit, ut refert Hilarius ad S. Auguſtinum ſcribens. Quæ Semipelagianorum ſententia erat hæretica. Theologi verò laudati, prædeſtinationem ad gratiam omninò gratuitam profitentur. Solam electionem ad gloriam intuitu meritorum fieri volunt. Quod mihi quidèm à S. Auguſtini & S. Thomæ doctrina penitùs alienum videtur: non tamen aliqua cenſura notandum. Quòd ſpectat ſcientiam illam, quæ Media nuncupatur, non in hoc fuerunt hæretici Semipelagiani, quòd eam admiſerint ac propugnaverint, ſed quòd ex præſcientia meritorum, vel peccatorum, quæ nuſquàm eſſent futura, Deum hominum ſortes definire aſſererent, & alios prædeſtinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam; idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi Theologi, de quibus agimus, longè ſunt ab iſtius erroris flagitio. Quod enim propugnent Scientiæ Mediæ genus circa merita vel peccata, ſub conditione quæ nuſquàm ponenda ſit futura, non ità verſatur, ut Deus in prædeſtinationis & reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat. Illam quidèm ſententiam ex Auguſtini doctrina non operosè refelli exiſtimo; ipſam ſentio à veritate alienam: ſed quæ tamen ſalva religione in utramque partem impunè ventilari poſſit.* Hactenùs noſter *Natalis Alexander*, cujus modeſtiam in rejicienda Moliniſtarum Scientia Media ſi æmulatus fuiſſet Pater *Gabriel Daniel* in his, quas ad illum ſcripſit & multiplicavit. Epiſtolis, omni procùl dubio, in confutanda doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, intra mode-

deſtiæ cancellos ſeſe, ut par erat. continuiſſet, eique (quod caput eſt) Calviniſmi, & Janſeniſmi notam non affinxiſſet; quod certè ſub pœnis canonicis diſtrictè vetuit Summus Pontifex BENEDICTUS XIII.

Fateor igitur cum noſtro *Natali Alexandro*, Scientiam Mediam, quam admiſerunt hæretici Semipelagiani, nonnullis fuiſſe infuſcatam erroribus, à quibus eam repurgarunt Scholæ Molinianæ Theologi, qui doctrinam de Scientia Media, exploratrice futurorum conditionatorum, etiamnùm ſalva religione in Eccleſia Catholica propugnant. At contendo, indè evidenti conſecutione inferri, *S. Auguſtinum* improbaſſe Scientiam Mediam, qua malè abutebantur Semipelagiani, eumque, in oppugnandis Semipelagianorum erroribus, nunquàm adhibuiſſe Scientiam Mediam juxta uſum, ſenſum & modum quo nunc Moliniſtæ in ſuis Scholis eam defendere ac explicare ſolent. Sic enim argumentor: Si *Sanctus Auguſtinus* notum habuiſſet & reverà probaſſet Scientiæ Mediæ uſum, quo eam Molinianæ Scholæ Theologi, ad conciliandam libertatem noſtram cum divinis Decretis & auxiliis, explanant ac ſtrenuè tutantur, debuiſſet profectò *S. Auguſtinus*, diſputando contra Semipelagianos, & Scientiam Mediam (qua abutebantur illi hæretici) impugnando proponere Semipelagianis, ac defendere Scientiam Mediam, juxtà uſum, & ſenſum, quo eam Molinianæ Scholæ Teologi tuentur, tanquàm omninò neceſſariam ad conciliandam libertatem noſtram cum Decretis & auxiliis divinis: Atqui *S. Auguſtinus*, diſputando contra Semipelagianos, nunquàm ad conciliandam libertatem noſtram cum Decretis & auxiliis divinis, adhibuit Scientiam Mediam juxta uſum, ſenſum & modum, quo eam nunc Scholæ Molinianæ Theologi recipiunt ac defendunt, ergò non tantùm *S. Auguſtinus* damnavit in Semipelagianis Scientiæ Mediæ abuſum, verùm etiam, ad conciliandam libertatem noſtram cum Decretis & auxiliis Divinis, nunquàm adhibuit Scientiam Mediam juxta uſum ſenſum & modum, quo eam nunc Moliniſtæ in ſuis Scholis propugnant.

Major hujuſce argumenti Propoſitio à Moliniſtis negari haud poteſt. Minorem verò ejuſdem argumenti Propoſitionem ultrò fatentur iidem Moliniſtæ, præſertìm P. *Gabriel Daniel*, qui in Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* aſſerit, Syſtema Scientiæ Mediæ (ſicut nunc explicatur & docetur in Schola Moliniana) fuiſſe quidèm notum *Sancto Auguſtino*, fatetur tamen, Aquilinum illum Doctorem, diſputando contra Semipelagianos, non uſum fuiſſe, ad conciliandam libertatem noſtram cum Decretis & auxiliis Divinis, Scientiæ Mediæ Syſtemate, quod recipitur & defenditur in Scholis Moliniſtarum. Quæro nunc ab adverſariis, quorsùm *S. Auguſtinus* (ſi reverà, ut ajunt Moliniſtæ, probavit uſum Scientiæ Mediæ, & cenſuit cum ea convenire Decreta & auxilia Gratiæ à ſe ipſo defenſa) quæro, inquam, ab adverſariis, cùr *S. Auguſtinus* hanc concordiam & convenientiam ſuorum cum Scientia Media Dogmatum nullibì aperuit? cur tacuit? cùm ea ſemel manifeſtatâ, deſitura eſſent tot ſcandala, quibus id ætatis Eccleſia premebatur; ea verò occultata, aut tacita, invaleſcerent ſcandala, & majora timerentur.

Id ſanè de *S. Auguſtino* ità ſentire, ità loqui, perindè eſt, ac illum peragere reum ejuſdem ſceleris, quo Apoſtolus *Paulus* gravat Ethnicos Philoſophos, nempè veritatis per ſummam injuſtitiam detentæ, & omninò neceſſariæ ad componendas Eccleſiæ diſſenſiones. Opponebant Semipelagiani Doctrinæ *Sancti Auguſtini* (referente *S. Proſpero* in Epiſtola ad eumdem S. Doctorem) *removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates, & ſub hoc prædeſtinationis nomine, fatalem neceſſitatem induci; & per operantem & præoperantem gratiam liberum impediri arbitrium*. Dictitabant inſupèr Semipelagiani, *Propoſitum illud vocationis Dei* (quod admittebat *S. Auguſtinus*) *lapſis curam reſurgen-*

di adimere, & ſanctis occaſionem tepo-ris afferre, eò quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque electus ulla negligentia poſſit excidere.

Numquid, amabo, actutùm reſpondere potuiſſet *S. Auguſtinus*, has Semipelagianorum querimonias nullum habere locum in ſuo Syſtemate de Gratia & Prædeſtinatione, utpotè qui exiſtimabat, Deum nihil abſolutè circà ſalutem electorum decernere ac prædeſtinare, niſi anteà per Scientiam Mediam, Dei Decreto priorem, & ab eo independentem, prævidiſſet conditionatum eorum voluntatis conſenſum? hæc Reſponſio, ad conciliandam humanam libertatem cum Decreto prædeſtinationis, non ſolùm facilis erat, obvia, & aperta, ſed etiam neceſſariò à *Sancto Auguſtino* adhibenda, ſi eam veram eſſe autumaſſet, eaque una omnes hæreticorum Semipelagianorum querelas & objectiones profligaſſet, & quam omiſiſſe manifeſta fuiſſet Fidei proditio, & prævaricatio: Atqui tamen ab hac reſponſione adeò longè abſuit *S. Auguſtinus*, ut toto Libro *De Prædeſtinatione Sanctorum*, & Libro *De Dono Perſeverantiæ* demonſtret, nullam Fidem, & nullam perſeverantiam, ſivè abſolutè, ſivè conditionatè futuram; à Deo præſcitam eſſe antè Decretum Dei Efficax ſed ab illo tum exiſtentiam, tum cognitionem certam Fidei, & perſeverantiæ, ut à prima radice, ſumi.

Aut igitur *S. Auguſtinus* reverà cenſuit, Deum nihil ſivè abſolutè, ſivè conditionatè futurum ante ſuum Decretum efficax cognoſcere ac præſcire, aut S. ille Doctor diſcordias Eccleſiæ ſolo litigandi ſtudio fovit, & ſcandalo fuit Catholicis perindè ac hæreticis; quippè qui cùm potuiſſet facili negotio tot malis mederi, & hæreticos Semipelagianos hac una reſponſione ad gremium Eccleſiæ revocare, dicendo nimirùm, Deum per Scientiam Mediam, priorem Decreto Dei abſoluto, & ab eo prorsùs independentem, cognoſcere ac præſcire conditionatè futurum voluntatis electorum conſenſum, antequàm ipſe de eorum æterna ſalute ac prædeſtinatione ſuum formet abſolutum Decretum, ſeque, diſputando contra Semipelagianos, non agere de Gratia efficaci, quæ ſuapte vi determinet voluntatem ad conſenſum, ſed dumtaxàt ſe agere de Gratia Dei, præveniente quidèm, ſed verſatili, indifferenti, omnibus neceſſaria, omnibus promiſcuè data & ſubdita libero hominis arbitrio, à cujus conſenſu redditur efficax, vel inefficax ab ipſius diſſenſu.

Quæro nunc à Moliniſtis, cùr *S. Auguſtinus* tot ſcandala, tot pericula, tot viris gravibus & amicis flagitantibus, non ſemoverit beneficio Scientiæ Mediæ, quam ipſimet judicant eſſe omnium horumce malorum præſentiſſimum remedium. Sic igitur contra Moliniſtas argumentor: *S. Auguſtinus* in his Controverſiis, quas contrà Semipelagianos de Gratia, & Prædeſtinatione habuit, in totum abſtinuit à Scientia Media, nec ea, ad conciliandam cum humana libertate efficaciam Gratiæ, uſus eſt; ergò vel *S. Auguſtinus* ignoravit bonum uſum Scientiæ Mediæ, vel illum improbavit, vel denique hunc bonum uſum Scientiæ Mediæ cognitum quidèm habuit S. ille Doctor, ſed eum, diſputando contra Semipelagianos, adhibere neglexit. Si dicant Moliniſtæ, bonum uſum Scientiæ Mediæ non fuiſſe *S. Auguſtino* notum, aut ab eo eſſe improbatum; profectò nihil ſibi reliqui faciunt commune cum *S. Auguſtino*, ſummo Divinæ Gratiæ Doctore: Si verò reſpondeant Moliniſtæ, notum quidèm fuiſſe *Sancto Auguſtino* bonum uſum Scientiæ Mediæ, ſed ab eo, inter diſputandum contra Semipelagianos, conſultò & data opera abſtinuiſſe; Si id, inquam, reſpondeant Moliniſtæ, debent, velint nolint, fateri, *S. Auguſtinum* hoc ſuo ſilentio plus nocuiſſe Eccleſiæ, quàm tot Scriptis & libris, quos *de Gratia & libero arbitrio* lucubravit, ei profuerit.

Ratio in promptu eſt, quia ſi Decreta Dei, & auxilia Gratiæ, ab *Auguſtino* defenſa, cohæreant cum Scientia Media, ſequitur primò, perperàm Semipe-

mipe-

Digitized by Google

mipelagianos ex hac *S. Auguſtini* doctrina ſcandalum paſſos fuiſſe, quaſi S. ille Doctor libertatem hominis tolleret, & fatalem neceſſitatem induceret. Quis enim, amabo te, unquàm dixit, Decreta Dei, & auxilia Gratiæ, quæ conveniunt cum Scientia Media tollere & extinguere liberum hominis arbitrium? id ſanè Semipelagiani ne quidèm unquàm ſomniarunt. Sequitur ſecundò, iſtud ſcandalum, quod ex doctrina *S. Auguſtini* patiebantur Semipelagiani, nec debuiſſe, nec potuiſſe negligi à *Sancto Auguſtino*, cùm in promptu haberet opportunum remedium, deductis videlicet ad Scientiam Mediam ſuis dogmatibus. Hoc pacto *S. Auguſtinus* (ſi exiſtimaſſet, Scientiam Mediam eſſe neceſſariam ad conciliandam hominis libertatem cum Decretis & auxiliis divinæ Gratiæ) potuiſſet & debuiſſet adhibere Scientiam Mediam ad ſemovenda Semipelagianorum ſcandala, vel ad infringenda argumenta, quæ in ipſum de ſublata hominis libertate intorquebant. Quod ſi *S. Auguſtinus*, diſputando contra Semipelagianos, id potuit, & debuit, nec tamen fecit, ſicut cum Moliniſtis fatetur P. *Daniel* in Epiſtola jam laudata ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, quis, ſodes, S. illum Doctorem à tam gravi noxa abſolvet?

Prætereà, *S. Proſper* in Epiſtola ad *S. Auguſtinum* poſtulat ab eo ſolutionem nodi iſtius quæſtionis, quæ eadem planè eſt ac illa, de qua jampridèm Thomiſtæ ac Moliniſtæ inter ſe acritèr diſputant: *An ſcilicèt ea, quæ ſunt à Deo præſcita, ſint etiam à Deo prædeſtinata; ita ut præſcientia ſit ſubnixa Decreto, vel è contrà Decretum præſcientiæ?* hic erat ſtatus controverſiæ, quæ olìm à Semipelagianis agitata, hodiè à Moliniſtis inſtauratur: volunt enim Moliniſtæ, nullum futurum actum, à libero hominis arbitrio eliciendum, poſſe efficacitèr à Deo decerni, niſi priùs per Scientiam Mediam prævideritt, quod voluntas, ſeu vocata, ſeu præventa, ſub Dei adjutorio, in hac vel illa diſpoſitione ageret, aut non ageret. conſentiret, aut non conſentiret. Thomiſtæ verò docent, omnem actum futurum, ſive abſolutum, ſive conditionatum liberi hominis arbitrii à Deo decerni, Deumque rem omnem futuram videre in ſuo actuali Decreto.

Similiter, *S. Hilarius* in Epiſtola, quam ſcripſit ad *S. Auguſtinum*, refert Maſſilienſes aſſerere, præſcientiam, quam Deus habet, futurorum humanæ voluntatis actuum, præire Decreto Dei efficaci, alioqui, ſi præſcientia Dei ſubſequeretur Decretum Dei efficax, de libertate hominis actum planè ac conclamatum iri. Addit etiam *S. Hilarius*, Maſſilienſes hanc divinam præſcientiam Decreto Dei præviam eſſe, probare ex ipſiuſmet *S. Auguſtini* libro *Sex Quæſtionum adversùs Porphyrium*, quarum uni S. ille Doctor reſpondet: *Voluiſſe Chriſtum apparere & prædicare apud illos, quos & ubi ſciebat eſſe credituros*.

Non eſt dubium, quin *S. Auguſtinus* (ſi reverà admiſiſſet Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum, ſeu conſenſus, vel diſſenſus voluntatis humanæ exploratricem) facili negotio potuiſſet, immò debuiſſet huic Quæſtioni ſibi à Sanctis *Proſpero*, & *Hilario* propoſitæ, reſpondere primò, præſcientiam, qua Deus cognoſcit futura conditionata, ſeu aſſenſum, vel diſſenſum, quem humana voluntas præbitura eſt gratiæ ſibi à Deo oblatæ, non eſſe innixam Decreto Dei efficaci, ſed potius illud antecedere. Secundò, *S. Auguſtinus* reſpondere debuiſſet, hanc Dei gratiam (quam ipſe docebat, humanas prævenire voluntates) nec eſſe ſuaptè natura efficacem, nec eas determinare ad conſenſum, ſed eſſe dumtaxàt Gratiam, prævenientem quidèm, verſatilem tamen, indifferentem, communem omnibus hominibus, eorum permiſſam libero arbitrio, ex cujus conſenſu fiebat efficax, ex ipſius verò diſſenſu reddebatur inefficax: aſſerere autem, aut ſuſpicari velle, ejuſmodi gratiam ſubditam libero hominis arbitrio tollere ejus libertatem, & fatalem neceſſitatem inducere, extremæ fore dementiæ. Sic, inquam, reſpondere de-

buiſſet *Sanctus Auguſtinus*, ſi uſum Scientiæ Mediæ approbaſſet, eamque, ad conciliandam hominis libertatem cum divinæ Gratiæ efficacia & Decreto prædeſtinationis, neceſſariam exiſtimaſſet.

Hac quippe reſponſione omnes Semipelagianorum objectiones profligaſſet, cauſamque Eccleſiæ, & ſuam, ab eorum calumniis vindicaſſet. Porrò, tantùm abeſt, ut *S. Auguſtinus* hanc adhibuerit Reſponſionem, ut potiùs in libris, quos edidit adversùs Semipelagianos, totus in id incumbat ut probet primò, præſcientiam Dei rerum futurarum eſſe innixam Decreto Dei efficaci, nec illud antecedere; ſecundò, Gratiam Dei, quæ prævenit humanas voluntates, non eſſe verſatilem, indifferentem, & libero hominis arbitrio permiſſam, ſed eſſe Gratiam per ſe efficacem, quæ ſuam vim haurit ex divina omnipotentia, efficitque ut voluntas humana liberè ſeſe determinet ad inchoandas & perficiendas operationes ſuas. Hæc duo potiſſimum capita fuiſſe à *S. Auguſtino* invictè contra Semipelagianos defenſata, ſubindeque huic Sancto Doctori nec notum, nec probatum eſſe Scientiæ Mediæ uſum, qualem nunc Scholæ Molinianæ admittunt, evinco multis momentis, quæ mihi videntur meridiano ſole clariora.

Primò quidèm, huic quæſtioni, quam *S. Proſper* in Epiſtola ad *S. Auguſtinum* ei proponit: *utrùm* videlicèt *ea, quæ ſunt à Deo præſcita, ſint etiam à Deo prædeſtinata?* ſeu, *utrùm in Deo præſcientia futurorum ſit prior Dei Decreto?* vel *è diverſò, in Deo præſcientia futurorum innitatur Decreto, ita ut Deus res futuras ſivè abſolutè, ſive conditionatè, in ſuo Decreto cognoſcat?* huic, inquam, quæſtioni reſpondet *Sanctus Auguſtinus*, in Deo, præſcientiam futurorum bonorum operum non eſſe anteriorem & independentem à Decreto Dei, ſed ſubſequi Decretum Dei, eique ità eſſe ſubnixam, ut ea ſola præſciat bona opera futura, quæ ipſe eſt facturus: *Prædeſtinatione* (ideſt, Decreto ſuo) *Deus præſcivit quæ fuerat ipſe facturus*, inquit *S. Auguſtinus* cap. 10. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*. Idem confirmat Aquilinus ille Doctor cap. 17. libri *de Dono Perſeverantiæ*, ubi loquens de futuris bonis operibus, quæ Semipelagiani fatebantur eſſe à Deo præſcita, ſed negabant eſſe à Deo decreta ac prædeſtinata, ſic diſcurrit: *An fortè* (Semipelagiani) *nec ipſa* (futura bona opera) *dicunt prædeſtinata? Ergò nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum neſcivit. Quod ſi & dantur à Deo, & ea ſe daturum eſſe præſcivit, profectò prædeſtinavit.* Rursùs, Aquilinus ille Doctor cap. 10. mox à me laudati libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, hæc habet: *Quandò Deus Abrahæ in ſemine ejus promiſit fidem gentium.... non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines.* Poſtremò, *S. Auguſtinus* cap. 19. libri *de Dono perſeverantiæ*, hanc generalem regulam ſtatuit: *Quid ergò* (inquit) *nos prohibet, quandò apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere?* Ex quibus *S. Auguſtini* teſtimoniis duo conficio argumenta, quæ Scientiam Mediam, non tantùm quoad ejus abuſum, ſed etiam quantùm ad ipſius uſum & ſubſtantiam, planè evertunt.

Primum iſtud eſt: Quæcumque Deus donat & efficit, etiam Decreto ſuo prædefinit ac prædeſtinat: Atqui ex *S. Auguſtino* Deus donat & facit omnia futura opera bona, ſubindèque bonam voluntatis humanæ futuram determinationem, & omnes actiones noſtras quantumcùmque liberas, ergò ex *Sancto Auguſtino* Deus omnia futura bona opera, & omnes actiones noſtras liberas prædefinit ac prædeſtinat, proindèque Deus non præſcit futuras noſtras determinationes & actiones liberas per Scientiam Mediam antecedentèr ad ſuum Decretum. Alterum argumentum ſic inſtauro: ſi admitteretur Scientia Media, ſeu, ſi in Deo eſſet aliqua præſcientia bonorum operum conditionatè futurorum, quæ anterior eſſet Decreto Dei,

& ab

Digitized by Google

& ab eo independens, falſa eſſet illa regula generalis, quam *S. Auguſtinus* ſtatuit, dicens, *nihil nos prohibere, quandò apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere*: Atqui, hanc regulam generalem, quam ſtatuit *S. Auguſtinus*, ſi quis falſam eſſe aſſerere audeat, is certè maximam huic ſummo divinæ Gratiæ Doctori irrogabit injuriam.

Secundò, *S. Hilarius* in Epiſtola, quam ſcripſit ad *S. Auguſtinum*, monuit S. illum Doctorem, quòd Semipelagiani Divinam præſcientiam Decreto Dei præviam eſſe probarent ex ipſiuſmet verbis, quæ leguntur in ejus libro *De ſex quæſtionibus Paganorum* (ſeu in Epiſtola centeſima ſecunda, quæſtione ſecunda) ubi *S. Auguſtinus* ait, *tunc voluiſſe apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri*. Profectò, hic erat opportunus locus, in quo *S. Auguſtinus* mentem ſuam explanare debebat, & apertè declarare, ſe quidèm Scientiam Mediam futurorum conditionatorum exploratricem, reprobare quantùm ad abuſum & modum illum erroneum, quo ab Hæreticis Semipelagianis admittebatur, ſed tamen hanc futurorum conditionatorum Scientiam Mediam admittere, quantùm ad ejus ſubſtantiam, & bonum uſum: Atquì tamen *S. Auguſtinus* diſertè ibi docet, non aliundè quàm ex Decreto efficaci, & ex prædeſtinatione Dei petendam eſſe cauſam, cur Chriſtus aliquibus voluerit annuntiari Evangelium, aliis verò annuntiari noluerit, non autem ex eò quòd præviderit illos, non alios, eſſe credituros. Sic enim habet S. ille Doctor: *Cernitis, me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui & quandò, & quibus in locis in eum fuerant credituri? Sed, utrùm prædicato ſibi Chriſto, à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an à Deo donante ſumturi? id eſt, utrùm tantummodò eos præſcierit, an etiàm prædeſtinaverit Deus? quærere atque diſſerere tunc neceſſarium non putavi..... Poteſt etiàm dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerunt ab ipſo ante Mundi conſtitutionem*. Idem *S. Auguſtinus* cap. 9. libri *de Dono perſeverantiæ* docet. Ibi quippè loquendo de converſione Tyriorum & Sidoniorum, quæ erat tantùm conditionatè futura, ait: *In eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere ſine quarum cauſarum latentium præjudicio tunc* (ſeu in libro *De ſex quæſtionibus Paganorum*) *iſta reſpondere me dixi*.

Ex quibus *Sancti Auguſtini* teſtimoniis ſic argumentor: Futura, de quibus loquitur *S. Auguſtinus* laudatis teſtimoniis, ſunt tantùm conditionata (loquitur enim de converſione Tyriorum, & Sydoniorum, quæ fuit tantùm conditionatè futura, & de illo futuro, de quo fuerat interrogatus à *S. Hilario*, quod erat conditionatum, quale ipſemet *Auguſtinus* docuerat in libro *De ſex quæſtionibus Paganorum*) Atquì *S. Auguſtinus* affirmat, illa futura conditionata eſſe Decreto Dei efficaci prædefinita, & idcircò à Deo præſcita, ergò *S. Auguſtinus* reverà cenſet, futurorum etiam conditionatorum in Deo præſcientiam non eſſe anteriorem Decreto Dei efficaci, ſubindèque S. ille Doctor Scientiam Mediam, quæ eſt anterior efficaci Dei Decreto, & ab illo independens, evertit planè, non ſolùm quoad abuſum & modum illum hæreticum, quo eam adſtruebant Semipelagiani, verùm etiam quoad illius ſubſtantiam & modum, quo eam Scholæ Molinianæ Theologi admittunt.

Tertiò, docet *S. Auguſtinus*, res liberè futuras non ideò ſciri à Deo, quia futuræ ſunt, ſed potiùs res liberas ideò eſſe futuras, *quia* cognoſcuntur a Deo per Scientiam, quæ habet adjunctum efficax divinæ voluntatis Decretum,

ita ut hæc particula, *quia*, inferat cauſalitatem futuritionis rerum. *Voluntates noſtræ tantùm valent, quantùm eas valere voluit atque præſcivit*, inquit Aquilinus ille Doctor Lib. V. *De Civitate Dei* cap. 9. Et clariùs lib. 13. *Confeſſionum* cap. ultimo, ait: *Iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt. Tu autem quia vides ea, ſunt*, denique Lib. XV. *De Trinitate* cap. 13. *Univerſas*, inquit, *Creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideò novit* (Deus) *ſed ideò ſunt, quia novit. Non enim neſcivit quæ fuerat creaturus. Quia ergò ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit, nec aliter ſcivit creata, quàm creanda.* Ex quibus *S. Auguſtini* verbis ſic arguo: Si *S. Auguſtinus* admiſiſſet in Deo Scientiam Mediam quantùm ad uſum & modum, quo eam in ſuis Scholis Moliniſtæ propugnant, non potuiſſet Sanctus ille Doctor aſſerere, Scientiam Dei eſſe cauſam non ſolùm dirigentem, ſed etiam efficientem rerum futurarum: nec affirmare itidèm potuiſſet *S. Auguſtinus*, non ideò Deum cognoſcere res futuras, quia futuræ ſunt, ſed, verſa vice, res ideò eſſe futuras, quia Deus eas novit; hæc, inquam, *S. Auguſtinus* (ſi in Deo admiſiſſet Scientiam Mediam quantùm ad uſum & modum, quo eam Scholæ Molinianæ Theologi defendunt) nullo pacto docere potuiſſet, quia Scholæ Molinianæ Theologi, acerrimi Scientiæ Mediæ defenſores, licèt fateantur ultrò, Scientiam Mediam dirigere Deum in ſuis Decretis efficacibus & abſolutis, negant attamen, Scientiam Dei eſſe cauſam efficientem rerum conditionatè futurarum; negant Deum cognoſcere res liberas conditionatè futuras in ſua eſſentia tanquam cauſa, & in medio præcognito; negant denique, res liberas ideò eſſe conditionatè futuras, quia Deus eas noſcit, ſed dicunt, Deum ideò ſcire ac cognoſcere res liberas conditionatè futuras, quia reverà futuræ ſunt independentèr ab ejus efficaci & abſoluto Decreto.

Cùm igitur hæc Scholæ Molinianæ Theologorum, Scientiæ Mediæ defenſorum, principia ſint omninò oppoſita iis, quæ mox retuli, *S. Auguſtini* principiis de Scientiæ Dei cauſalitate rerum futurarum, & de cognitione rerum futurarum, quam habet Deus in ſua eſſentia, tanquàm in cauſa efficiente, per ſuum efficax Decretum, omnium futurorum bonorum operum; maniſeſtò ſequitur, ſcientiam illam Mediam (qualem nunc in ſuis Scholis tuentur Moliniani illi Theologi) vel rejectam, & improbatam fuiſſe à *S. Auguſtino*, vel illam ſaltèm huic Sancto Doctori fuiſſe prorsùs ignotam, ſive (ut candidè fatetur *Ludovicus Molina*) Scientiam Mediam *nec datam, nec explanatam fuiſſe Sancto Auguſtino*.

Quartò, *S. Auguſtinus* divinæ Gratiæ vim, & internam efficaciam repetit ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo, quod in omnes creaturas liberas obtinet, dominio: *ſubventum eſt* (inquit S. ille Doctor) *infirmitati humanæ, ut divina gratia indeclinabilitèr & inſuperabilitèr ageretur*. Et lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 8. *Hæc itaque Gratia* (ait) *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*. Demùm, lib. De correptione & Gratia cap. 14. ſic loquitur Aquilinus ille Doctor: *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium, ſic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*.

Ex quibus verbis luculentiſſimè patet, *S. Auguſtinum* docuiſſe Gratiam non ex præviſo per Scientiam Mediam conſenſu voluntatis creatæ, ſed ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo Dei in omnes creaturas dominio ſuam internam vim & efficaciam haurire: Atqui, Moliniſtæ, Scientiæ Mediæ Defenſores, Gratiæ efficaciam repetunt non ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo dominio, quod Deus habet in corda hominum, ſed ex præviſo ac explorato per Scientiam Mediam humanæ voluntatis conſenſu, ergò *S. Auguſtinus* vel penitus exploſit ac repudiavit Scientiam Mediam

diam

Digitized by Google

diam etiam quantùm ad uſum & modum, ad quem illam revocarunt Scholæ Molinianæ Theologi, vel ejuſdem Scientiæ Mediæ quoad uſum & modum quo eam non uſurpant Moliniſtæ, perſpectam notitiam non habuit.

Reſpondent Scientiæ Mediæ Aſſertores, tantùm abeſſe ut Scientia Media (intellecta juxta uſum & modum, quo in Schola Moliniana uſurpatur ac defenditur) deroget omnipotentiæ Dei, eique quidquam detrahat, vel ei ſupremum, quod habet in omnes voluntates creatas, dominium adimat, ut potiùs divinam omnipotentiam maximè commendet, & ſupremum Dei dominium in omnes creaturas liberas invictè adſtruat: *Quid eſt enim* (ſunt ipſiſſima verba P. *Gabrielis Danielis*, in Epiſtola ſeptima ad noſtrum Natalem Alexandrum) *Deum potentem eſſe, ac Dominum animorum, niſi poſſe illos flectere ac ducere quò velit? niſi habere in manibus rationes certiſſimas ac modos, quibus compos voti fiat, & quibus ineſſe vim efficaciſſimam ac falli neſciam intelligit? idcirconè imminui robur illius potentiſſimæ voluntatis arbitramur, quia prælucent illi cognitiones clariſſimæ, quibus carere ipſius ſapientia non poteſt? .... Atqui in hoc de Scientia Media Syſtemate, de quo nunc loquor, vis hæc efficaciſſima, certiſſimaque omninò reperitur. Certa eſt, erroris penitùs expers Dei cognitio: igitur Decretum Dei iſta cognitione nixum, certum paritèr, & ab omni errandi periculo disjunctiſſimum eſt. Certiſſimè compertiſſimum Deus habet, fore ut iſta Gratia* (quam Deus beneficio Scientiæ Mediæ prævidit fore congruam) *improbum traducat ad bonam frugem: igitur Decretum, quo illum ipſa Gratia* (ſeu congrua) *ſtatuit ad bonam frugem convertere, perquàm eſt certum, efficax, & ab omni expectationem divinam fruſtrandi periculo remotum. Igitur ope ac beneficio Scientiæ Mediæ ſummum, liberrimum, & numeris omnibus abſolutum in creatas mentes dominium obtinet ..... Sed miram habet hæc* (de Scientia Media) *cum Auguſtinianæ doctrinæ principiis conſenſionem.*

Verùm, hanc *Gabrielis Danielis* Reſponſionem futilem eſſe, & ex ea clariſſimis conſecutionibus deduci poſſe, Syſtema de Scientia Media (ſicut nunc docetur in Schola Moliniana) derogare omnipotentiæ Dei, eique ſupremum adimere dominium, quod in mentes creatas obtinet, ſubindeque illud Syſtema ab Auguſtinianæ doctrinæ principiis longè latèque diſcrepare, invictis (ni meus me fallit animus) argumentis oſtendam, poſtquam duplicem præmiſero obſervationem omninò neceſſariam, ut intelligas verum ſenſum, in quo *P. Daniel*, aliique Scholæ Molinianæ Theologi hanc Gratiam admittunt, quam appellant *Congruam*.

Obſervare itaque debes primò, hanc Gratiam, quam *Pater Daniel*, aliique Moliniſtæ, admittunt, non ideò appellari ab eis *congruam*, quòd humanæ voluntati, in quibuſdam loci, & temporis circumſtantiis, vel in certa rerum conditione ſpectatæ ita ſit attemperata, ut creatam voluntatem, in hac rerum conditione poſitam infallibilitèr inclinet ad agendum, ſed hanc Gratiam à Moliniſtis ideò appellari *congruam*, quòd futuro voluntatis humanæ conſenſui, & determinationi ſit attemperata, ſive, ut planiùs loquar, qua poſita Gratia, futurum eſt, ut creata voluntas in tali temporis, vel loci conditione conſtituta, ſe ipſam velit proprio nutu ad benè agendum inflectere, & determinare, ita ut ſi duo fuerint homines eadem Gratia verſatili & indifferenti inſtructi, eodem cupiditatis gradu affecti, in iiſdem loci & temporis circumſtantiis poſiti, alter ſemetipſum determinaturus ſit ad benè agendum data ejuſmodi Gratia; alter eadem poſità Gratia ſeſe non determinaturus ſit; atque adeò eadem Gratia verſatilis & indifferens, evadet Gratia *congrua* in illo, qui ſeſe determinabit ad benè agendum, fiet verò eadem Gratia *incongrua* in iſto, qui ſe determinabit ad malè operandum. Quò fit, ut faciliè intelligere poſſis, juxta Moliniſtarum doctrinam, non penès Deum, ſed penès liberum hominis arbitrium eſſe,

quòd

quòd Gratia fiat *congrua*, aut *non congrua*, effectu ſuo donetur, aut eo careat.

Non Inficior quidèm, Deum (juxta Syſtema Moliniſtarum de Scientia Media, & de Gratia congrua) certò per Scientiam Mediam prævidere, nùm Gratia ſua verſatilis & indifferens ſit ſuum effectum ſortitura, ac proindè congrua ſit evaſura, an non? quia ex prædicto illorum Syſtemate, novit Deus, utrùm voluntas creata in his vel illis circumſtantiis, locis, & temporibus Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, ad bonum pro ſuo nutu & arbitrio determinatura ſit, nec ne; ita ut tamen ſtet penès ipſum Deum dare Gratiam in his circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus humanam voluntatem non conſenſuram, ac ſubindè Gratiam incongruam fore præſcivit, aut talem Gratiam in his circumſtantiis, locis & temporibus, ei dare, in quibus creatam voluntatem pro ſuo arbitrio conſenſuram Gratiæ verſatili & indifferenti prævidit, ſubindèque eamdem Gratiam fore congruam prænovit. Igitur (juxta Moliniſtarum Syſtema de Scientia Media & de Gratia congrua) pendet quidèm a ſola Dei voluntate dare Gratiam congruam, aut non dare, hoc eſt, pendet à ſola Dei voluntate collocare hominem in his circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus prævidit, hominem Gratiæ verſatili conſenſurum, ſicque per conſenſum ſuum Gratiam illam redditurum efficacem ac congruam; vel, ſi velit Deus, eumdem hominem conſtituere in aliis circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus prænovit illum non conſenſurum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſubindèque per ſuum diſſenſum illam redditurum incongruam; hoc, inquam, juxtà Moliniſtarum Syſtema, è ſola Dei voluntate pendet. Aſt, quòd Gratia verſatilis & indifferens evadat efficax & congrua, vel inefficax & incongrua, hoc omninò pendet, in Syſtemate Moliniſtarum, ab humana voluntate, quæ dum pro ſua congenita libertate ſeſe determinat, & Gratiæ verſatili & indifferenti conſentit, eam reddit efficacem & congruam; dùm verò ei reluctatur, illam reddit inefficacem & incongruam. Hanc obſervationem menti tuæ altè infigere debes, ut vim argumentorum, quæ mox proponam, intimiùs penetrare poſſis.

Huic obſervationi aliam addo, quæ huic Patris *Danielis* & aliorum Moliniſtarum Congruiſtarum reſponſioni confutandæ perindè neceſſaria eſt. Advertere quippè debes, nullo pacto confundi debere (ſicut jam faſſus ſum) Syſtema Moliniſtarum, qui ad initium Fidei & bonorum operum gratiam interiorem neceſſariam eſſe confitentur, cum erroribus Pelagianorum, vel Semipelagianorum, qui exteriora tantummodo auxilia ſive pro operibus bonis, ſivè pro Fidei & bonorum operum initio admittebant, rejecta omni Gratia interiori. Hoc unum dumtaxat contendo, ex ſententia Moliniſtarum, qui ad initium Fidei & bonorum operum aſſerunt neceſſariam dumtaxàt eſſe Gratiam verſatilem, & indifferentem, quæ redditur efficax & congrua per conſenſum liberum voluntatis humanæ, manifeſtò ſequi, Deum non eſſe omnipotentem, nec operari in nobis bonam voluntatis noſtræ determinationem, ſubindèque hominem de bona ſua determinatione, gloriari poſſe, nec pro ea Deo gratias agere, nec eam ab ipſo petere, nec ſpem ſuam in ſolo Deo collocare debere, ſed potiùs in ſe ipſo gloriari poſſe, quòd bona ſua determinatio, ſeu bonus uſus Gratiæ, à ſe ipſo & non à Gratia proficiſcatur. His duabus præmiſſis obſervationibus, ſic argumentum propono.

Gratia *congrua*, quam Scholæ Molinianæ Theologi admittunt, nihil aliud eſt (ſicut conſtat ex prima, jam à me præmiſſa, obſervatione) quàm ipſiſſima Gratia verſatilis, indifferens, libero hominis arbitrio ſubdita, quæ data à Deo in talibus circumſtantiis, locis, & temporibus evadit *congrua* & efficax per conſenſum & determinationem voluntatis humanæ; Atqui Gratia, in hoc Moliniſtarum ſenſu *congrua*, adimit Deo rationem omnipotentiæ, quia ſi

Gra-

Digitized by Google

Gratia verſatilis & indifferens reddatur tantùm efficax ac congrua per conſenſum ac determinationem voluntatis humanæ, manifeſtò ſequitur, hanc Gratiam non eſſe cauſam phyſicam conſenſus & determinationis voluntatis humanæ. Cùm enim hæc Gratia (ſicut docent Moliniſtæ) ſit ex natura ſua verſatilis, indifferens & ſubdita libero hominis arbitrio, & ſolùm evadat efficax ac congrua per conſenſum & determinationem voluntatis creatæ, non poteſt, inquam, hæc Gratia verſatilis & indifferens, producere, inſtàr cauſæ phyſicæ efficientis, determinationem voluntatis humanæ, *nemo quippè dat quod non habet*, hæc autem Moliniana Gratia eſt ex ſe indeterminata, non poteſt igitur determinare voluntatem humanam, ſed potiùs, ut hæc Gratia fiat efficax & congrua, opus eſt ut ab ipſa voluntate creata determinetur: Igitur Gratia illa Moliniana, quæ eſt indifferens & indeterminata, non erit cauſa efficiens illius voluntatis humanæ determinationis, per quam redditur efficax & congrua, ſed contrà, hæc voluntatis humanæ determinatio, qua Gratia Moliniana, quæ indifferens eſt, determinatur, & per conſenſum voluntatis humanæ evadit efficax ac congrua, producetur à ſola voluntate creata, tanquàm à cauſa efficiente, ſicque Gratia *congrua*, in ſenſu Moliniſtarum, non producet, tanquàm cauſa efficiens phyſica, voluntatis humanæ determinationem, ſubindèque nec Deus per hanc Gratiam congruam Moliniſtarum attinget, & ſua vera, reali, & phyſica cauſalitate producet determinationem voluntatis humanæ, & conſequentèr non erit omnipotens, ſeu cauſa effectrix univerſalis omnium entium, perfectionum, actionum, & determinationum voluntatis humanæ.

Reſpondet *P. Daniel* in Epiſtola VII. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, Syſtema de Scientia Media, & de Gratià congrua nihil planè derogare divinæ omnipotentiæ, ſed eam potiùs commendare, & adſtruere ſupremum Dominium & imperium, quod Deus obtinet in voluntatem creatam: id autem his verbis ſe perſuadere poſſe putat: *Antequam* (inquit) *Deus Decretum ſuum* (ſeu abſolutum & efficax) *condat, hæc vera eſſe beneficio Scientiæ Mediæ cognoſcit:* Si Gratiam iſtam (*ſeu congruam Molinianam*) huic homini dedero, parebit; ſi hanc alteram, (*id eſt, Gratiam incongruam Molinianam*) non parebit. Si animum ejus in his circumſtantiis impulero, ſequetur: ſi in aliis circumſtantiis, non ſequetur. *En* (pergit Daniel) *Deum tibi planè certum ac ſecurum de modo ac ratione animi movendi convertendique. Deus igitur præferentibus quaſi facem illis, quas dixi, cognitionibus, gratiam hujuſmodi* (ſeu Gratiam congruam Molinianam) *deligit, qua hunc flagitioſum hominem, quamlibèt induratum, novit è flagitiorum cæno emerſurum, ac Decretum hoc facit:* Volo hunc improbum convertere. *Decretum abſolutum, certum, efficax, quod iſta cognitione poſita, irritum eſſe nullo pacto poteſt.* Undè infert *P. Daniel*, Syſtema de Scientia Media, & de Gratia congrua tantùm abeſſe ut omnipotentiæ divinæ quidquam detrahat, vel decurtet ſummum imperium & dominium, quod Deus in voluntatem creatam obtinet, ut potiùs Deus, beneficio Scientiæ Mediæ, habeat in manibus rationes certiſſimas ac modos, quibus voti compos fiat, & quibus ineſſe vim efficaciſſimam ac falli neſciam intelligit.

Verùm, hac reſponſione, quam *P. Daniel* cum omnibus Scholæ Molinianæ Theologis adhibet, non ſolvit difficultatem, ſed potiùs nodum magis ſtringit. Vult enim *P. Daniel* cum omnibus Moliniſtis, exiſtentiam Gratiæ congruæ dare ſolius Dei eſſe, qui Gratiam congruam largitur ubi vult, & quibus vult. Sed animum diligentèr ad hæc Moliniſtarum verba adverte: *Largitur Deus Gratiam congruam ubi vult, & quibus vult.* Hanc igitur Gratiam (juxta Moliniſtas) oportet eſſe congruam. At undè, amabo; hæc Gratia, juxtà eoſdem Moliniſtas, habet iſtam congruitatem? Omnis Gratiæ congruitas, ſi audia-

Digitized by Google

diamus Moliniſtas, proficiſcitur ex libero hominis arbitrio. Idcircò enim ſecundùm illos Gratia dicitur congrua, & cum effectu infallibiliter conjuncta, quia voluntas creata Gratiam verſatilem & indifferentem determinat ad hunc effectum, illamque per hanc ſuam determinationem reddit congruam & efficacem, adeò ut duorum hominum Gratia æqualium, cupiditate parium, & circumſtantiis, locis & temporibus ſimilium, alter eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem per vires liberi ſui arbitrii determinet ad bonum, ſicque eam reddat efficacem ac congruam; alter vero eidem Gratiæ verſatili & indifferenti reluctando, illam reddat incongruam.

Porrò, in hac Moliniſtarum hypotheſi, licèt verum ſit, penès Deum eſſe dare Gratiam congruam, quibus vult, hoc eſt, ſolius Dei eſſe collocare hominem in his circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus ope Scientiæ Mediæ prævidit illum conſenſurum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſubindèque illam per ſuam determinationem redditurum congruam & efficacem; attamen in hac Moliniſtarum hypotheſi, certiſſimum eſt, Gratiam verſatilem & indifferentem, quæ per determinationem voluntatis creatæ redditur efficax ac congrua, non eſſe cauſam efficientem determinationis voluntatis creatæ, ſed potiùs ſolam voluntatem creatam eſſe cauſam efficientem ſuæ determinationis, quæ ſubindè in Dei omnipotentiſſimam voluntatem, tanquàm in cauſam efficientem univerſalem rerum omnium, refundi minimè poteſt, & ſic decurtatur omnipotentia Dei, & imminuitur ipſius robur & efficacia.

Poſito autem ſemèl hoc Moliniſtarum principio, quòd nimirùm Gratia verſatilis, quæ per conſenſum, & determinationem voluntatis creatæ fit efficax & congrua, non ſit cauſa efficiens conſenſus & determinationis voluntatis creatæ, ſed à ſola voluntate creata, tanquàm à cauſa efficienti, oriatur ejus conſenſus ac determinatio; vide, ſodes, quot abſurda ex hoc Moliniſtarum principio ſequantur. Si enim Gratia verſatilis & indifferens, quam homo per ſuam determinationem reddit efficacem ac congruam, non ſit cauſa efficiens determinationis humanæ voluntatis, ſed ſola voluntas humana ſit cauſa efficiens hujuſce determinationis (ut aſſerunt Moliniſtæ) juſtè homo poterit inſuperbire, & ſic Deum alloqui: *Fateor, Domine, penès te ſolum eſſe collocare me in his circumſtantiis, locis, & temporibus in quibus per Scientiam Mediam prævidiſti, me Gratiæ tuæ verſatili & indifferenti conſenſurum, eamque per bonam meam determinationem redditurum efficacem, congruam, & idoneam ad operandum. At, ſi ſemel me conſtituas in hiſce circumſtantiis, locis, ac temporibus, in quibus iſthæc per Scientiam Mediam prævidiſti, juſtam habebo cauſam gloriandi, & extollendi proprias liberi arbitrii mei vires, quia Gratiam verſatilem & indifferentem, quam mihi in his circumſtantiis obtuliſti, ego per meum conſenſum, & bonam determinationem, cujus ſum ſupremus dominus, reddidi congruam & efficacem. Gratia tua verſatilis & indifferens, quam ego per bonam meæ voluntatis determinationem reddidi congruam & efficacem, non me determinavit ad benè agendum, ſed, verſâ vice, ipſe per meum conſenſum determinavi Gratiam tuam verſatilem & indifferentem, ſicque per bonam meam determinationem diſcrevi me à Petro, qui, in iiſdem circumſtantiis, locis & temporibus donatus eadem Gratia verſatili & indifferenti, qua ego fui inſtructus, attamen propriâ ſua malitia eidem Gratiæ diſſentiendo, eam reddidit inefficacem & incongruam. Juſtè ergò gloriari poſſum, quòd Gratia illa verſatili & indifferenti, quam mihi in his circumſtantiis, locis, & temporibus obtuliſti, benè uſus fuerim, eamque per bonam meam determinationem reddendendo efficacem & congruam, me diſcreverim ab alio, qui eadem Gratia præventus, illam per ſuum diſſenſum reddidit incongruam, & inefficacem. Gloriari poſſum, Domine, quòd me per bonam meam determinationem (quam à tua Gra-*

tia

tiâ verſatili, & indifferenti non accepi) perfectiorem reddiderim, quia Gratia, quam mihi obtuliſti, cùm eſſet verſatilis, & indifferens vim & efficaciam non habebat determinandi voluntatem meam ad bonum, ſed ipſe eam proprio meæ voluntatis conſenſu determinavi ad benè agendum, eamque reddidi congruam & efficacem. Denique, Domine, juſtè gloriari poſſum, quòd ipſe in his circumſtantiis, locis & temporibus benè uſus fuerim gratia, quam mihi obtuliſti, verſatili & indifferenti, cujus bonum uſum ei acceptum referre non debeo, quia, cùm eſſet prædicta Gratia verſatilis, indifferens, & expectans conſenſum meæ voluntatis, vim non habebat, me determinandi ad benè agendum; ſed hunc bonum uſum Gratiæ tuæ verſatilis & indifferentis unicè acceptum refero bonæ determinationi voluntatis meæ, per quam benè uſus ſum Gratia tua verſatili & indifferenti, eamque reddidi congruam & efficacem. Quapropter, Domine, licèt maximas tibi debeam rependere grates, quòd me conſtitueris in his circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus per Scientiam Mediam prævidiſti, me benè uſurum Gratia tua verſatili & indifferenti, juſtè tamen gloriari poſſum, quòd ipſe Gratiam tuam verſatilem & indifferentem in his circumſtantiis, locis & temporibus determinaverim ad benè agendum, illamque per ſolam meam bonam determinationem reddendo congruam & efficacem, præcipuas partes in negotio ſalutis meæ mihi ſoli arrogare valeam.

Viden, dilectiſſime Diſcipule, quòd licèt in Syſtemate Patris *Danielis*, aliorumque congruiſtarum Moliniſtarum, homo agnoſcat, & profiteatur, penès ſolum Deum eſſe collocare illum in his locis, circumſtantiis, & temporibus, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, eum benè uſurum Gratia verſatili & indifferenti, eamque, per bonam ſuam determinationem, redditurum congruam & efficacem, nihilominùs idem homo juſtè gloriari poſſit, quòd ipſe in his circumſtantiis, locis, & temporibus Gratia verſatili, & indifferenti, ſibi à Deo oblata, benè per vires liberi ſui arbitrii uſus fuerit, eamque per ſolam ſuæ voluntatis determinationem reddiderit congruam & efficacem, ſicque in negotio ſuæ ſalutis, ſe diſcreverit ab aliis, qui in iiſdem circumſtantiis, locis, & temporibus conſtituti, & æquali Gratia verſatili & indifferenti præventi, ea tamen malè uſi ſunt, eamque, per ſolam ſuam determinationem ad malè agendum, reddiderunt incongruam & inefficacem. In hoc ſtat totius difficultatis cardo.

Id totum hoc clariſſimo exemplo illuſtro. Sit V. G. aliquis medicus, qui duobus ægris æqualem præbeat medicinam, qua prævidit unum ſanatum iri, quia vult eam ſumere, alterum verò ægrum prævidit non ſanandum fore, quia propinatam ſibi medicinam reſpuit. Hac facta ſemel hypotheſi, certum eſt illum ægrum, qui voluit ſumere medicinam, non ab alio ægro, qui eamdem medicinam reſpuit, fuiſſe diſcretum beneficio medici, ſed potiùs ſeſe ipſum propria ſua voluntate diſcreviſſe ab eo ægro, qui æqualem medicinam ſumere detractavit. Enim verò ſi tu huic ægroto, qui medicinam ſumpſit, & de ſua recuperata ſalute gloriatur, diceres. *Quorsùm de tua ſanitate gloriaris? Quid gloriaris præ alio ægro? Quis te diſcernit? Quid habes quod non acceperis?* Statim ille tibi optimo jure reſponderet: *juſtè glorior de prudentia mea, qua ex propria mea voluntate medicinam ſumpſi, quam alter æger imprudenter recuſavit. Hoc voluiſſe, & mihi porrecta medicina benè uſum fuiſſe, meum eſt, hoc me ab altero ægro diſcernit.* Quod ſi eidem regeras: *Sed à medico prævisa fuit hæc tua voluntas ſumendi medicinam*: ille actutùm tibi reſponderet: *Eſto: hæc mea bona voluntas ſumendi medicinam prævisa fuerit à medico, ſed ab eo non mihi data eſt, nec ob id minùs mea eſt hæc bona voluntas.*

Sic eſt, in caſu præſenti. Si enim ex duobus hominibus, quibus Deus æqualem Gratiam verſatilem & indifferentem & in iiſdem circumſtantiis dedit, unus pro bona ſua determinatione benè illa utatur, eamque reddat efficacem, al-

alter verò eidem Gratiæ reſiſtat, eamque reddat inefficacem, non poteris huic homini, qui de bona ſua determinatione, per quam ſibi à Deo Gratiam verſatilem reddidit efficacem, gloriabitur præ alio, qui in iiſdem circumſtantiis eamdem Gratiam verſatilem reddidit inefficacem, non poteris, inquam, huic homini, qui de bona ſuæ voluntatis determinatione præ alio gloriabitur, dicere: *Ut quid de tua bona determinatione gloriaris? ut quid præ alio te jactas? quid gloriaris, quaſi non acceperis? quis te diſcernit?* Actutùm enim ille tibi reponet: *Juſta de cauſa glorior, quòd propria meæ voluntatis determinatione benè uſus fuerim Gratia verſatili & indifferenti, eamque reddiderim efficacem, dùm alius homo in iiſdem circumſtantiis conſtitutus, & eadem Gratia verſatili & indifferenti donatus, ea, propria ſua culpa, malè uſus eſt, eamque reddidit inefficacem.* Quòd ſi illum urgeas, & dicas: *Sed hanc tuam bonam determinationem, qua Gratiam verſatilem & indifferentem redditurus eras efficacem, Deus prævideret.* Confeſtim regeret ille: *Verè quidem Deus hanc meam bonam determinationem, qua Gratiam verſatilem & indifferentem redditurus eram efficacem, prævidit, ſed eam mihi non dedit, ſed ipſe bonæ meæ determinationis, per quam reddidi efficacem illam, quam mihi dederat Gratiam verſatilem, indifferentem, & meo permiſſam arbitrio, ipſe ſolus bonæ illius determinationis auctor ſum.* Ad hanc profectò reſponſionem certus ſum, quòd hæreres ad aquas, nec in ore haberes, quod hiſcere ac muſſitare poſſes.

Non ſic profectò Thomiſtæ, non ſic: Hi quippè Theologi (acerrimi auxiliorum ex ſeſe efficacium & Prædeterminantium defenſores) adimunt homini omnem ſuperbiendi, vireſque liberi ſui arbitrii extollendi locum; de Dei omnipotentia, ut par eſt, magnificè ſentiunt; Scientiam Mediam explodunt, per quam (ut volunt Moliniſtæ) Deus explorat conſenſum; quem homo in certis circumſtantiis, locis & temporibus daturus eſt Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblatæ, eamque per liberi arbitrii ſui vires congruam & efficacem eſt redditurus. Aſſerunt etiam Thomiſtæ, nos non ab alia cauſa ſalutem noſtram expectare debere niſi à Gratia ſe ipſa efficaci, quæ reverà ſalutem noſtram cauſat & efficit, quæ omnes noſtras determinationes & actiones potentiſſima ſui virtute in nobis operatur, facitque ut voluntates noſtræ, tanquàm cauſæ ſecundæ ſubordinatæ Deo, ſuas itidèm liberè exerant determinationes & actiones. Uno verbo, docent Thomiſtæ, nos Gratiæ per ſe efficaci tribuere debere omnes determinationes, actiones noſtras, & quidquid boni agimus, neque in alia re, niſi in Deo, ſeu in ipſius Gratia ſe ipſa efficaci, nos gloriari, & ſpei ſalutis noſtræ fundamentum ponere oportere, ſicut palàm ipſamet profitetur Eccleſia, dùm *ſeſe in ſola ſpe Gratiæ cæleſtis inniti* quotidianis precationibus clamat. Sed de his plura dicam in Epiſtola, quam, ad impugnandam Gratiam congruam Molinianam, deinceps ad te ſcripturus ſum. Legeſis etiam duas Epiſtolas, quas ad probandam neceſſitatem præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos actus tàm naturales, quàm ſupernaturales, jam ad te ſcripſi, quæque in prima Claſſe Epiſtolarum mearum ſunt ordine ſecunda ac tertia.

Explicata notione Gratiæ congruæ Molinianæ, proclive eſt nunc demonſtrare, fumum nobis vendere *Gabrielem Danielem, & Honoratum Tournelium*, dùm aſſerunt, Scientiam Mediam nihil detrahere omnipotentiæ Dei, nec quidquam adimere ſupremo dominio & imperio, quod Deus obtinet in corda hominum. Ajunt enim, *Deum per Scientiam Mediam cognoſcere, ſe habere latentes in omnipotentiæ ac miſericordiæ ſuæ theſauris Gratias prævenientes, quibus animos indociles, rebelles, induratos, cupiditatibus fœdiſſimis mancipatos, mutare poſſit, & ad docilitatem, obedientiam, & tenerum pietatis ſenſum ità flectere, ut fingi ducique poſſint à divino ſpiritu, quòcumque ipſi libuerit, ita ut Deus, qui, ſalvâ creatæ mentis libertate,*

Digitized by Google

tate, ſubdere illam ſibi, & redigere ad obſequium novit, quique cùm intelligat, penès ipſum eſſe ut reſiſtat, edicat nihilominùs pro imperio, & pronunciet: Volo, ut mihi non reſiſtat; *ac ne reſiſtat porrò, per ſuæ Gratiæ vim efficiat. Jubet Deus, imperat pro poteſtate, & ut Dominum decet, perturbatis animis tranquillitatem, pacem rebellibus, ordinem incompoſitis affert, ibique tanquàm in auguſtiſſimo Sacrario ſedet, regnatque, ubi ſcelerum omnium cohors impuriſſima ſedem ſibi ac domicilium fixerat*; hæc ſunt ipſiſſima Patris *Danielis* verba in Epiſtola ſeptima, quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*.

Verùm, quàm parùm ſibi conſtent hæc à Patre *Daniele* ad fucum faciendum dicta, quàmque falſa ſint in Syſtemate de Scientia Media & de Gratia congrua, invictè (ut confido) demonſtro. In primis, oppidò falſum eſt, quòd fidenter aſſerit P *Daniel*, &, poſt ipſum, *Honoratus Tournely*, videlicèt *Deum per Scientiam Mediam cognoſcere, ſe habere latentes in potentiæ ac miſericordiæ ſuæ theſauris Gratias prævenientes, quibus animos indociles, rebelles, & induratos, mutare poſſit, & ad obedientiam, docilitatem, & tenerum pietatis ſenſum flectere quo Deo libuerit*; hoc, inquam, tam falſum eſt, quàm quod maximè. Primò, in confeſſo eſt apud omnes Scholæ Molinianæ Theologos, Deum per Scientiam Mediam cognoſcere tantùm, ſe habere Gratias prævenientes quidèm, ſed verſatiles, indifferentes, & permiſſas libero hominis arbitrio, quæ in talibus circumſtantiis, locis, & temporibus, redduntur humanæ voluntatis conſenſu congruæ & efficaces, vel ipſius diſſenſu redduntur incongruæ & inefficaces, ſed quæ tamen ex ſe ipſis congenitam vim & efficaciam non habent animos indociles, rebelles & induratos, ad docilitatem, obedientiam & actualem converſionem infallibiliter convertendi.

Ex quo Moliniſtarum doctrinæ principio ſequitur, non repugnare dari aliquem hominem, quem Deus de potentia etiam ſua abſoluta convertere & prædeſtinare non poſſet, ſubindèque illum non fore omnipotentem. Id autem ſic probo: non repugnat ex natura rei, eſſe hominem, qui in nullis occaſionibus, locis, temporibus, & circumſtantiis velit converti, ſeu benè uti Gratiis verſatilibus, & indifferentibus, quas Deus ei offert, eaſque per conſenſum ſuum reddere congruas & efficaces, ſed potiùs pro ſua libertate velit in omnibus locis, temporibus, circumſtantiis & occaſionibus, omnes Gratias verſatiles, & indifferentes, ſibi à Deo oblatas, rejicere, eaſque irritas, incongruas, atque inefficaces reddere. Quid ergò, quæſo te, hac in hypotheſi acturus eſt Deus ad convertendum hunc obſtinatum & rebellem hominem? Numquid Deus ex theſauris omnipotentiæ ſuæ depromet Gratias per ſe efficaces, quæ nativa ſui virtute & efficacia pervicacem illum hominem, & fœdiſſimis cupiditatibus mancipatum, ad meliorem frugem convertat? Aſt, Scientiæ Mediæ defenſores negant, dari ejuſmodi Gratias per ſe efficaces, quia (inquiunt) ineluctabilem imponunt voluntati humanæ benè operandi neceſſitatem.

Numquid ſaltem Deus in illis circumſtantiis, locis & temporibus reddet congruas & efficaces illas Gratias, quæ ſunt ex natura ſua verſatiles dumtaxàt, indifferentes, & permiſſæ libero hominis arbitrio? Sed id apertè negant Scientiæ Mediæ defenſores. Pertendunt quippè penès Deum non eſſe dare Gratiæ verſatili congruitatem & efficaciam, ſed id pendere è ſola voluntate hominis, qui oblatam ſibi à Deo Gratiam verſatilem & indifferentem reddit, per liberum conſenſum ſuum, congruam efficacem. Si ergò Deus (juxta Scientiæ Mediæ defenſores) non habeat in theſauris ſuæ omnipotentiæ Gratias per ſe efficaces, ſi itidèm ad Deum non pertineat, ſed tantùm ad hominem, Gratias verſatiles reddere congruas & efficaces (ſicut itidèm aſſerunt Scientiæ Mediæ defenſores) certè in hac hypotheſi nullo pacto poterit Deus convertere & prædeſtinare hunc indomitum & rebellem hominem, qui pro

ſua

ſua libertate in nullis circumſtantiis, locis, temporibus, & occaſionibus volet unquàm Gratias verſatiles & indifferentes reddere, per conſenſum ſuum, congruas & efficaces, ſed, eis diſſentiendo, incongruas & inefficaces ſemper reddet. Deus itaque in hac hypotheſi non erit omnipotens. Lectores igitur ſuos ludere volunt *Gabriel Daniel.* & *Honoratus Tournely*, dùm dicunt, *Deum per Scientiam Mediam cognoſcere, ſe habere latentes in omnipotentiæ ac miſericordiæ ſuæ theſauris Gratias Prævenientes, quibus animos indociles, rebelles, & induratos mutare poſſit & ad docilitatem, obedientiam, & actualem converſionem infallibilitèr flectere.*

Eccui, amabo, id perſuadebunt ambo illi Scriptores Moliniani? cùm certo certius ſit, eos cum tota Schola Moliniana docere primò, in theſauris omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei non reperiri Gratias prævenientes per ſe efficaces, quibus Deus animos indociles, & induratos mutet, & infallibiliter ad actualem converſionem inflectat, ſed Deum dumtaxàt per Scientiam Mediam cognoſcere, ſe habere in theſauris omnipotentiæ & miſericordiæ ſuæ Gratias verſatiles, indifferentes, & permiſſas libero hominis arbitrio, quæ, ſivè ſeparatìm, ſivè conjunctìm, non habent infallibilem connexionem cum effectu, nec unquàm nativa ſua virtute ſuperabunt reſiſtentiam liberi arbitrii. Certum paritèr eſt, duos illos, mox à me laudatos, Scriptores cum univerſa Schola Moliniana docere, non pertinere ad Deum, eam, quam homini offert, Gratiam verſatilem reddere congruam & efficacem, ſed hanc Gratiæ verſatilis congruitatem & efficacem unicè pendere ab homine, qui per conſenſum ſuum ac bonam determinationem efficit, ut Gratia, quæ ex natura ſua eſt tantùm verſatilis & indifferens, evadat congrua & efficax.

Ex quo ſequitur primò, Deum non eſſe omnipotentem, quia ex ſe non cauſat congruitatem & efficaciam Gratiæ verſatilis, ſed ſolus homo, qui per conſenſum ſuum, & bonam determinationem efficit, ut Gratia, quæ ex natura ſua eſt tantùm verſatilis & indifferens, evadat congrua & efficax. Sequitur ſecundò, hominem eſſe Deo potentiorem, quippè qui per bonam ſuam determinationem (quam ipſe ſolus, & non Gratia verſatilis producit) Gratiam, quæ eſt ex natura ſua tantùm verſatilis, indifferens, & ſubdita libero hominis arbitrio, reddit congruam & efficacem, ſicque homo fit ſuæ bonæ determinationis ſupremus dominus, cauſa prima, & independens à Deo.

Prætereà, Deus (juxta Syſtema Scientiæ Mediæ) non poteſt quidquam abſolutè præcipere & imperare homini, niſi priùs prævideriț, an ipſe conſenſurus & obtemperaturus ſit, ergò Deus ab humana voluntate dependet, ſubindèque non eſt omnipotens, non ſecùs ac aliquis Rex non cenſeretur potens, nec ſupremum in ſuos ſubditos habere dominium, qui nihil eis abſolutè præcipere & imperare poſſet, niſi priùs exploraſſet, an ſint conſenſuri, & obedituri. Porrò (juxta doctrinam *S. Auguſtini*) Deus non ex præſcientia, ſed ex omnipotentia ſua præcipit, imperat, & facit cuncta, quæ promittit: *Quandò promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus Fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua Prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines*, ait *Sanctus Auguſtinus* cap. 10. Libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, idemque confirmat Aquilinus ille Doctor cap. 17. ejuſdem libri. Ex quibus verbis colligunt Thomiſtæ argumenta ad probandum, *S. Auguſtinum*, aut rejeciſſe, aut noram non habuiſſe Scientiam Mediam, quantùm ad uſum & modum, quo nunc Moliniſtæ eam in ſuis Scholis defendunt.

Primum argumentum ſic propono: Aſſerit *S. Auguſtinus*, Deum ea, quæ facturus eſt, non ex ſua præſcientia, ſed ex ſua prædeſtinatione cognoſcere; Atqui Deus omnes actiones noſtras, etiam liberas, facturus eſt, ergò ex *Sancto Auguſtino* Deus illas cognoſcit in ſua prædeſtinatione, hoc eſt, in ſuo De-

Decreto efficaci, proindèque non datur in Deo præſcientia futurorum independenter à Decreto Dei efficaci, eoque anterior, ſeu Scientia Media.

Alterum Thomiſtarum argumentum iſtud eſt: Docet *S. Auguſtinus*, Deum id, quod promittit, non de noſtra poteſtate, aut voluntate, ſed de ſua prædeſtinatione, ſeu Decreto efficaci, promittere; Atquì Deus multotiès promittit actiones noſtras liberas, ſicut quandò promiſit *Abrahamo* Fidem, & converſionem gentium; ergò Deus actiones noſtras liberas de ſua Prædeſtinatione promittit, eaſdemque in ſua prædeſtinatione, ſeu in Decreto ſuo efficaci cognoſcit, non verò (ut volunt Scientiæ Mediæ Aſſertores) in ſua præſcientia independenti ab efficaci Dei Decreto, eoque anteriori.

His ſolidiſſimis, quæ hactenùs adduxi, doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* principiis, quibus planè evertitur Syſtema de Scientia Media, etiàm quantùm ad uſum & modum, quo nunc in Schola Moliniana docetur ac propugnatur; alia facilè adjungere potes perindè inconcuſſa utriuſque Doctoris principia, quæ ipſe in Epiſtolis, quas jam ad te ſcripſi, (quæque in prima Claſſe mearum Epiſtolarum ſunt ordine ſecunda & tertia) in medium produxi, quibus invictè probavi, ex doctrina de Gratia verſatili, indifferenti, & ſubdita libero hominis arbitrio, quam mordicùs defendunt Scientiæ Mediæ aſſertores, derivari benè multa abſurda & incommoda, quæ SS. Patres *Auguſtinus*, & *Thomas* vehementèr improbarunt, quæque ipſe ſummatìm dumtaxat perſtringam, ut uno quaſi intuitu videas & intelligas, omnia principia doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* eſſe diametralitèr oppoſita caducis ac ruinoſis Scientiæ Mediæ principiis.

In primis oſtendi, quòd ſi Gratia Dei eſſet verſatilis, indifferens, & à libero hominis arbitrio determinaretur ad benè agendum, ſequeretur, hominem per vires liberi arbitrii ſui tribuere ſibi majorem perfectionem ea, quam acciperet à gratia verſatili & indifferenti; quia in ea hypotheſi, homo haberet quidèm à Gratia verſatili & indifferenti *poſſe benè agere*, ſed Gratiam illam verſatilem & indifferentem determinando per conſenſum ſuum ad benè agendum, daret ſibi *actu benè agere*, quod eſt longè perfectius, ſicque (ut ait *S. Auguſtinus* cap. 2. Libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*) *homo quaſi componit cum Deo, ut partem Fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat; & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo, quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum*.

Quis autem non videt, ex hoc ſemel jacto Doctrinæ Molinianæ de Scientia Media, & de Gratia verſatili ac indifferenti, quæ à libero hominis arbitrio determinatur ad benè agendum, principio, ſequi ruinam, & integrum excidium humilitatis & modeſtiæ Chriſtianæ, ob illam, quam in viribus liberi arbitrii præfidentiam inſpirat? Quì enim, ſodes, fieri poteſt, ut ille, quì cum alio homine eadem Gratia verſatili & indifferenti donatus, ſeſe per liberum arbitrium conſentiendo huic Gratiæ, eamque determinando ad benè agendum, diſcernit ab alio homine, qui eidem & æquali Gratiæ verſatili non conſentit; qui, inquam, fieri poteſt, ut ille homo non inflet ur, non ſuperbiat, & de ſuo liberi arbitrii conſenſu, per quem Gratiam verſatilem & indifferentem determinavit ad benè agendum, non glorietur in ſe ipſo, & non in Deo? Secundò, quis non videt, hoc doctrinæ Molinianæ de Scientia Media & de Gratia verſatili principium tollere neceſſitatem orandi, & grates Deo agendi pro acceptis beneficiis? ſi enim ſemèl ſtatuas, Gratiam verſatilem, indifferentem, & tuo ſubditam libero arbitrio, tibi ſemper præſtò adeſſe, quam pro tuo nutu determinabis ad benè agendum, quandò, & ubicumque volueris; quid, quæſo te, oratione opus habebis? Quid eſt, quod à Deo tam enixè petas? An illam Gratiam verſatilem & indifferentem? at, hæc Gratia tibi ſemper adeſt. An bonum Gratiæ verſatilis uſum? At, is bonus

Gratiæ verſatilis uſus in poteſtate tua & in tuis manibus eſt, utpotè quem nec à Deo, nec à Gratia verſatili recipis, ſed illum habes ſolo libero arbitrio tuo, per quod huic Gratiæ verſatili & indifferenti præbendo conſenſum, ea benè uteris, eamque determinas ad rectè agendum. Ut quid ergo bonum illum Gratiæ verſatilis uſum orando poſtulabis à Deo? ut quid pro illo gratias ages Deo? cùm nec à Deo, nec à Gratia verſatili, ſed à te ipſo ſolo, id eſt à conſenſu & propria determinatione liberi arbitrii tui habeas hunc bonum Gratiæ verſatilis uſum? *Irriſoria enim petitio eſt* (ait *S. Auguſtinus* cap. 2. Libri *de Dono perſeverantiæ*) *cùm à Deo petitur quod ſcitur non ipſum dare, ſed, ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate: ſicut irriſoria eſt etiam illa gratiarum actio, ſi ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipſe, nec fecit*. Tertiò, quis non videt, admiſſa ſemèl doctrina de Scientia Media, & de Gratia congrua, per concluſionem Theologicam indè inferri poſſe, convelli ſanctum timorem, quem Sancti Patres tantoperè commendant.

Quid enim timeas ſaluti tuæ, ſi Gratia verſatilis, indifferens, & ſubdita libero tuo arbitrio nunquàm abſit, & ea utaris prout volueris? tamen hujuſce timoris hanc eſſe cauſam ait Apoſtolus *Paulus* cap. 2 Epiſtolæ ad Philippenſes: *quia Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate ſua*. Quartò, multis evici argumentis & teſtimoniis *S. Thomæ* (in Epiſtolis mox à me laudatis, quas ad te jam ſcripſi) Molinianam doctrinam de Scientia Media, & de Gratia congrua eripere Deo rationem primæ cauſæ univerſalis effectricis rerum omnium, necnon titulum primi liberi, dum negant, Deum eſſe per Gratiam ſe ipſa efficacem cauſam primam liberæ determinationis voluntatis noſtræ. Implicat enim, determinationem voluntatis noſtræ produci à Gratia verſatili, & à Decreto Dei indifferenti, ſicut docent Moliniſtæ. Oſtendi etiam, doctrinam de Scientia Media, & de Gratia verſatili deprimere vim & dignitatem divinæ Gratiæ, quam libero ſubjicit arbitrio, à quo determinatur ut agat; cujus proinde pediſſequa eſt, non domina, non magiſtra.

Poſtremò, multis momentis probavi, doctrinam de Scientia Media & de Gratia verſatili, per falſum, quod, etiam imminente morte, promittit æquilibrium; latam, ut mihi videtur, aperire viam ad laxitatem morum, ad faciliùs & frequentiùs peccandum, & ad procraſtinandam uſque ad ultimum vitæ exitum pænitentiam delictorum. Enim verò, ille, qui ſemèl perſuaſum habebit, ſe ſemper, etiam propediem moriturum, Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam libero ejus arbitrio habiturum, eamque pro ſuo nutu determinaturum ad benè agendum; ille, inquam, dùm in juventute fervent, ebulliuntque paſſiones, facilè adducetur, ut genio, deliciis, & obſcænis voluptatibus indulgeat, & ſuorum peccatorum pænitentiam, ac converſionem differat ad ſeram uſque ſenectutem, & ad extremam uſque vitæ ſuæ periodum; ſicque, juſto Dei judicio, in pænam præcedentium peccatorum, in finalem impænitentiam præcipitetur.

Hæc efficaciſſima momenta, quibus convellitur Syſtema de Scientia Media, & de Gratia verſatili, hic dumtaxat delibavi, quia illa in duabus (quas ad te ſcripſi) Epiſtolis, ſuperiùs à me indicatis, jam lato calamo ſum proſecutus, eaque à cavillis & Moliniſtarum argutiis vindicavi. Poteris etiam (ſi tibi per otium liceat) lectitare alteram, quam jam ad te ſcripſi, Epiſtolam, & quæ in prima Claſſe Epiſtolarum mearum eſt ordine ſeptima, in qua invictè (ni mea me fallat mens) commonſtravi, Scientiam Mediam (quantùm ad uſum & modum, quo nunc in Schola Moliniana docetur ac propugnatur) fuiſſe Sanctis Patribus *Auguſtino*, *Proſpero*, *Fulgentio*, *Hilario*, *Thomæ Aquinati*, omnibuſque antiquis Theologis, & Patribus Concilii Oecumenici Tridentini penitùs ignotam, eamque, ſtatim ac à *Ludovico Molina* fuit in lucem pro-

Digitized by Google

protruſa, graviſſimas, ob ſui novitatem, excitaſſe in Belgio, in Hiſpania, & in Italia, eamque à tribus clariſſimis Academiis, Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi fuiſſe cenſuris perſtrictam & in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, ſub Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitis, diù multùmque exagitatam. Quæ cùm ita ſint, deſinat tandem aliquandò novitas inceſſere vetuſtatem, ſicùt ait *S. Cæleſtinus* Papa, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ. Deſinant nonnulli dicere, *Thomiſtas apud D. Thomam Scientiam Mediam quæſiviſſe, ſed in modum illius qui, cùm Breviarium ſuum perdidiſſet, ita quærebat, ut inveniendum timeret*.

Profectò (velint nolint Moliniſtæ) certiſſimè affirmare poſſum, nihil planè in *Sancti Thomæ* Operibus reperiri, quo Scientia Media fulciri poſſit, ſubindeque timendum non eſſe Thomiſtis, ne in Doctoris Angelici Operibus, præter illorum votum & expectationem, Scientia Media inveniatur. Id jam me demonſtraſſe puto ex principiis, quæ Sanctis Doctoribus *Auguſtino*, & *Thomæ* ſunt communia, & quæ generatim Scientiæ Mediæ repugnant, eamque validè refellunt. Primum principium eſt: *Gratiam efficacem deſumere vim & efficaciam ſuam ab omnipotentiſſima Dei voluntate*. Alterum principium eſt. *Res dici futuras, quòd à Deo ſciantur, non verò eas ſciri à Deo, quia ſunt futuræ*. Tertium Principium eſt: *Creaturas cognoſci in eſſentia divina, tanquàm in Medio præcognito, & tanquàm in causa determinata per Decretum*; quæ omnia negant patroni Scientiæ Mediæ, quòd videant, Scientiam Mediam cum nullo ex his tribus principiis ſeorſim, multominùs cum his ſimul junctis, ſtare poſſe. Sed, ut germana mens *S. Thomæ* in clariſſima luce ponatur, referam, ſub finem iſtius Epiſtolæ, quædam Sancti illius Præceptoris doctrinæ principia, quæ cum Syſtemate Scientiæ Mediæ nullo pacto cohærere poſſunt, ſed potiùs cum illo apertè colliduntur.

In primis, *S. Thomas* Quæſtione 2. *De Veritate* Art. 12. ad 7. docet, *rem eſſe futuram, eſſe denominationem extrinſecam, ſumptam à præparatione, ordinatione, & determinatione cauſarum ad illius productionem*. Ex quo *S. Thomæ* doctrinæ principio manifeſtò ſequitur, nullam hujuſmodi futuris ineſſe veritatem, quæ ſit objectum Scientiæ Mediæ, ante determinationem, ſeu Decretum Dei, qui eſt cauſa prima univerſalis & efficiens rerum omnium. Hinc *S. Thomas* I. Parte, Quæſt. 16. Art. 7. ad 3. hæc habet: *Illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit antequàm eſſet, quia in ſua cauſa erat ut fieret; undè ſublata cauſa, non eſſet futurum illud fieri; ſola autem prima cauſa eſt æterna: undè ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuit verum, ea eſſe futura, niſi quatenùs in cauſa ſempiterna fuit ut eſſent futura*. Ex quibus verbis *S. Thomæ* ſic argumentum conficio: *Res non ſunt futuræ* (inquit *S. Thom.*) *niſi quatenùs in cauſa ſempiterna* (ſeu in eſſentia Dei) *fuit ut eſſent futuræ*: atqui res non fuerunt futuræ in cauſa ſempiterna (ſeu in eſſentia Dei) nudè ſumpta, ſed per Decretum determinata: Ergò, antè illud Dei Decretum *S. Thomas* nullam agnoſcit veritatem, nullam rem futuram, proindèque tollit Doctor Angelicus objectum Scientiæ Mediæ. Hoc autem egregiè confirmat S. Præceptor Lectione 13. in caput 8. Libri *Perihermenias*, ubi negat, propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti, ante Decretum Dei, ullam ineſſe determinatam veritatem, non ſolùm quoad nos, ſed etiam quoad ſe; quia (inquit Angelicus ille Doctor) *futurum contingens non habet eſſe determinatum in ſuis cauſis liberis & contingentibus, quòd ſe habeant ad oppoſita*.

Prætereà, *S. Thomas* diſertè docet, præſcientiam in Deo futurorum pendere à Decreto, eique eſſe ſubnixam, ità enim pluribus in locis inculcat, ſed potiſſimùm in I. Sent. Diſtinct. 39. Quæſt. I. Art. I. ad 5. ubi hæc habet: *Licèt eſſe & ſcire Dei ſint idem ſecundùm rem, tamen ſcire ſequitur voluntatem, ut imperatum ab ipſa*. Et Art. 2. ad 1. ait: *Ipſum ſcire in Deo eſt ſubjectum libertati*

voluntatis. Quibus verbis præcluditur via ad Scientiam Mediam. Nam ſi in Deo præſcientia futurorum nitatur Decreto, illud debet eſſe per ſe & ab intrinſeco efficax, infallibi nexu cum illis conjunctum, & efficiens liberam determinationem voluntatis.

Tertiò. S. Præceptor I. Part. Quæſt. 19. Art. 8 & I. contra Gentes cap. 55. repetit (poſt *S. Auguſtinum*) concordiam libertatis humanæ cum divinis Decretis ab infinita efficacia divinæ voluntatis, quæ non tantùm ſubſtantiam actus, ſed modum etiam libertatis efficiat in noſtris operationibus. Et lectione 14. in Lib. I. *Perihermenias* ait, voluntatem divinam eſſe extrà ordinem entium poſitam, & cauſam univerſalem, quæ totum ens in rerum natura profundit, atque omnes differentias entis, videlicèt poſſibilitatem, neceſſitatem, & libertatem. Quæ certè *S. Thomæ* doctrina in modo conciliandi libertatem noſtram cum Decretis Dei omninò opponitur Syſtemati Moliniſtarum, qui per Scientiam Mediam exploratricem futurorum conditionatorum, conciliant libertatem noſtram cum Decretis divinis.

Poſtremò, ut benè multis aliis *S. Thomæ* teſtimoniis (quæ à noſtris Theologis referuntur) in præſentia ſuperſedeam, docet *S. Thomas* Quæſt. 6. *De Veritate* Art. 3. Prædeſtinationem eſſe certam non ſolum certitudine præſcientiæ (qualem ei vindicant patroni Scientiæ Mediæ) ſed *certitudine ordinis & cauſalitatis*, quatenùs videlicèt Prædeſtinatio, quæ importat Decretum Dei, addit divinæ Præſcientiæ vim cauſæ efficientis eorum, quæ ſub ipſam cadunt. Quæ *Sancti Thomæ* doctrina apertè jugulum petit Moliniſtarum, qui pertendunt, Prædeſtinationem non eſſe certam *certitudine ordinis & cauſalitatis*, ſed duntaxàt, *certitudine Præſcientiæ divinæ*, ſeu ſcientiæ Mediæ, quique prædeſtinatum à non prædeſtinato, nulla certitudine ordinis & cauſalitatis, ſed dumtaxàt ex præſcientia eventus diſtinguunt, ita ut præſcientia ſit cauſa Prædeſtinationis, nec fiat voluntate & electione prædeſtinantis; quod, inquit ibidèm S. Doctor, *eſt contrà authoritatem Scripturæ & Dicta Sanctorum*. Prædeſtinatio igitur (juxta doctrinam Angelici Doctoris) prætèr certitudinem præſcientiæ, habet certitudinem cauſalitatis & infallibilitatis, tametſi voluntas creata libera, quæ eſt cauſa proxima ſalutis, ad illam contingentèr & liberè, non neceſſariò conferat & ducat, & hinc naſcitur difficultas concordiæ Prædeſtinationis divinæ infallibilis cum humani arbitrii libertate. Hæc ſi tuæ memoriæ infigere ſatagas, habebis certè quod in promptu reſpondere poſſis his, qui, Thomiſtis inſultando, dictitant, *illos Scientiam Mediam apud D. Thomam quæſiviſſe, ſed ad modum illius, qui, cùm Breviarium ſuum perdidiſſet, ità quærebat, ut inveniendum timeret*. Sed tempus eſt ut vela contraham, propediè̀m alteram ad te ſcripturus Epiſtolam, in qua referam principia, quibus Scholæ Molinianæ Theologi ſuum de Scientia Media Syſtema adſtruunt, quæ ſedulò excutiam, atque (divino propitio Numine) confutabo.

EPISTOLA SECUNDA

In qua excutiuntur, & exſufflantur principia, quibus Scholæ Molinianæ Theologi Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, vulgò ſtabilire ſolent.

SCientia Media (ſicut à Moliniſtis definitur) eſt *Scientia divina infallibilis futurorum contingentium conditionatorum, non innixa alicui Decreto actuali ac præſenti, ſed illud antevertens*. Tota difficultas Thomiſtas inter & Moliniſtas devolvitur ad hæc ultima verba: *Non innixa alicui Decreto actuali ac præſenti, ſed illud antevertens*. Thomiſtæ quippè (ſicut in proxima, quam ad te ſcripturus ſum Epiſtola, commonſtrabo) non negant, Deum habere ſcientiam infallibilem futurorum contingentium conditionatorum, docent tamen, hujuſmodi ſcientiam niti Decreto Dei actuali ac præſenti, in quo Deus, tanquàm in Medio, futura contingentia conditionata certiſſimè cognoſcit.

I. Hinc Thomiſtæ cum Sanctis Patribus & antiquis Theologis partiuntur dumtaxàt Scientiam Dei in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & ſcientiam *Viſionis*, ajuntque, Deum per Scientiam *ſimplicis intelligentiæ* cognoſcere omnes res poſſibiles, & per *Scientiam Viſionis*, præſenti Decreto innixam, habere certam, claram, & infallibilem notitiam omnium futurorum cùm abſolutorum, tùm conditionatorum *Gabriel Daniel*, Societatis Jeſu, in Epiſt. V. (quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*) ultrò fatetur, Thomiſtarum doctrinam de partitione Scientiæ Dei in Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & Scientiam *Viſionis* fuiſſe *S. Thomæ*, cæteriſque omnibus antiquis Theologis probatam, & *ab eo dumtaxàt tempore, quo Molinæ nomen eſt auditum, inter Theologos ſubindè quæſitum eſſe* (ſunt ipſiſſima verba Danielis) *utrùm hæc uſitata in Scholis hactenùs divinæ Scientiæ partitio in Scientiam* VISIONIS & *in Scientiam* SIMPLICIS INTELLIGENTIÆ *retineretur, ita ut ad unum è duobus hiſce membris, futurorum conditionatorum ſcientia revocaretur. Retinendam plerique ſentiebant* (pergit idem Daniel) *Alii, atque imprimis Jeſuitæ, alitèr cenſuerunt; viſum eſt illis ſcilicèt, cùm Propoſitiones illæ, quæ ſcientiam conditionalium conflabant, ab iis admodùm diſcreparent, è quibus Scientia Viſionis, & ſimplicis intelligentiæ coaleſcit, novum priſtinæ partitioni membrum addendum eſſe, adeò ut Scientia Dei trifariàm divideretur in Scientiam Viſionis, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ, & ſcientiam conditionalium. Hanc poſtremam idcircò Scientiam Mediam latinè vocari voluerunt quia res propoſitionibus ad iſtam ſcientiam pertinentibus ſubjectæ, ſive objecta hujus ſcientiæ (ut loquuntur Theologi) medium quemdam inter objecta utriuſque prioris ſcientiæ locum obtinent. Hæc ad uſitatam antehàc diviſionem acceſſio recèns facta Ludovico Molinæ Hiſpano, Societatis Jeſu, tribuitur. Conſtat, mutationem iſtam parvi admodùm in Theologicis aut nullius eſſe momenti. In eo conſentiunt hodiè omnes, cognoſci à Deo res tùm futuras, tùm poſſibiles, & earum etiam Propoſitionum veritatem, quæ obſtrictæ aliqua conditione ſunt: hoc, inquam, inter omnes Theologos convenit Jam ſive revocetur ſcientia conditionalium ad ſcientiam viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ, aut ad utramque: ſive tertium quoddam partitionis membrum dicatur conficere, & propriam ac peculiarem in Deo Scientiam diſtinguamus, quæ Scientia Media nominetur, nihil indè in Theologicam rem detrimenti periculive redundabit. Mera de nomine vocibuſque eſt quæſtio, quam decide-*

re perfacile ſit pro varia notione ac definitione, quam utrinque vocibus quiſque ſubjiciet ad ipſius dumtaxàt quæſtionis & materiæ intelligentiam. Hactenùs *Gabriel Daniel*, qui contra Scientiam Mediam invictum mihi ſuppeditat argumentum, quod ſic propono.

S. Thomas, & antiqui Theologi (fatente ipſomet *P. Daniele*) partiti ſunt Scientiam Dei in duo dumtaxàt membra, videlicèt in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoſcit res omnes poſſibiles, & in *Scientiam Viſionis*, qua Deus notitiam habet rerum omnium futurarum, & exiſtentium; Atqui (fatente eodem Patre Daniele) huic uſitatæ antiquorum Theologorum diviſioni Scientiæ Dei in *ſcientiam viſionis*, & in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, addidit *Ludovicus Molina* tertiam in Deo Scientiam, quam vocat *Mediam*, quamque à Scientia Viſionis, & à ſcientia ſimplicis intelligentiæ ex æquo diſtinctam docet; Ergò *Gabriel Daniel*, velit nolit, fateri debet, *Ludovicum Molinam* circà doctrinam antiquorum Patrum, & Theologorum de uſitata apud illos diviſione Scientiæ Dei *in Scientiam Viſionis*, & *in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ* aliquid immutaſſe, innovaſſe, & tertiam in Deo admiſiſſe ſcientiam, ſeu *Mediam*, tanquàm tertium membrum diviſionis Scientiæ Dei, proprio ſuo marte excogitatum, & S. Thomæ, omnibuſque antiquis Patribus, ac Theologis omninò ignotum.

Nemo autem cum *Gabriele Daniele* dicere poteſt, *mutationem iſtam parvi admodùm in rebus Theologicis aut nullius eſſe momenti*; nemo, inquam, qui de veneranda Patrum, & Theologorum antiquitate rectè ſentit, id affirmare poteſt: Tum quia (juxta *Tertulliani* Regulam) *Quod prius, hoc verius*: Tùm quia etiam omnis in rebus Theologicis & Moralibus nova adinventio, vel aliqua circa doctrinam Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum immutatio, ſuſpecta haberi debet, & tanquam periculoſa explodi. A qua certiſſima ac tutiſſima Regula dùm recentiores, in rebus ad Ethicam Chriſtianam, ſeu ad mores ſpectantibus receſſerunt, & in dirimendis conſcientiæ caſibus, doctrinam SS. Patrum, & antiquorum Theologorum novis adinventionibus aut immutarunt, aut (his omninò valere juſſis) novas, & laxas quorumdam Caſuiſtarum opiniones præpoſterè ſectati ſunt, innumeris corruptelis, & ſaluti animarum planè exitioſis erroribus, à Sede Apoſtolica ſæpiùs damnatis, Moralem Chriſtianam infuſcarunt, depravarunt, adulterarunt.

II. Sed excutiamus modò, ſi placet; eademque opera refellamus principia, quibus Moliniſtæ ſtabilire ſolent ſcientiam futurorum conditionatorum, quam vocant *Scientiam Mediam*, quamque omni Dei Decreto abſoluto & efficaci anteriorem eſſe, & Deum in formandis ſui Decretis abſolutis dirigere pertendunt.

Primum ſuæ doctrinæ de Scientia Media principium accerſunt Moliniſtæ è Scriptura Sacra, videlicèt ex eo celebri teſtimonio ducto ex Cap. XI. *S. Matthæi* verſ. 21. ubi Chriſtus ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro ac Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Ex quibus verbis ſic argumentantur: Converſio Tyriorum, & Sidoniorum futura erat ſub conditione prædicationis Chriſti, ſed non erat futura vi divini Decreti abſoluti & antecedentis, quia (inquiunt Moliniſtæ) eò loci non ſimplex enuntiatur futuræ converſionis Tyriorum & Sidoniorum prædictio, ſed ibidèm Chriſtus objurgat & increpat Judæos Corozaitas, & Betzaitas comparatè ad Gentiles Tyrios & Sidonios. Hæc autem relativa Chriſti increpatio vana & iniqua fuiſſet, ſi converſio Tyriorum, & Sidoniorum eſſet futura vi Decreti abſoluti & antecedentis. Ut enim juſta ſit ac legitima objurgatio, ſeu reprehenſio unius præ alio, neceſſe omninò eſt, ut ex utraque parte ſupponantur æqualia ſalutis Media; alioquì ille, qui minora ſalutis accepiſſet auxilia juſtè increpari haud poſſet comparatè ad alium, qui

qui majora obtinuiſſet ſalutis auxilia, meritòque reponere poſſet, ſe injuſtè redargui, quòd id, minori prædictus auxilio, non egerit, quod alter, majori ac potentiori adjutus auxilio feciſſet: Atqui, in exemplo adducto Judæorum, & gentilium Tyriorum ac Sidoniorum, non erant (in ſententia Thomiſtarum) paria & æqualia media ſalutis: volunt enim Thomiſtæ, nullum pro converſione, & æterna ſalute Judæorum fuiſſe Decretum Dei efficax & abſolutum, quod tamen fuiſſet in gratiam gentilium Tyriorum, & Sidoniorum, ſi Chriſtus fuiſſet illis annunciatus.

Hanc ergò (concludunt Moliniſtæ) excuſationem obtendere Judæi non immeritò potuiſſent, proindèque, ne vana, deriſoria, & iniqua, ſed ſeria, juſta, ac legitima habeatur hæc Chriſti increpatio, neceſſario dicendum eſt, Chriſtum Dominum cognoviſſe converſionem conditionatè futuram Tyriorum ac Sidoniorum per Scientiam Mediam, quæ præcedit omne Decretum abſolutum, & efficax, ſicut Schola Moliniana docet, illam verò converſionem conditionatè futuram Tyriorum, & Sidoniorum non cognoviſſe in ſuo Decreto abſoluto ex parte ſubjecti, & conditionato ex parte objecti, ut pertendunt Scholę Thomiſticæ Theologi.

Aſt iſtud principium (quod Scientiæ Mediæ patronis magnificare ſolenne eſt) tribus potiſſimùm momentis, quæ hìc perſtringam, penitùs evertunt Thomiſtæ. In primis ajunt, Moliniſtas, dùm altiora ſe quærunt, per prærupta incedere, & in eos ſe induere laqueos, quos aliis inſtruunt, cùm iſtud argumentum proponant, quod non minùs eis, quàm Thomiſtis eſt omnind ſolvendum At enim, ſtante Scientia Media, injuſtè Judæi, præ Tyriis, videntur increpari, quia licèt Moliniſtæ doceant, Judæos, & Tyrios pari phyſicè Gratia fuiſſe præventos, non tamen negant, Judæos, & Tyrios longè fuiſſe diſpares moralitèr & in ratione beneficii, quia Tyriis decreverat Deus conferre auxilia efficacia congrua, ſeu (ut ait *Vaſques*) conſentanea eorum ingenio, & corporis atque animi affectibus; vel (ut cenſet *Suares*) decreverat Deus collocare Tyrios in his locis, temporibus, & circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam præviderat, eos infallibiliter conſenſuros, & Gratiam verſatilem, ſibi à Deo oblatam, per ſuum conſenſum reddituros efficacem. Contrà verò Deus (juxta defenſorum Scientiæ Medię Syſtema) ſtatuerat denegare Judæis Gratiam congruam, ideſt, decreverat Deus, Judæos (nulla habita ratione eorum affectuum) conſtituere in his locis, circumſtantiis & temporibus, in quibus prævidebat, Judæos Gratiæ verſatili, ſibi oblatæ, diſſenſuros, eamque per ſuum diſſenſum incongruam reddituros.

Hoc autem ſemel poſito Scientiæ Mediæ Syſtemate, ſic Judæi Chriſto eos objurganti, quòd pænitentiam non egiſſent, actutùm reſpondere potuiſſent: *Domine, ſi nobis dediſſes gratiam congruam, attemperatam videlicèt ingenio noſtro, temperamento, indoli, noſtriſque tàm animi, quàm corporis affectibus; vel ſi nos poſuiſſes in talibus circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus per ſcientiam Mediam prævideras, nos pænitentiam acturos, eam profectò egiſſemus, ſicut eam reipſa acturi fuiſſent Tyrii & Sidonii, quibus decreveras dare Gratiam congruam, ideſt accommodatam eorum genio, indoli, temperamento, & affectibus, illoſque collocare in opportunis iſtis circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus Scientiam per Mediam prævideras, illos pænitentiam acturos ex hypotheſi quòd apud eos factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt apud nos. Cùm igitùr, Domine, ab æterno decreveris hanc Gratiam congruam, ad actualem pænitentiam agendam prorſùs neceſſariam, nobis denegare; quorſùm nos, quòd pænitentiam non egerimus, increpas præ Tyriis & Sidoniis, quibus, ad peragendam pænitentiam, decreveras Gratiam congruam impertiri, ſi apud illos fuiſſes annunciatus Certè, injuſta, vana, & illuſoria eſt increpatio tua, cùm nos tàm in præparatione, quàm in receptione hujuſce Gratiæ congruæ tam im-*

pares, & inæquales ſimus. Viden, dilectiſſime diſcipule, præcipuum iſtud argumentum, cui Molinistæ totam Scientiæ ſuæ Mediæ molem ſuperſtruunt, infirmum eſſe, caducum, & ruinoſum, atque in illos facili negotio retorqueri poſſe.

Prætereà, ad infringendum iſtud Moliniſtarum argumentum, reſpondent Thomiſtæ, ut juſta ſit delinquentis increpatio, tria eſſe neceſſaria. Primò, ut inſtet adimplendum aliquod officium. Secundò, ut ille tale officium debeat implere. Tertiò, ut illud poſſit implere. Porrò, Judæi non poterant juſtam obtendere ſuæ pertinaciæ & obſtinationis excuſationem Inſtabat quippe tempus, quo pænitentiam agere debebant, eamque peragere poterant per gratias ſufficientes, quæ conferebant illis (in ſenſu Thomiſtico) veram, proximam, & expeditam poteſtatem pænitentiam agendi, ita ut ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, nihil deeſſet.

Non habuerunt quidem Judæi Gratiam per ſe efficacem, cujus beneficio pænitentiam agerent, ſed quòd Gratia per ſe efficaci caruerint, & reipſa pænitentiam non egerint Judæi, id non Deo, ſed ſibimetipſis tribuere debent. Deus quippe (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis ſæpiùs dixi) dùm peccatoribus, proindeque Judæis, dat Gratias ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, quæ conferunt veram, proximam, & expeditam poteſtatem pænitentiam agendi, paratus eſt ex ſe impertiri illis Gratias per ſe efficaces, quarum ope converterentur, & agerent pænitentiam, niſi illi propria malitia, obſtinatione, & induratione cordis, Gratiis ſufficientibus reſiſterent, & receptioni Gratiæ per ſe efficacis, ſcientes ac volentes, data opera obicem & impedimentum ponerent. Judæi itaque meritò culpabiles fuerunt, quòd Gratiis ſufficientibus, ſibi à Deo conceſſis, per quas habebant veram, proximam, & expeditam potentiam ſeſe convertendi, & pænitentiam agendi, propria culpa reſtiterint, eiſque majus appoſuerint impedimentum, quàm Tyrii & Sidonii (ſi Chriſtus illis annuntiatus fuiſſet) oppoſuiſſent: *Non erant* (inquit *Sanctus Auguſtinus* libro *De Dono Perſeverantiæ* cap. 14.) *ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum ac Sidoniorum: quoniàm credidiſſent, ſi qualia viderunt iſti*, ſeu Judæi, *ſigna vidiſſent*.

Culpa igitur Judæorum fuit, quòd Gratiis ſufficientibus, ſibi datis, per quas poterant indurationem ſuam deponere, & pænitentiam agere, pertinacibus animis reſtiterint, ac propria culpa aditum præcluſerint receptioni Gratiæ per ſe efficacis, quam, ad pænitentiam agendam, & ad actualem illorum converſionem, Deus ex ſe paratus erat illis ſuppeditare. Ut enim *S. Thomas* lib. 3. contra Gentes cap. 159. egregiè docet: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit: poteſt tamen ſe ipſum impedire ne eam recipiat..... Et cùm hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni..... Sicùt ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit niſi lumine ſolis præveniatur*.

Denique, Thomiſtæ ex hoc principio, quo Moliniſtæ ſuam de Scientia Media doctrinam pro viribus ſuffulcire ſatagunt, multa ſequi abſurda & incommoda pertendunt. At enim, poſito ſemel illo Moliniſtarum principio, dicendum eſt neceſſariò, Deum ideò, antè ſuum Decretum efficax de converſione Tyriorum & Sidoniorum, cognoviſſe eorum converſionem conditionatè futuram, &, verſa vice, perſpectam habuiſſe obſtinationem Judæorum conditionatè futuram, quia Deus per Scientiam Mediam, anteriorem omni Decreto, prævidit, quòd Gentiles Tyrii, & Sidonii Gratiam, ſibi oblatam, verſatilem, indifferentem, & eorum libero permiſſam arbitrio reddituri eſſent congruam, & efficacem per bonam ſuam determinationem, & liberi arbitrii conſenſum; Judæi verò è diverſo eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem red-

reddituri eſſent inefficacem, & incongruam per ſuum diſſenſum, ſeu per ſuam reſiſtentiam, obſtinationem, & malam determinationem.

Hac autem ſemèl admiſſa Moliniſtarum hypotheſi, vide, quæſo, quot indè ſequantur abſurda. Sequitur enim, Tyrios & Sidonios fuiſſe ſupremos bonæ ſuæ determinationis dominos, eamque non à Deo, ſed à ſe ipſis accepiſſe. Sequitur, Tyrios & Sidonios per bonam ſuam determinationem præcipuas partes in negotio ſuæ ſalutis ſibi vindicare potuiſſe, perfectioreſque evaſiſſe Gratia verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblata, quia ejuſmodi Gratia cùm vim non haberet determinandi ad bonum eorum voluntates, ipſi propria ſua bona determinatione illam reddiderunt efficacem, & idoneam ad benè operandum. Sequitur etiam, Tyrios, & Sidonios per bonam ſuam determinationem ſe diſcreviſſe à Judæis, qui eadem Gratia verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblata, malè uſi ſunt, eamque per ſuum diſſenſum reddiderunt inefficacem & incongruam. Demùm ſequitur, Tyrios & Sidonios ſpem ſalutis ſuæ non in Deo reponere debuiſſe, ſed in ſolo ſuo libero arbitrio, quia cùm ipſi ſoli eſſent ſupremi bonæ ſuæ determinationis domini, & in ejus productione à Deo independentes, ſoli itidèm fuiſſent auctores boni uſus Gratiæ, pro quo non debuiſſent Deo grates rependere, quia hunc bonum uſum Gratiæ non à Deo, ſed à ſola ſuæ voluntatis determinatione accepiſſent. Verbo dicam, omnia abſurda & incommoda, quæ in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi effluere ex Gratia verſatili, indifferenti, & permiſſa libero hominis arbitrio, conſequuntur paritèr ex iſto principio, quo Moliniſtæ probant, Deum per Scientiam Mediam, quæ antevertit omne Decretum efficax, cognoviſſe converſionem Tyriorum & Sidoniorum conditionatè futuram, ſi illis fuiſſet annuntiatus.

III. Alterum principium, quo nituntur Moliniſtæ probare, Deum non cognoſcere futura conditionata in ſuo Decreto, ſed per Scientiam Mediam, quæ antecedit omne Decretum, latè proſequitur *Gabriel Daniel* in Epiſtola IX quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, in qua probandum ſuſcipit, *S. Auguſtino* cognitam & probatam fuiſſe Scientiam Mediam, omni Dei Decreto ſoluta, & cujus ope cognoſcit Deus futura conditionata. Omnia prædicti Scriptoris Moliniani argumenta hìc brevitèr, quoad ejus fieri poterit, diluam, & evincam nullum prorsùs Scientiæ Mediæ in Operibus *Sancti Auguſtini* reperiri veſtigium.

Et primò quidèm, ſic in Epiſtola, mox à me laudata argumentatur P. Daniel: *Non venit in controverſiam, utrùm futurorum conditionatorum ſcientiam agnoverit Auguſtinus? an, verbi gratia, perſuaſum habuerit Deo exploratam fuiſſe hujus veritatem propoſitionis: Si ediviſſem Sidone miracula, converſi fuiſſent Sidonii. Eò recidit igitur omnis veſtros Theologos* (idest, Thomiſtas) *inter & Jeſuitas quæſtio, an docuerit Auguſtinus, earum Propoſitionum* (ſeu conditionalium) *veritatem cognitam Deo fuiſſe vi Decreti alicujus, aut ſine ullo Decreto? Nam ſi eas ope Decreti cujuſquam cognitas Deo fuiſſe putavit Auguſtinus, Scientiam Mediam rejecit, aut neſcivit: quia, ut dixi, in hoc à Thomiſtis Jeſuitæ diſcrepant, quòd Thomiſtæ Decretum præire velint Scientiæ Conditionalium, eamdem verò Jeſuitæ omni ſolutam Decreto & liberam eſſe pugnent. Ego te hìc appello* (alloquitur noſtrum *Natalem Alexandrum*) *oſtende, ſi potes, vel unum in Auguſtino toto locum, ubi ſecundùm vos* (idest, Thomiſtas) *dixerit ſententiam, & Deo iſtas Propoſitiones conditionales cognitas eſſe alicujus Decreti beneficio declaraverit. Crebram de pænitentia Sidoniorum à Chriſto prævиſa, ſi miracula Sidone patraviſſet, mentionem fecit Auguſtinus: Cedo, ubi dixerit, Deum veritatem hanc vi Decreti cujuſpiam cognoviſſe: ſi nihil unquàm dixit hujuſmodi, audes illum* (ſeu S. Auguſtinum) *veſtri Syſtematis patronum aut parentem nominare? Jeſuitarum verò hæc eſt oratio: Decretum hoc neque in Scriptura, neque in Auguſtino exprimitur; cur illud ad-*

mitta-

mittamus? Pergunt: igitur ſcientia veritatum conditionalium in Scriptura & Auguſtino Decreti Dei eſt omnis expers: igitur in Sacra Scriptura & Auguſtino Scientia Media reperitur.

Verùm, iſtud primum Patris *Danielis* argumentum jam abundè ſolutum manet ex his, quæ in mea ſuperiori Epiſtola dixi. In ea quippè oſtendi primò, *S. Auguſtinum* apertè docere, Deum non per Scientiam Mediam, omni Dei Decreto anteriorem, ſed in ſuo Decreto cognoſcere futura conditionata, eumque in ſuo Decreto, & non per Scientiam Mediam, cognoviſſe converſionem Tyriorum, & Sidoniorum, quæ erat tantùm conditionatè futura, necnon aliud futurum conditionatum, de quo Aquilinus ille Doctor fuerat à *S. Hilario* interrogatus, & de quo ipſemet *Sanctus Auguſtinus* mentionem fecit in libro, quem edidit, *De Sex Quæſtionibus Paganorum*. Profectò, ſi in Operibus *S. Auguſtini* ſimilem locum ad aſtruendam Scientiam Mediam nactus fuiſſet *Gabriel Daniel*, quot, bone Deus! triumphos egiſſet, quàm elato ſupercilio Thomiſtis inſultaſſet! quantis palmis adornaſſet *Molinam*, qui tamen jactat, ſe eſſe inventorem Scientiæ Mediæ, eamque Scientiam *Sancto Auguſtino* fuiſſe penitùs ignotam. Neſcio igitùr, qua fiducia potuerit Pater *Daniel* aſſerere, *S. Auguſtinum crebram, de Tyriorum ac Sidoniorum pœnitentia mentionem feciſſe, & tamen nullibi dixiſſe, Deum hanc pœnitentiam & converſionem Tyriorum & Sidoniorum conditionatè futuram vi cujuſpiam Decreti cognoviſſe*.

Sanè, ut obitèr dicam, neceſſe eſt ut *P. Daniel*, dùm fidentèr aſſerit, ſe in Operibus *Sancti Auguſtini* non offendiſſe, ſeu non reperiſſe Thomiſtarum doctrinam de Decreto, in quo Deus futura conditionata cognoſcit, ſed potiùs in libris Sancti illius Doctoris, inveniſſe, vidiſſe, & legiſſe ipſiſſimam Scientiam Mediam, omnis Decreti Dei expertem; neceſſe eſt, inquam, ut Molinianus ille Scriptor, falſa evidentiæ imagine deluſus, in duas cæcitates inciderit, videlicèt eum vidiſſe in Operibus *Sancti Auguſtini* ea quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt, nimirùm Scientiam Mediam, cujus certiſſimè in libris *S. Auguſtini*, ne vola quidèm vel minimum extat veſtigium, eumque in Operibus *Sancti Auguſtini* non vidiſſe ea quæ ſunt, videlicèt Thomiſtarum doctrinam De Decreto, in quo Deus certò cognoſcit futura conditionata; quæ tamen Thomiſtarum doctrina (ſicut latè in ſuperiori mea Epiſtola evici) diſertè in Operibus *S. Auguſtini* expreſſa invenitur.

Prætereà, *P. Daniel* non ſibi conſtat, & haud mediocrem *S. Auguſtino* irrogat injuriam. Contendit enim Molinianus ille Scriptor, *S. Auguſtino* notam fuiſſe & probatam Scientiam Mediam, quantùm ad ſubſtantiam, & uſum, juxta quem nunc Moliniſtæ eam in ſuis Scholis defendunt, quamvis idem *S. Auguſtinus* hanc Scientiam Mediam rejecerit ac reprobarit quantùm ad varios abuſus, quibus hæretici Semipelagiani eam deturpabant. Deindè, fatetur *P. Daniel*, nunquàm *S. Auguſtinum*, contrà Semipelagianos diſputantem, uſum fuiſſe Scientia Media ad conciliandam humanam libertatem cum Gratia Dei. Quid ergo? *S. Auguſtinus* (judice *Gabriele Daniele*) cognovit & probavit Scientiam Mediam (quam, ad ineundam liberum hominis arbitrium inter & Gratiam Dei concordiam, pertendunt Moliniſtæ omninò neceſſariam eſſe) & tamen S. ille Doctor, fatente eodem Patre *Daniele*, nunquam hac Scientia Media, diſputando contra Semipelagianos, uſus eſt? Profectò, ſi ita ſit, *Auguſtinus* detentæ veritatis reus eſt, quippè qui, cùm ope Scientiæ Mediæ potuiſſet facili negotio conciliare liberum hominis arbitrium cum Gratia Dei, ſicque Semipelagianos à ſuis erroribus ad Catholicam Fidem revocare; conſultò tamen concordiam & convenientiam iſtorum de Gratia, de Prædeſtinatione, & de libertate hominis dogmatum cum Scientia Media nullibi aperuit, & ſuo intempeſtivo ſilentio auctor fuit omnium tumultuum, diſſidiorum, & malorum, quibus Eccleſiam exagitarunt Semipelagiani.

Poteſtne, amabo, quidquam dici,

quod

quod *Sancto Auguſtino*, ſummo Eccleſiæ Doctori, ſit magis injurium? Sed ea de re memini plura me dixiſſe in ſuperiori Epiſtola, & in alia, quam ad te ſcripſi, quæque in prima mearum Epiſtolarum Claſſi eſt ordine ſeptima, ubi ſat prolixè commonſtravi, Scientiam Mediam, quæ nunc in Schola Moliniana defenditur, non altiùs repetendam eſſe, quàm à temporibus *Fonſecæ*, vel *Molinæ*, eamque nec *Sancto Auguſtino*, nec ejus diſcipulis *Proſpero*, *Fulgentio*, *Hilario*, *Remigio*, *S. Thomæ Aquinati*, nec antiquis Theologis notam fuiſſe, nec denique eam uſurpatam eſſe à Patribus Concilii Tridentini in dirimendis contra hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas controverſiis de Libero Arbitrio, de Gratia, & de Prædeſtinatione.

Non nego tamen Scientiam Mediam, à Semipelagianis multis deformatam erroribus, fuiſſe antiquitùs *Sancto Auguſtino*, ejuſque diſcipulis apprimè notam, & ab illis damnatam & improbatam, atque eo in ſenſu dici poſſe, Scientiam Mediam antiquam eſſe; hoc certè non nego: ſed hoc unum dumtaxàt dico, Scientiam Mediam (ſicut nunc docetur in Schola Moliniana) novam eſſe, à *Fonſeca*, vel *Molina* non ita pridèm excogitatam, eamque ſubindè *S. Auguſtino*, & *S. Thomæ* nec notam, nec probatam fuiſſe. Cùm enim Sanctiſſimi illi duo Doctores tam multa, tam variis in locis diſputaverint de Præſcientia Dei, de prædeſtinatione, de concordia Gratiæ cum libertate, deque aliis hujuſmodi quæſtionibus, quæ (ſicut Moliniſtæ contendunt) nec intelligi nec explicari poſſunt abſque ope Scientiæ Mediæ; nullibi tamen eam adhibuerint. Certè, eorum hac in re ſilentium, ſignum & argumentum evidens eſt, Sanctos illos Doctores hanc Scientiam Mediam (qualis nunc in Schola Moliniana docetur) minimè probaſſe. Abſurdum quippè eſt exiſtimare, utrumque Sanctum Doctorem de induſtria voluiſſe hanc Scientiam Mediam altiſſimo prætermittere ſilentio, ſi eam aut neceſſariam, aut utilem judicaſſent. Veſtram fidem quicumque ſani rerum æſtimatores eſtis!

Verùm, his *Gabriel Daniel* non acquieſcit, ſed in Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* in omne latus ſeſe verſat, ut Scientiam Mediam in Operibus *Sancti Auguſtini* expiſcari poſſit. Sic autem argumentatur: *Auguſtinus* Cap. I. libri 22. *de Civitate Dei, ſic loquitur de primi parentis peccato*: *Deus* (inquit) *cùm prævaricatione Legis Dei per Dei deſertionem peccaturum hominem eſſe preſciret, nec illi ademit liberi arbitrii poteſtatem, ſimul prævidens, quid boni de malo ejus eſſet ipſe facturus. En* (proſequitur P. Daniel) *proſpiciens Deus peccaturum hominem, ſi eum libero condat præditum arbitrio: & ſimul prævidens, ſi eumdem peccare patiatur, futurum ut ex hoc peccato majus emolumentum providentia ſua eliciat, hoc ubi vidit Deus, Decretum de homine creando & donanda ipſi libertate facit.* Et (poſt pauca interjecta) idem *Gabriel Daniel*, totus ovans, & quaſi in his *S. Auguſtini* verbis Scientiam Mediam radiis ſolaribus deſcriptam vidiſſet, manibuſque palpaſſet, exclamat: *Quid id eſt porrò, niſi purum putumquè Scientiæ Mediæ Syſtema eſt? in quo enim conſiſtit illud, niſi in hoc uno, ut dicatur Deus in eo, de quo agitur, Decreto, directus iſta cognitione conditionali fuiſſe*: Si Luciferum, & Adamum creo, ſi liberam ipſis arbitrii poteſtatem relinquo, illa utentur ad peccandum: at ſi patior illos peccare, plurimum indè orietur boni, *igitur* (concludit Gabriel Daniel) *hac nuda & ſimplici expoſitione, ut mihi quidèm videtur, habemus uſum Scientiæ Mediæ in Auguſtino clariſſimè demonſtratum*. Hactenùs *Gabriel Daniel*, cui illud Poetæ jure accomodes: *Et magna peragit ſedulitate nihil.*

Ut autèm faciliùs intelligas, quàm infirmo tibicine nitatur iſtud argumentum, quod tamen, ad aſtruendam ex *Sancto Auguſtino* Scientiam Mediam, P. *Daniel* principii loco ponit; ſedulò advertere debes, Deum præſcire (juxta doctrinam S. Auguſtini) omnia futura ſive bona, ſive mala cum hoc tamen diſcrimine, quòd omnia bona, ſive abſolutè, ſive conditionatè futura, præſcit

Deus

Deus in ſuo Decreto poſitivo & effectivo: *prædeſtinatione quippè Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*: ait *S. Auguſtinus* cap. 10. lib *De Prædeſt. Sanctorum*. Mala autem, ſeu peccata, Deus (juxtà *Sanctum Auguſtinum*) præſcit non in ſua prædeſtinatione, ſeu in ſuo Decreto effectivo (cùm Deus peccata non faciat) ſed ea præſcit in ſuo Decreto permiſſivo, quia, ut inquit *S. Auguſtinus* cap I lib *de Dono Perſeverantiæ*, & paſſim alibi: *Nihil fit* (ſubindeque nihil futurum eſt) *niſi quod Deus aut ipſe facit, aut fieri permittit*. Falsò itaque aſſerit P. *Daniel*, Deum, antequàm crearet Adamum, fuiſſe (juxtà doctrinam *Sancti Auguſtini*) directum iſta cognitione conditionali: *Si Adamum creo, & ei liberam arbitrii poteſtatem relinquo, illa utetur ad peccandum: at ſi patior illum peccare, plurimùm indè orietur boni; quod poſtquàm prævidit Deus* (inquit P. *Daniel*) *Decretum ſuum de primo homine creando, & donanda ipſi libertate facit*; falsò, inquam, aſſerit P. Daniel, *S. Auguſtinum* docuiſſe, Deum præſciviſſe per iſtam cognitionem conditionalem futurum peccatum Adami, & ex eo plurimum boni oriturum. Id profectò nunquàm venit in mentem *S. Auguſtini*, qui pluribus in locis apertiſſimè docet, Deum cognoſcere peccata hominum in ſuo Decreto permiſſivo, quo videlicèt Deus hominum peccata (ideſt, juxta eorum malitiam) permittit, ut indè plura eliciat bona. Sic Deus permiſit peccatum Adami, & ex eo multa elicuit bona, præcipuè opus redemptionis noſtræ præponderans omni maio culpæ, hinc canit Eccleſia: *Felix Adæ culpa, quæ talem meruit habere redemptorem*.

Sic Deus permiſit ſcelus Judæorum, qui Chriſtum Dominum crucifixerunt, ſicut teſtantur Apoſtoli Actorum cap. 4. ubi de peccato Judæorum ſic loquuntur: *Convenerunt verè in civitatem iſtam adversùs Sanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes, & Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*, ideſt, ipſum crucifigere. Permittit etiam Deus peccata, quatenùs ſi cùm fiunt à peccatore contra voluntatem Dei, ipſe tamen de illis peccatis, in illis, immò per illa, ſuam implet voluntatem, vel ſanando per miſericordiam, vel puniendo per juſtitiam, vel ex ipſis magna bona procurando, vel denique ob alios fines nobis ignotos; nec enim Divinæ Providentiæ altitudinem mens humana comprehendere valet. Nunquàm igitur *S. Auguſtinus* docuit, Deum cognoviſſe, *Luciferum, & Adamum* peccaturos, per illas conditionales cognitiones (quas cum Moliniſtis commentus eſt *Gabriel Daniel*) ſed perpetuò docuit *S. Auguſtinus*, Deum in ſuo Decreto permiſſivo cognoviſſe futurum Luciferi & Adami peccatum, & ideò cap XI. lib. *Enchiridion* ait: *Deus non fineret aliquod malum eſſe in ſuis operibus, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, ut etiam benè faceret de malo*.

Ait etiam idem Aquilinus Doctor pluribus in locis, Deum permittere pariter, ut juſti & prædeſtinati in peccata venialia, & aliquandò lethalia, labantur, ut ſuam indè agnoſcentes infirmitatem, cautiores evadant, humiliores, ac vigilantiores. Denique, *S. Auguſtinus*, dùm lib. *de Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 10. ait: *Prædeſtinatio non poteſt eſſe ſine præſcientia, poteſt tamen eſſe præſcientia ſine prædeſtinatione*, ſtatim ſe ipſum explicat, dicens, præſcientiam futurorum bonorum, quæ Deus facturus eſt, non eſſe ſine prædeſtinatione, hoc eſt, non eſſe ſine abſoluto & effectivo Dei Decreto: præſcientiam verò peccatorum, eſſe ſine prædeſtinatione, ideſt, ſine effectivo Dei decreto, quia Deus à peccatis ſummè abhorret, utpotè quæ divinæ ejus bonitati & æternæ legi adverſantur, eaque ſubindè non facit, ſed tantùm permittit ſuo decreto permiſſivo: *Prædeſtinatione* (ſeu decreto effectivo) *Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus, præſcire autem poteſt quæcumque non facit, ſicut quæcumque peccata*.

IV. Ex quibus verbis duplex colligo argumentum, quo evidenter probatur, *Sanctum Auguſtinum* non admiſiſſe Scien-

Digitized by Google

Scientiam Mediam, qualem nunc in ſuis Scholis propugnant Moliniſtæ. Primum argumentum iſtud eſt: Moliniſtæ docent, Deum per Scientiam Mediam (quam dicunt eſſe anteriorem omni decreto) præſcire, ſeu prævidere futura conditionata, quæ pertinent ad rationem boni, videlicèt conſenſum conditionatè futurum, quem voluntas humana præbitura eſt Gratiæ verſatili & indifferenti in his, vel illis circumſtantiis, eamque redditura eſt efficacem: Atqui *S. Auguſtinus* conceptis verbis contrarium docet, aitque, præſcientiam, qua Deus cognoſcit omnia futura, quæ pertinent ad rationem boni, ſemper eſſe conjunctam cum Prædeſtinatione, ſeu cum decreto effectivo; igitur S. Auguſtinus aut non novit, aut certè improbavit Scientiam Mediam, per quam Deum antecedentèr ad omne decretum cognoſcere bonum voluntatis humanæ conſenſum conditionatè futurum, pertendunt Moliniſtæ. Si enim verum ſit, quod dicit *S. Auguſtinus*, videlicèt *Deum Prædeſtinatione* (ſeu decreto effectivo) *ea præſcire, quæ fuerat ipſe facturus*, actum planè eſt de Scientia Media, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) ſupponit, Deum antecedenter ad omne decretum præſcire futura conditionata, videlicèt conſenſum conditionatè futurum, quem voluntas humana, in his, vel illis circumſtantiis poſita, Gratiæ verſatili & indifferenti eſt præſtitura.

Alterum argumentum ſic propono: Deus (juxtà doctrinam *S. Auguſtini*) futura hominum peccata, ſubindèque Luciferi, & Adami peccatum, cognoſcit non in ſuo decreto effectivo, quia ea non facit, ſed in ſuo decreto permiſſivo, quo finit, ut illa fiant, multa indè procuraturus bona; ergò ex *S. Auguſtino* Deus cognovit peccatum Luciferi, & Adami, non per Scientiam Mediam, non in illis cognitionibus conditionalibus, quas cum Moliniſtis fingit *Gabriel Daniel*, ſed Deus cognovit peccatum Luciferi, & Adami, in ſuo decreto permiſſivo, ſicut, poſt Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam* docet Schola Thomiſtica.

V. Jam verò confutare hic debeo inſignem calumniam, qua *Gabriel Daniel* in eadem Epiſtola nona ad noſtrum *Natalem Alexandrum* onerat Thomiſtas, dicens: *Si Thomiſtarum doctrina imbutus fuiſſet Auguſtinus, ita contexuiſſet ſermonem: Deus cùm haberet in promptu, & in potentiæ ſuæ theſauris videret, quo pacto Luciferum determinaret ad ſuperbiam, Adamum ad vetiti fructus eſum, futurumque cerneret, ut, ſi eos conderet, vellet iiſdem ejuſmodi determinationes dare, quæ certiſſimam cum illius ſuperbia, & hujus inobedientia habent conjunctionem; Decretum de utroque creando, & ad iſtos actus determinando fecit, ut indè majora bona eliceret.*

Hanc calumniam, quam *Gabriel Daniel* impingit Thomiſtis, quaſi docerent, Deum per ſuum Decretum permiſſivum, in quo futura hominum in ſtatu naturæ lapſæ peccata cognoſcit, determinare voluntatem creatam ad formale, ſeu ad malitiam peccati, abundè jam dilui in Epiſtola, quam ad te ſcripſi, quæque in prima Epiſtolarum mearum claſſe eſt ordine quarta, ibi quippè oſtendi, nunquàm ſomniaſſe Thomiſtas, Deum determinare voluntatem creatam ad formale, ſeu ad malitiam peccati; ſed tantùm ad materiale peccati, quod eſt ens, ſubindèque à Deo, qui eſt cauſa prima univerſalis efficiens omne ens, producendum; ſolam verò creaturam eſſe cauſam deficientem formalis, ſeu malitiæ peccati, quia, ſicut Deus eſt prima cauſa efficiens, ita creatura eſt primum deficiens; & ideò, licèt creatura non ſit ſibi prima cauſa efficiendi, ſibi tamen eſt prima cauſa deficiendi, quovis tandèm modo id explicetur.

Quò fit, ut ſi ſpectetur actio, qua parte mala eſt, priùs ſit à creatura, quæ ex nihilo facta eſt, & in nihilum ſuapte natura tendit; nec Deus ad materiale peccati influat, niſi quia creatura ſic exigit, utpote quæ in ſtatu naturæ lapſæ paſſionibus, ac vitioſis habitibus corrupta, malum ſub ratione boni apprehendit, quod pertinet ad defectum intellectus & rationis, ſed in Deum, tan-

quàm

Digitized by Google

quàm in cauſam refundi minimè debet ; ſicut, Exempli causâ, ſi in horologio, quod artificioſiſſimè compoſitum eſt, & juxtà regulas artis ab opifice movetur, in ipſo uſu & exercitio talis motus incidat aliquis defectus ortus ex parte materiæ, profectò talis defectus ſoli materiæ horologii tribuetur, non verò artifici eam moventi, quamvis tamen artifici tribuetur quidquid boni & artificioſi eſt in tali machina ejuſque motu. Cùm igitùr creatura ſit prima cauſa deficiens, quamvis Deus, tanquàm cauſa efficiens, eam moveat, & determinet ad materiale, ſeu ad actionem peccati, jure optimo dici poteſt, hanc Dei motionem circà materiale, ſeu circa actionem peccati, eſſe in uno ſenſu *Prædeterminationem*, & *prædefinitionem*, ſed in alio ſenſu poſſe itidèm dici, eam eſſe *poſtdeterminationem*, & *poſtdefinitionem*.

Nam ſi ſpectes in materiali, ſeu in actu peccati, id præcisè quod eſt ens, ſubindequè bonum; cùm omne bonum in Deum, ut in primum fontem, reduci debeat, ſic rectè dicitur, hoc bonum, qualecumque ſit, eſſe à Deo, & ab æterno prædefinitum, & in tempore prædeterminatum. At, ſi ſpectes peccati actum formalitèr, quatenùs videlicèt adjunctum habet defectum; cum omnis defectus in effectu (ſecundùm Thomiſtas) ſit ex defectu cauſæ ſecundæ, ſic in cauſam creatam, quæ ſola defectiva eſt, tanquàm in primam radicem, reducitur, & ideò, quod hic & nunc actus cum aliquo defectu ponatur, quodque talitèr futurus à Deo decernatur, ſupponit aliquid ex parte creaturæ, ſeu pravum, & vitiis atque paſſionibus corruptum judicium, quo hic & nunc formale, ſeu malitiam peccati, apprehendit ſub ratione boni, quo in judicio, quatenùs defectivum eſt, ſola voluntas creata eſt prima cauſa deficiens, quæ, cùm ſit ex nihilo, in nihilum tendit, & per ſuum depravatum & corruptum judicium, quo formale, ſeu malitiam peccati, apprehendit ſub ratione boni, depravata; exigit ut Deus, tanquàm Proviſor univerſalis, & cauſa efficiens omnium entium, eam determinet prævié ad materiale peccati, ſeu ad actionem, quæ in ſe præcisè ſpectata, bona eſt, quia ſine hac prævia Dei determinatione ad materiale peccati, nunquàm creatura, ſe ſola, produceret illam actionem, quæ, in ſe ſpectata, eſt bona, & cui tantùm ex defectu voluntatis creatæ eſt malitia, ſeu deformitas peccati.

Decretum itaque, in quo Deus cognoſcit futura peccata hominum in ſtatu naturæ lapſæ, eſt ſimùl permiſſivum & effectivum; permiſſivum quidèm, quia Deus priùs permittit, ut creatura, quæ, ratione ſuæ conditionis, eſt prima cauſa deficiens, reverà deficiat, dum per ſuum judicium, vitiis & paſſionibus corruptum, malitiam, ſeu formale peccati apprehendit ſub ratione boni; ſed idem Decretum Dei eſt etiam effectivum, quia, poſtquàm permiſit Deus, ut priùs creatura deficeret, apprehendendo formale, ſeu malitiam peccati, ſub ratione boni, eodem Decreto vult Deus, &, tanquàm proviſor univerſalis, ſtatuit determinare & movere voluntatem creatam juxta ipſius exigentiam ad materiale peccati, ſeu ad actionem, quæ, in ſe præcisè ſpectata cùm ſit bona, debet neceſſariò produci à Deo per influxum prævium & phyſicum. Cùm igitur Deus non influat in materiale peccati, niſi poſtquàm permiſit, ut voluntas creata, quæ eſt prima cauſa deficiens, reverà deficeret, apprehendendo formale, ſeu malitiam peccati, ſub ratione boni, nulla ratione dici poteſt, Deum determinare voluntatem creatam ad formale, ſeu ad malitiam peccati; ſed contrà, Deus jure optimo peccatori dicere poteſt : *Servire me feciſti iniquitatibus tuis : Perditio tua ex te*.

Fateor tamen, hanc rationem, quam mox adduxi, ad probandum, voluntatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ eſſe ſolam cauſam malitiæ peccati, quia voluntas hominis in ſtatu naturæ lapſæ apprehendit per ſuum judicium, vitiis & paſſionibus depravatum, malitiam peccati ſub ratione boni; fateor, inquam, hanc

hanc rationem locum non habere in peccato Luciferi, & primi hominis innocentis. Cùm enim tam in Lucifero, quàm in Adamo innocente, natura intellectualis eſſet ſana, nullus prorsùs erat in Lucifero, & in Adamo præcedens habitus vitioſus, aut paſſio pervertens rationis judicium; undè (ſicut optimè obſervat *S. Thomas* I. parte Quæſt 63. Art. I. ad 4.) peccatum in Lucifero, & in Adamo innocente non fuit ex judicio errante, apprehendente ut bonum, quod reipsa malum erat; ſed proceſſit ex judicio inconſiderato, quo aliquid in ſe bonum judicarunt eligendum, non attendendo ad præceptum ordinans illud ad bonum ſuperius divinum. Hoc autem Luciferi, & primi hominis inconſideratum judicium originem habet ex amore propriæ excellentiæ, qui quidèm amor primò non fuit in ſe malus, ſed fuit occaſio ruinæ, quatenùs primus homo, & Angeli, propriæ ſuæ excellentiæ amore nimiùm occupati, non actu attenderunt ad regulam ſupernaturalem, quæ hanc ipſorum excellentiam ſubjiciebat Deo.

Hinc primò factum eſt, ut in Adami, & Luciferi voluntate, ad ſuæ propriæ excellentiæ intenſum amorem excitata, eorumque intellectu, connivent voluntati, cæperit per deliberationem prævalere amor hujus excellentiæ, ſimulque immiſceri propriarum virium fiducia, & remitti actualis amor regulæ ac recursùs ad Deum, idque totum voluntariè & liberè, quia erat in eorum liberrima poteſtate oppoſitum facere. Hinc etiam, in Luciferi, & Adami intellectu ortum eſt finale judicium propriæ excellentiæ & non attendens ad ejus regulam, quæ illam, ut par erat, ſubjiciebat Deo. Hinc deniquè inordinato propriæ ſuæ excellentiæ amore abrepti, in peccatum ſuperbiæ proruperunt. Sic contigit Luciferi, & Adami peccatum ſuperbiæ ex eorum intellectu & propria voluntate ac libertate profectum; ſubindèque falſum eſt quod dictitat *P. Daniel*, Deum videlicèt (juxta doctrinam Thomiſtarum) per ſuum Decretum (in quo ajunt, Deum cognoviſſe Luciferi, & Adami peccatum) determinaſſe Luciferum, & Adamum ad formale, ſeu ad malitiam peccati ſuperbiæ.

Hæc eſt, inquam, pura putaque *Patris Danielis* calumnia, quia docent Thomiſtæ, Decretum, in quo Deus cognovit Luciferi, & Adami peccatum, fuiſſe permiſſivum ſimul & effectivum, fuit quidèm permiſſivum iſtud Decretum Dei, quatenùs permiſit Deus, ut Luciferus & Adamus ex judicio inconſiderato, in nimio propriæ ſuæ excellentiæ amore occupati, actu non attenderent ad regulam ſupernaturalem, quæ hanc illorum excellentiam Deo ſubjiciebat, ſicque per intenſum illum propriæ ſuæ excellentiæ amorem inſuperbirent, recederent à Deo, & ex ſua voluntate ac libertate eſſent cauſæ (utique deficientes) *formalis*, ſeu malitiæ peccati ſuperbiæ. Illud etiam Decretum, in quo Deus (juxta Thomiſtas) cognovit Luciferi, & Adami peccatum, fuit etiam effectivum, quia Deus, poſtquàm permiſit, ut Luciferus, & Adamus, nimio ſuæ propriæ excellentiæ amore delectati, ab ipſo per ſuperbiam recedere liberè voluerunt, ſtatuit (tanquàm proviſor univerſalis, & cauſa prima efficiens omnium actionum, quæ habent rationem entis) producere per influxum realem, prævium, & phyſicum hujus ſuperbiæ peccati materiale, ſeu actionem, quæ cum ſit ex ſe bona, & habeat rationem entis, debet produci à Deo per influxum realem & phyſicum; debet etiam prædicta illa peccati actio (quæ, in ſe præcisè conſiderata, eſt bona, & poſitivum ens) cognoſci à Deo in ſuo Decreto effectivo, quia (inquit *S. Auguſtinus*) futura, quæ ſunt in ſe bona, *Deus prædeſtinatione ſua* (hoc eſt, Decreto ſuo effectivo) *præſcit, quæ fuerat ipſe facturus*.

Non ergò (ſicut perſuadere vellet P. Daniel) docuit *S. Auguſtinus*, Deum cognoviſſe Luciferi, & Adami peccatum per Scientiam Mediam, ſeu per cognitiones conditionales; ſed potiùs docuit *S. Auguſtinus*, Deum Luciferi, & Adami peccatum cognoviſſe in ſuo Decre-

cre-

creto, quod erat ſimul permiſſivum, & effectivum; *permiſſivum* quidem reſpectu *formalis*, ſeu malitiæ peccati ſuperbiæ, cujus cauſæ primæ (utique deficientes) fuerunt dumtaxàt Luciferus, & Adamus; ſed idem Decretum fuit etiam *effectivum* per ordinem ad materiale, ſeu ad peccati actionem, quæ in ſe cùm bona ſit & ens poſitivum, cognoſcebatur à Deo (juxta doctrinam *S. Auguſtini*) in ſuo Decreto effectivo, ita ut quidquid in *materiali*, ſeu in actione peccati, eſt ens & bonum, tribui debeat Deo, quidquid verò mali eſt in *formali*, ſeu in deformitate peccati, id totum defectibili Luciferi & Adami arbitrio ſit adſcribendum; ſicut perito artifici non tribuitur ſi quid defectus ex conditione materiæ contingat in machina, quam fecit & movet, ſed ſolùm ei tribuitur quidquid motus in machina reperitur; tribuitur autem ſoli conditioni materiæ machinæ, utpotè defectibili, quidquid defectus in machina occurrere poteſt.

En veram ac genuinam *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam de Decreto, in quo Deus non ſolùm cognoſcit peccata hominum in ſtatu naturæ lapſæ, ſed etiam in quo cognovit Luciferi, & Adami peccatum. Ex qua utriuſque S. Doctoris clara expoſitione evaneſcit in ſumum inſignis calumnia *Patris Danielis*, aſſerentis, Thomiſtas (qui negant, Deum peccatum Luciferi & Adami cognoviſſe per Scientiam Mediam, ſeu per cognitiones conditionales) docere, Deum per ſuum Decretum, in quo cognovit Luciferi, & Adami peccatum, determinaſſe Luciferum, & Adamum ad formale, ſeu ad malitiam peccati ſuperbiæ. Proh Deum, hominumque fidem! quæ unquàm fuit calumnia, ſi hæc non eſt?

Aberrat etiam tota via à *Sancti Auguſtini* doctrina idem *P. Gabriel Daniel*, dùm in ſua jam citata Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* probandum ſuſcipit, *S. Auguſtinum* cap. 8. Libri *De correptione & Gratia*, ad oſtendendum Pelagianis, perſeverantiam in bono donum Dei eſſe, pro certo ſumere, Deum, ad formandum ſuum abſolutum Decretum de concedendo aliquibus juſtis Dono perſeverantiæ, vel de eo aliquibus juſtis denegando, dirigi per Scientiam Mediam, ſeu per cognitionem iſtam conditionalem: *Si homines iſti ultrà certum tempus vitam producant, Gratiæ jacturam facient*, eaque cognitione conditionali præeunte, Deum hæc duo diverſa Decreta condere, alterum pro ſua bonitate ſingulari: *Hunc hominem, dùm Gratia præditus eſt, volo tollere de medio, & cæleſtem gloriam, quam bona ipſius opera promerentur, impertiri*. Alterum Decretum facere Deum pro ſua juſtitia: *Volo ut iſte, quem Gratiæ jacturam facturum proſpicio, diutiùs vivat, & ubi vixerit, ac ſpoliatus gratia fuerit, æternas peccati ſui pœnas dependat*. Hac ſemel factà hypotheſi, ſic argumentatur P. Daniel: *Ex hoc toto capite octavo libri De correptione & Gratia liquidò conſtat, neque dubitari ullo pacto poteſt, quin (juxta mentem S. Auguſtini) Deus in hoc utroque faciendo altero Prædeſtinationis, altero reprobationis, Decreto, dirigatur iſta conditionali cognitione*: Si patiar, hos Chriſtianos ad certam uſque diem vivere, virtutis viam deſerent: *Atqui, quiſque Deum in ſuis Decretis ejuſmodi conditionali cognitione dirigi concedit, is planè Scientiam Mediam agnoſcit; Igitur S. Auguſtinus, cùm hoc in loco de Prædeſtinatione agebat, Scientiam Mediam cogitatione informabat*. Hactenus *P. Daniel*, qui tam, ſibi malè conſcius, nullum producit *S. Auguſtini* teſtimonium ex eo capite octavo libri *De correptione & Gratia* depromptum; &, ut lectori fucum faciat, hanc frivolam adducit ſilentii ſui cauſam: *illius capitis verba* (inquit) *non recenſeo, nec Synopſim repræſento, quia totum arbitror lectitandum illi eſſe, qui percipere ſatagat, quæ mens Auguſtini, quæ fuerit idea, cùm illud conſcriberet*.

VI. Verùm, quia *P. Daniel* nulla hìc citat *S. Auguſtini* teſtimonia, ſed tantùm dat inanes verborum ſonitus, ut in cauto lectori perſuadeat, *S. Auguſtinum* docuiſſe, Deum in formandis ſuis

De-

Decretis abſolutis de Prædeſtinatione, & Reprobatione dirigi per Scientiam Mediam, ſeu per cognitiones conditionales, Ipſe, brevitati conſulendo, germanam *S. Auguſtini* mentem ſuper hac re non diſcutiam, ſed opportuniùs eam, ut ſpero, in aperto Sole ponam in ſequentibus, quas ad te daturus ſum, Epiſtolis de Prædeſtinatione & reprobatione hominum. In his quippè oſtendam contra *P. Danielem*, nullibi *S. Auguſtinum* vel leviter inſinuaſſe, Deum, in formandis ſuis Decretis abſolutis de Prædeſtinatione & reprobatione hominum, dirigi per Scientiam Mediam, nullumque in Operibus *S. Auguſtini* extare vel minimum apicem aut veſtigium illarum cognitionum conditionalium, quas Deo, antè omne Decretum, affingit cum tota Schola ſua Moliniana *P. Daniel*.

Nec hìc etiam hærebo in diluendo alio argumento, quod idem *P. Daniel* in eadem Epiſtola nona ad noſtrum *Natalem Alexandrum* petit ex libro primo S. Auguſtini ad Epiſcopum *Simplicianum*, Quæſtione ſecunda, ubi S. ille Doctor ſic loquitur de homine, quem convertere Deus ad bonam frugem velit: *Eum ſic vocat, quomodò ſcit congruere, ut vocantem non reſpuat*. Quo poſito, ſic argumentatur *Pater Daniel: Hæc verba S. Auguſtini ſi expendamus* (inquit) *apparet omninò, Deum, antequàm faciat Decretum abſolutum de converſione hujus hominis, dirigi per Scientiam Mediam, ſeu per hanc cognitionem conditionalem: Si hominem hunc eo modo vocaverim, qui ipſi congruat, morem vocanti mihi geret.* Ergo (infert Pater Daniel) *cenſet S. Auguſtinus, Deum antequàm formet ſuum abſolutum Decretum de converſione iſtius hominis, dirigi per Scientiam Mediam, ſeu per hanc cognitionem conditionalem.*

In hoc, inquam, *P. Danielis* diſſolvendo argumento diutiùs hìc non immorabor, quia in Epiſtolis, quas ad te deinceps ſcripturus ſum, & in quibus data opera Gratiam congruam Moliniſtarum confutabo, pleniſſimè evincam, Deum non per Scientiam Mediam, ſeu per cognitionem conditionalem, ipſius Decreto abſoluto prælucentem, proſpicere futuram illam Gratiæ congruitatem, ſicut volunt Moliniſtæ, ſed Deum in ſuo Decreto abſoluto & efficaci cognoſcere hanc internam Gratiæ ſuæ congruitatem, de qua eò loci loquitur *S. Auguſtinus*; tum quia, ut ait S. ille Doctor cap. 10. libri De Prædeſtinatione Sanctorum: *Prædeſtinatione ſua* (id eſt, Decreto ſuo abſoluto & efficaci) *præſcit Deus quidquid ipſe facturus eſt*: Tum quia etiam *S. Auguſtinus* in omnibus libris, quos edidit poſt exortam Pelagianam Hæreſim, perpetuò inculcat, *Deum operari internam Gratiæ efficaciam, quæ nos inclinat, determinat ad ſe ipſum, & in nobis operatur velle & perficere pro bona voluntate ſua: Deum omnipotentiſſima Gratia ſua auferre cor lapideum; dare cor carneum, illudque trahere ad ſe ipſum: Denique, Deum habere cordium, quò ei placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, qua intùs agit, corda tenet, corda movet, & voluntatibus eorum, quas in illis ipſe operatur, trahit.*

Quid, amabo te, expreſſius juxta ac efficacius his verbis *Sancti Auguſtini* dici poteſt, ad probandum, S. illum Doctorem (juxta intima doctrinæ ſuæ de Gratia principia) nunquàm admiſiſſe Scientiam Mediam, ſeu cognitiones conditionales, quæ (ſicut *P. Daniel* unà cum tota ſua Schola Moliniana docet) antecedunt omne Decretum Dei, Deumque dirigunt in formandis ſuis Decretis abſolutis de Prædeſtinatione & Reprobatione hominum. Ego verò, nullo contentionis ſtudio, ſed ſolius amore veritatis, mente *S. Auguſtini* diligentèr examinata, affirmare nullus dubito, quin tu, aliique Lectores (oculos, modò in lectione Operum *S. Auguſtini* præjudicii faſcino non imbutos attulerint) ultrò fateantur, S. illum Doctorem, contra Pelagianos, & Semipelagianos diſputantem, tam claris, tam difertis & ſolidis principiis confutaſſe Scientiam Mediam, non tantùm quòad illius abuſum & errores, quibus, ut in ſuperiori Epiſtola obſervavi, eam infuſcabant Semipelagiani; verùm etiam Scientiam

Mediam repudiaſſe quantùm ad ipſius ſubſtantiam & uſum, ſicut nunc in Schola Moliniana docetur & defenditur: ut S. ille Doctor de Scientia Media à ſe in omni ſenſu exploſa, & de Gratia ſe ipſa efficaci, certiſſimis principiis à ſe conſtabilita, nullum dubitandi locum reliquerit. Profectò, non recuſo ſtare candidorum lectorum judicio, eoſque iſtius litis arbitros appello contra P. *Danielem*, qui in Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, effractis omnibus modeſtiæ cancellis, audet elato ſupercilio aſſerere, *S. Auguſtinum nullibi effinxiſſe incomprehenſibilem prædeterminationem, cujus ne apex quidèm aut veſtigium in ejus libris extat*. Sed, ſi tibi per otium liceat, denuò legeſis duas, quas jam ad te dedi, Epiſtolas, quæque in prima mearum Epiſtolarum Claſſe ſunt nona & decima, in quibus invicta protuli *S. Auguſtini* teſtimonia, ex quibus apodicticè conſtat, Aquilinum illum Doctorem Præmotionis phyſicæ tam ad actus naturales, quàm ad actus ſupernaturales, tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, neceſſitatem admiſiſſe. Quocircà, ne actum agere & eamdem telam retexere videar, plura hac de re hìc dicere prætermittam.

VII. Alia principia, quibus Molinianæ Scholæ Theologi ſuam de Scientia Media, & de Gratia verſatili doctrinam totis viribus abſtruere moliuntur, hìc levi brachio attingam, eademque opera breviter refellam, quia in aliis, quas jam ad te miſſitavi, Epiſtolis, quæque continentur in prima Epiſtolarum mearum Claſſe, ea tot argumentis exſufflavi, ut me nunc prorsùs pigeat, tædeatque idem ſaxum, alterius inſtar Siſyphi, ſursùm deorsùm volvere. Ne tamen nonnulli querantur, hæc Moliniſtarum principia fuiſſe data opera à me prætermiſſa; illa conglobatim hìc proponam, & Epiſtolas, in quibus ea jam latè confutavi, indicabo, & fontem, quem adire debeas, quaſi digito commonſtrabo.

In primis ſic argumentantur Moliniſtæ: Si Deus non cognoſceret futura conditionata per Scientiam Mediam, quæ antecedit omne Divinum Decretum, ſed ea cognoſceret (ſicut docent Thomiſtæ) in ſuis Decretis abſolutis, & prædeterminantibus, ſequeretur tolli penitus de medio libertatem humanam, quippè quæ nullo pacto cohærere poſſet cum illis Divinis Decretis prædeterminantibus, & cum Gratia ſe ipſa efficaci; quia Decreta illa abſoluta & prædeterminantia, ſicut & Gratia per ſe efficax, habent ex natura ſua eſſentialem & infallibilem cum voluntatis humanæ conſenſu connexionem, quæ ſubindè præviam, antecedentem, ineluctabilem, inſuperabilem, invincibilem inducunt neceſſitatem, quæ omninò tollit aut ſaltem indiſſolubili vinculo ligat & impedit potentiam, ſeu indifferentiam voluntatis ad oppoſitum: Atquì hoc aſſerere, eſt aperta fronte adverſari Sacro Concilio Tridentino, quod canone quarto Seſſionis ſextæ contra Lutheranos & Calviniſtas ſic definivit: *Si quis dixerit, liberum arbitrium, motum & excitatum à Deo, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Ut igitur ſarta tecta maneat humana libertas, neceſſariò dicendum eſt, Deum futura conditionata non cognoſcere in ſuo Decreto abſoluto ac prædeterminante (ſicut docent Thomiſtæ) ſed Deum futura conditionata proſpicere ac cognoſcere per Scientiam Mediam, quæ prior eſt omni Dei Decreto, Deumque dirigit in formandis ſuis Decretis abſolutis de Prædeſtinatione & reprobatione hominum.

Hoc Moliniſtarum argumentum pleniſſimè jam dilui in quatuor quas ad te dedi, Litteris, quæque in prima mearum Epiſtolarum Claſſe ſunt ordine quinta, ſexta, ſeptima, & octava. Ibi quippè (ſeu in Epiſtola quinta) fusè contra Patrem *Danielem* oſtendi, nihil prorsùs timendum eſſe humanæ libertati à Deo, qui eſt primum liberum, primum agens & univerſaliſſimum, movens quaſlibet res modo earum naturæ accomodato, neceſſarias neceſſario, liberas libero: & attingens (ſicut docet *S. Thomas*) non

tan-

Digitized by Google

tantùm ſubſtantiam, ſed & modum actionis; diſſipavi etiam in eadem Epiſtola quinta inanes argutias, quibus idem *Daniel* ſuadere ſe putat, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipsa efficacem, imponere voluntati creatæ neceſſitatem præviam, antecedentem, ineluctabilem, inſuperabilem, & invincibilem, quæ ei adimat potentiam & indifferentiam ad oppoſitum. Commonſtravi etiam ibidem, voluntatem creatam ſemper ſub imperio Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, conſervare in ſenſu diviſo veram, proximam, & expeditam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci poteſtatem, ſejunctam tamen ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu; atque voluntatem creatam (abſente Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci) habere, ope Gratiæ ſufficientis, veram, proximam, & expeditam potentiam obſervandi præcepta Dei. Præterea, in Epiſtola ſexta ex principiis Scholæ Thomiſticæ doctrinæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia ſe ipſa efficaci, confutavi errorem *Lutheri*, *Calvini*, & *Janſenii*, qui aſſerunt, ex primigenia Adami labe invectam eſſe neceſſitatem peccandi, deperditumque fuiſſe liberum hominis arbitrium. In ſeptima Epiſtola palàm feci, hoc canone quarto Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, motum & excitatum à Deo, non poſſe diſſentire ſi velit, anathema ſit*, perfectè (juxta Scholæ Thomiſticæ doctrinæ principia) conciliari libertatem humanam cum Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci. Poſtremò, in Epiſtola octava probavi, veram ac germanam humanæ libertatis notionem ac naturam ſitam eſſe in indifferentia activa, ſeu in potentia ad oppoſitum, quam ſempre voluntas creata, ſub imperio Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ſervat ad oppoſitum, quamque Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax, fovet, perficit, & illuſtrat, tantùm abeſt, ut ei officiat, aut illam tollat, ſicut cum ſua Schola Moliniana perperàm contendit *Gabriel Daniel*. Hanc igitur Scholæ Thomiſticæ doctrinam, modumque conciliandi libertatem humanam cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia ſe ipſa efficaci, cùm jam in prælaudatis meis Epiſtolis lato calamo explanaverim, & ab argutiis ac cavillationibus *Gabrielis Danielis* vindicaverim; oleum certè & operam perditurus eſſem, ſi diutiùs hìc immorarer in confutando iſto principio Scholæ Molinianæ Theologorum, dictitantium, quòd ſi Deus futura conditionata non cognoſceret per Scientiam Mediam, quæ antecedit omne Dei Decretum (ſicut docet Molina) ſed ſi ea cognoſceret in ſuis Decretis abſolutis & prædeterminantibus (quemadmodùm aſſerunt Thomiſtæ) actum planè eſſet de libertate humana, quam *Gabriel Daniel* unà cum ſua Schola Moliniana plenis buccis clamitat ſtare ac cohærere minimè poſſe cum iſtis Thomiſtarum divinis Decretis abſolutis & prædeterminantibus. Cùm igitur hanc Moliniſtarum calumniam rubigine exeſam, & quæ jam in vulgi fabulam abiit, benè multis, iiſque invictis (ni meus me fallit animus) retuderim argumentis, plura de hoc caduco doctrinæ Moliniſtarum principio dicere ſuperſedebo.

VIII. Mitto hìc etiam lubens allud doctrinæ Moliniſtarum de Scientia Media principium, in eo præſertìm ſitum, quòd velint, rejecto ſemel Scientiæ Mediæ ſyſtemate, & admiſſa ſententia de neceſſitate Præmotionis phyſicæ, ac Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus, qualem admittunt Thomiſtæ, duo graviſſima ſequi incommoda, quæ cum Catholico dogmate pugnant, & apertè noſtri temporis hæreticorum errori favent. Sequitur enim primò ex Thomiſtarum ſententia (ajunt Moliniſtæ) Deum eſſe auctorem peccati, quia Deus, ut docent Thomiſtæ, hominem præmovet & prædeterminat ad id, cum quo malitia peccati ità conjuncta eſt, ut ab illo ſeparari, avelli, ac ſejungi minimè poſſit. Sequitur ſecundò ex ſententia Thomiſtarum de Præmotione phyſica (inquiunt Moliniſtæ) Gratiam

ſufficientem, tali Thomiſtarum phyſica Præmotione deſtitutam, verè eſſe inſufficientem ad actum, quem nunquàm producit, ſubindéque Gratiam illam non eſſe verè ſufficientem, & homini, non habenti talem Præmotionem phyſicam, præcepta Dei non eſſe poſſibilia, eumque non eſſe reum violati præcepti, nec juſtè reprehendi ac damnari poſſe.

Hoc, inquam, Moliniſtarum doctrinæ de Scientia Media principium lubens hìc miſſum facio, quia in ea, quam jam ad te dedi, Epiſtola, quæque in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine quarta, iſtud Moliniſtarum principium radicitùs extirpavi. Ibi quippè fusè oſtendi, Deum, in ſententia Thomiſtarum de Præmotione phyſica, non eſſe cauſam & auctorem peccati, quia licèt Deus, tanquàm proviſor univerſalis, permittat peccatum, &, ut cauſa prima efficiens omne ens in rerum natura, producat per ſuum realem & prævium influxum *materiale*, ſeu peccati actionem, quæ eſt ens, non tamen Deus per ſuum influxum attingit, nec attingere poteſt *formale*, ſeu malitiam peccati, cujus cauſa prima deficiens eſt ſola creatura rationalis, quæ è nihilo cùm facta ſit, in nihilum, ſeu in peccatum (ſicut docent Sancti Patres) ſuapte natura tendit. Quò fit, ut *formale*, ſeu malitia peccati, non in Deum, qui tantùm eſt cauſa prima omnium rerum efficientium refundi debeat, ſed ſoli tribuatur voluntati creatæ, quæ, uti docent omnes Thomiſtæ, eſt prima cauſa in genere defectibilium.

Oſtendi pariter in Epiſtola quinta, Gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam, eſſe nomine & re vera ſufficientem, eamque homini, independentèr à Præmotione phyſica, ſeu à Gratia ſe ipſa efficaci, conferre poteſtatem proximam, veram, & expeditam benè agendi, & mandata Dei obſervandi. Quò fit, ut homo, qui Gratia ſufficienti, in ſenſu Thomiſtico intellecta, præditus eſt, verè culpabilis ſit in tranſgreſſione mandatorum Dei, tametſi deſtitutus ſit Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ad actu adimplenda & obſervanda mandata Dei omninò neceſſaria. Ratio in promptu eſt, quia (inquiunt Thomiſtæ) homo, qui caret Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ad actualem mandatorum Dei obſervationem neceſſaria, habet tamen ope Gratiæ ſufficientis (acceptæ in ſenſu Thomiſtico) veram, proximam, & expeditam obſervandi præcepta Dei poteſtatem, & ipſe in culpa eſt cùr careat Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, cujus beneficio obſervaret divina præcepta; quia Deus, largiendo homini Gratiam ſufficientem, quæ veram impertitur potentiam adimplendi legem, ex ſe paratus eſt Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, ad obſervanda mandata neceſſariam, etiam ſuppeditare, ni homo propria culpa ac malitia obicem & impedimentum poneret, atque reſiſteret Gratiæ ſufficienti, quæ viam ſternit ad Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis receptionem. Quia igitur peccator propria ſua malitia ac culpa reſiſtit Gratiæ ſufficienti, ejuſque ſiſtit curſum ad ulteriorem effectum, ad quem Gratia ſufficiens tam ex natura ſua, quàm ex voluntate Dei antecedenti, tendit; ideò Deus denegat peccatori Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, cujus receptione peccator, obſtinatè Gratiæ ſufficienti reluctando, ſe planè reddidit indignum. Cùm itaque iſtud doctrinæ Moliniſtarum de Scientiâ Media principium jam copiosè confutaverim in Epiſtola, quam ad te dedi, quæque in prima Epiſtolarum mearum Claſſi eſt ordine quinta, ideò ne iteratis repetitionibus tibi tædium, faſtidiumque ingeram, ab ulteriori ejus confutatione libens in præſentia me cohibebo.

IX. Venio nunc tandèm ad tria ultima principia, quibus doctrinæ ſuæ de Scientia Media aliquid roboris conciliare tentant Moliniſtæ. Et primò quidèm dicunt, in ſigno rationis, antecedente

De-

Decretum Dei, duas de futuris contingentibus conditionatis poſſe formari Propoſitiones contradictorias, quarum una, ex vi ac lege propoſitionum contradictoriarum, ſit determinatè vera, altera determinatè falſa.

Atqui (inquiunt Moliniſtæ) futura conditionata antè abſolutum Dei Decretum ſunt objectum Scientiæ Mediæ, ergò admittenda eſt in Deo Scientia Media, per quam cognoſcit futura conditionata antè ſuum Decretum. Præterea (ajunt Moliniſtæ) licet una & ſimpliciſſima Scientia in Deo, ex parte ipſius reapsè exiſtat, diviſionem tamen Scientiæ in Deo repetunt Theologi ex varietate ac diſtinctione objectorum, circà quæ verſatur, ita ut totuplex admittenda ſit in Deo Scientia, quotuplex eſt ſpecies objecti quod à Deo cognoſci poteſt. Objecta autem, quæ à Deo cognoſci poſſunt, ſunt triplicis ordinis: alia quippè ſunt merè poſſibilia, circà quæ verſatur *Scientia ſimplicis intelligentiæ*: alia abſolutè futura, quæ pertinent ad *ſcientiam viſionis*: alia denique conditionatè futura, ideſt, quæ futura eſſent, ſi aliqua poneretur conditio, qualis eſt, V. G. futura Tyriorum converſio, ſi Chriſti miracula vidiſſent; hæc ſiquidèm Tyriorum converſio nec merè poſſibilis erat, nec etiam abſolutè futura, ſed tantùm conditionatè futura, ideſt, quæ futura eſſet, ſi aliqua poſita fuiſſet conditio; ergò circà illa futura conditionata admittenda eſt in Deo Scientia Media, quæ præcedit omne Dei Decretum, quæque circà futura conditionata verſatur, tanquàm circà ſuum objectum, diſtinctum ab objecto *ſimplicis intelligentiæ*, & ab objecto *Scientiæ Viſionis*. Poſtremò (ajunt Moliniſtæ) Scientia Viſionis cum Decreto abſoluto conjuncta, per quam Deus cognoſcit ea, quæ ſunt abſolutè futura, pendet è ſcientia futurorum conditionatorum, quæ antevertit omne Dei Decretum, Deumque dirigit in formandis ſuis Decretis abſolutis.

Hinc *Fonſeca*, & *Molina*, Soc. Jeſu, teſtantur, ſeſe, ad vincendas graviſſimas difficultates, quæ paſſim em ergebant de prædeſtinatione & reprobatione hominum, excogitaſſe hanc futurorum conditionatorum, & futurorum abſolutorum diſtinctam cognitionem, nempè ut ſcientia futurorum conditionatorum (quam appellant *Scientiam Mediam*) prævia eſſet ad futurorum abſolutorum ſcientiam, Deumque dirigeret in condendis ſuis Decretis abſolutis. Cùm igitur Scientia viſionis cum Decreto abſoluto conjuncta, per quam Deus cognoſcit ea, quæ ſunt abſolutè futura, pendeat è ſcientia futurorum conditionatorum, quæ Decreto Dei abſoluto prævia eſt, Deumque dirigit in formandis ſuis Decretis abſolutis, palàm ſequitur (inferunt Moliniſtæ) admittendam eſſe in Deo Scientiam futurorum conditionatorum, quæ Scientia viſionis & Decreto Dei abſoluto anterior ſit, Deumque dirigat in formandis ſuis Decretis abſolutis. Porrò, hæc in Deo Scientia futurorum conditionatorum ideò *Scientia Media* appellatur, quòd medium veluti locum occupet inter Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & Scientiam *Viſionis*: cùm ipſius objectum non ſit merè poſſibile (ſicut eſt objectum Scientiæ *ſimplicis* intelligentiæ) nec etiam ſit abſolutè futurum (ſicut eſt objectum Scientiæ *viſionis*) ſed tantùm Scientiæ Mediæ objectum ſit conditionatè futurum.

Hæc Moliniſtarum doctrinæ de Scientia Media vulgò jactata principia, cùm ſint tenui filo contexta, & pluma, araneaque tela leviora, nullo negotio à Thomiſtis exſufflantur. At enim, Thomiſtæ falſi apertè convincunt primum iſtud principium, quo Moliniſtæ probant, ideò Deum antè ſuum Decretum cognoſcere per Scientiam Mediam futura conditionata, quia perperàm iſti Scholæ Molinianæ Theologi ſupponunt, poſſe in ſigno rationis, antecedente Decretum Dei, formari duas de futuris conditionatis propoſitiones contradictorias, quarum una, ex vi ac lege Propoſitionum contradictoriarum, ſit determinatè vera, altera determinatè falſa: hoc, inquam, Moliniſtarum prin-

principium multis momentis falſi convincunt Tomiſtæ. Primò, quia *S. Thom.* ſub finem ſuperioris meæ Epiſtolæ jam citatus, diſertè I. Par. Qu 16. Art. 7. ad 3. docet, *res non eſſe futuras, niſi quatenùs in cauſa ſempiterna* (ideſt, in eſſentia divina, tanquam in cauſa determinata per Decretum) *fuit ut eſſent futuræ*. Docet ibidèm Angelicus ille Doctor, *futurum illud eſſe, quod habet in ſua cauſa determinationem ad eſſendum pro aliqua temporis differentia*; Atquì (ſubſumo ipſe) ante Decretum Dei res non habent determinationem in ſuis cauſis, quia ante Decretum Dei, prima cauſa (videlicet Deus) necdùm eſt determinata, ſi quidèm ſe determinat per ſuum Decretum, ergò cauſæ ſecundæ liberæ ante Decretum Dei non poſſunt eſſe determinatæ; implicat enim, cauſas ſecundas liberas eſſe determinatas antè primam cauſam, ergò ante Decretum Dei res non habent determinationem ad eſſendum in ſuis cauſis, ſubindeque res antè Decretum Dei non habent futuram determinationem, ſivè conſiderentur in ſe ipſis, quia ſicutì res non poſſunt ſibi dare ut ſint, ita paritèr ſibi dare haùd poſſunt ut futuræ ſint; ſive etiam conſiderentur in ſuis cauſis, quia omnes cauſæ ſecundæ liberæ (ut mox dixi) antè Decretum Dei non ſunt determinatæ, ſed indifferentes ad agendum, vel non agendum, adeòque non poſſunt determinare ſuos effectus ad hoc ut futuri ſint potiùs quàm non futuri.

Præterea, falſum omninò eſt, quod in hoc principio ſupponunt Moliniſtæ, videlicèt Deum ante decretum ſuum cognoſcere futura conditionata in duabus Propoſitionibus contradictoriis, quæ formari poſſunt antecedentèr ad ipſius decretum, & quarum una, ex vi & lege Propoſitionum contradictoriarum, eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa, id, inquam, quod ſupponunt Moliniſtæ, tam falſum eſt, quàm quod maximè; tum quia contradictio, quæ inter duas propoſitiones de futuro contingenti reperitur, non magis determinat unam propoſitionem, quàm aliam, ſed potiùs utramque propoſitionem æqualitèr reſpicit, non ergò ex vi & lege contradictionis una propoſitio eſt magis determinata quàm alia: Tum quia etiam, Propoſitiones contradictoriæ de præſenti, vel de præterito, diſcrepant in hoc à Propoſitionibus contradictoriis de futuro contingenti, quòd Propoſitiones contradictoriæ de præſenti, vel de præterito, habeant jam objectum ſuum determinatum; proindèque una ex illis Propoſitionibus, ex vi & lege Propoſitionum contradictoriarum, ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa: At verò, Propoſitiones contradictoriæ de futuro contingenti ante Decretum Dei habent objectum ſuum adhùc pendulum & indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem, ut docet *S. Thomas* lectione 13. in caput 8. Libri *Perihermenias*. Undè, quia propoſitio ſequitur ſortem ſui objecti, quamdiù ſuum objectum eſt indeterminatum & indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem, tamdiù propoſitio non eſt determinatè vera nec determinatè falſa, ſed manet indifferens ad veritatem, vel falſitatem.

Tertiò, quemadmodùm (juxtà iſtud doctrinæ Moliniſtarum principium) poſſunt in ſigno rationis, antecedenti Decretum Dei abſolutum, formari propoſitiones contradictoriæ de futuris conditionatis, ità paritèr in eodem ſigno rationis, antecedenti Decretum Dei abſolutum, formari poſſunt Propoſitiones contradictoriæ de futuris abſolutis. Immò, cùm Propoſitiones contradictoriæ de futuris conditionatis componantur ex propoſitionibus abſolutis & ſimplicibus, & quælibet pars ſit aliquo modo prior toto, propoſitiones contradictoriæ de futuris abſolutis debent priùs eſſe veræ, quàm Propoſitiones contradictoriæ de futuris conditionatis. Hoc autem (quod non negant Moliniſtæ) ſemèl præſuppoſito, ſic argumentor: ideò (juxta Moliniſtas) Deus novit per Scientiam Mediam futura conditionata, quia in ſigno rationis, antecedenti Decretum Dei prædefiniens, formari poſſunt propoſitiones contradictoriæ de futuro conditionato, quarum una, ex vi & lege pro-

propoſitionum contradictoriarum, ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa: Atquì ſimilitèr, in ſigno rationis, antecedenti Decretum Dei abſolutum ac prædefiniens, formari poſſunt Propoſitiones contradictoriæ de futuro abſoluto, quarum una, ex vi ac lege Propoſitionum contradictoriarum, erit determinatè vera, & altera determinatè falſa; ergò, poſito hoc Moliniſtarum principio, ex eo, velint nolint, ſequitur, Deum antè Decretum ſuum abſolutum cognoſcere res non ſolùm conditionatè, ſed abſolutè futuras, quod ſanè Syſtema Scientiæ Mediæ penitùs evertit & radicitùs convellit. Deindè, ſic argumentor: ut Scientia Media (quemadmodùm pertendunt Moliniſtæ) Deum dirigeret in formandis ſuis Decretis abſolutis, deberet eſſe quædam ſubordinatio inter Scientiam Mediam, per quam Deus cognoſceret futura conditionata, & Scientiam *Viſionis*, per quam Deus (ſicut fatentur Moliniſtæ) cognoſcit futura abſoluta, ita ut priùs Deus per Scientiam Mediam cognoſceret, hominem operaturum conditionatè, quàm noſſet, eum operaturum abſolutè: Atquì inter duas illas Scientias, nempè *Mediam*, & *Viſionis* non poteſt dari illa ſubordinatio. Nam in principiis Scientiæ Mediæ poſſunt etiam in ſigno rationis, antecedenti Decretum Dei abſolutum, formari propoſitiones contradictoriæ de futuro abſoluto, quarum una ſit determinatè vera, & altera determinatè falſa, undè palàm ſequitur, Deum in ſigno rationis, antecedenti Decretum abſolutum, cognoſcere futura abſoluta, proindèque planè inutilem eſſe Scientiam Mediam, cùm ejus utilitatem ex eo potiſſimùm capite repetant Moliniſtæ, quòd dicant Scientiam Mediam, per quam (ut ajunt) Deus cognoſcit futura conditionata, debere præcedere Scientiam *Viſionis*, per quam Deus novit futura abſoluta, Deumque per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, dirigi in formandis ſuis Decretis abſolutis.

Poſtremò, data, ſed non conceſſa hac hypotheſi, quòd antè Decretum Dei abſolutum una ſit ex duabus Propoſitionibus contradictoriis de futuro conditionato determinatè vera, & altera determinatè falſa; quæro à Moliniſtis, utrùm Deus poſſit per ſuum ſubſequens Decretum abſolutum irritare hanc determinatam futuritionem, vel non? ſi reſpondeant, Deum per ſuum ſubſequens Decretum abſolutum irritare haud poſſe determinatam illam futuritionem, oppoſitum decernendo, ergò (inſeram ipſe) Deus fatali illa determinata futuritione, quæ ipſius Decretum abſolutum antevertit, ligatur, ſubindèque liber non eſt. Si verò reſpondeant Moliniſtæ, Deum per ſubſequens Decretum ſuum abſolutum poſſe irritare hanc determinatam futuritionem; ergò (inſeram ipſe) hæc determinata futuritio non eſt certa, rata, ac vera, ſed dubia, anceps, ac ſuppoſititia, quippè quæ per Decretum Dei ſubſequens abſolutum ſundìtùs everti poteſt, adeòque fictitia illa determinata, ante Decretum Dei abſolutum, futuritio nequit eſſe Medium, in quo Deus certò & infallibilitèr cognoſcit futura conditionata.

Nec minori facilitate diluunt Thomiſtæ aliud, quod ſuperiùs inſinuavi, Moliniſtarum doctrinæ de Scientia Media principium, in hoc maximè ſitum, quòd Moliniſtæ dicant, Theologos diviſionem Scientiæ Dei (quæ unica & ſimpliciſſima eſt ex parte Dei) repetere ex diviſione & varietate objectorum, circà quæ verſatur. Undè, cum Theologi tria aſſignent objecta, circà quæ verſatur Scientia Dei, videlicet *res poſſibiles*, *futura conditionata*, *& futura abſoluta*, inde inferunt Moliniſtæ, triplicem in Deo diſtingui debere ſcientiam, videlicet *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, per quam Deus cognoſcit res merè poſſibiles, *Scientiam Mediam*, per quam proſpicit futura conditionata, & denique Scientiam *Viſionis*, per quam Deus videt ac noſcit futura abſoluta.

Hujus principii doctrinæ Moliniſtarum falſitatem demonſtrant Thomiſtæ ex perpetuo SS. Patrum, præſertìm

Auguſtini, & *Thomæ*, atque omnium antiquorum Theologorum ſilentio. Hi ſiquidèm, etiamſi docuerint, Deum, utpotè omniſcium, cognoſcere omnes res poſſibiles, & ſingula quæque ſivè conditionatè, ſivè abſolutè futura; ſcientiam tamen Dei, ex parte objectorum, circa quæ verſatur, in duo tantùm membra diviſerunt, videlicèt *in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, per quam Deus certam habet notitiam rerum omnium poſſibilium, & *in Scientiam Viſionis*, per quam cognoſcit omnia futura cùm abſoluta, tùm conditionata; hujus porrò Scientiæ Mediæ, exploratricis, antè decretum Dei abſolutum, futurorum conditionatorum (qualem nunc à Scientia ſimplicis intelligentiæ, & à Scientia Viſionis ex æquo diſtinctam, admittunt in Deo Moliniſtæ) ne per umbram quidèm vel ſomnium meminere Sancti Patres, antiqui Theologi, & Epiſcopi in Concilio Oecumenico Tridentino congregati. Immò, hæc Scientia Media, ſtatim ac à *Fonſeca*, vel à *Molina* excogitata prodiit in lucem, fuit à celeberrimis Univerſitatibus Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi Cenſuris affecta, à Scholis, Auguſtiniana & Thomiſtica, oppugnata, &c, tanquàm de Semipelagianiſmo ſuſpecta, ad Fidei Quæſitores, ad Summos Pontifices CLEMENTEM VIII. & PAULUM V. delata, atque per decem annos in Congregationibus *De Auxiliis Divinis*, habitis coram duobus illis Summis Pontificibus, examinata ac reprobata eſt, ut patet ex Hiſtoria Congregationum *De Auxiliis Divinis* à noſtro doctiſſimo *Thoma De Lemos* exarata & nuperrimè publica luce donata, necnon ex querimoniis, quas Conſultoribus Congregationum *De Auxiliis* paſſim intentat *Theodorus Eleutherus*, ſeu *Livinus De Meyer*, Societatis Jeſu, qui in *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis*, quam nuperrimè vulgavit, ægerrimè videns, harumce Congregationum Conſultores Doctrinæ *Molinæ*, de Scientia Media, & de Gratia verſatili fuiſſe penitùs contrarios, ideò illos (excepto tamen *Bovio*, Carmelitarum Regente, qui in omnibus Congregationibus *De Auxiliis* Molinianæ doctrinæ ſemper patrocinatus eſt) durioribus excipit verbis, nec veretur eos appellare *ignorantes*, *præcipites*, *his diſcutiendis controverſiis impares*, *viros ſtipendiarios per Thomiſtas conductos &c.* Iiſdem contra integerrimos Congregationum *De Auxiliis* Conſultores querelis, expoſtulationibus, & injuriis ſcatent alii Moliniſtarum Libri, quos inter, ne longior ſim, numerabo dumtaxat *Ripaldam* Diſputatione 113. Sect. 13. *Annatum* Diſputatione 4. De Scientia Media, *Paulum Leonardum*, ſeu *Sherlogum* Part. I. *Reſponſionum ſuarum*, qui hoc tantillo ſolatio hæc Molinianæ doctrinæ à prædictis Conſultoribus illata vulnera oblinire ſatagunt. Quòd ſi Molinianæ doctrinæ faviſſent Conſultores Congregationum *De Auxiliis*, profectò tot apud Moliniſtas, mox à me laudatos, fuiſſent *invictiſſimi Heroes*, tot extitiſſent *oracula*, *ingeniorum aquilæ*, *judices integerrimi*, *teſtes locupletiſſimi*, *ac probatiſſimæ fidei*, *omnique exceptione majores*. Certè, *pondus*, *&* *pondus*, ut inquit Scriptura Sacra, *utrumque abominabile eſt coram Domino*.

Cùm ergò doctrina de Scientia Media ſit nova, ſtandum eſt antiquæ ſententiæ Sanctorum Patrum, & veterum Theologorum, qui Scientiam Dei, tametſi in ſe unam ac ſimpliciſſimam, dividunt ex parte objectorum, circa quæ verſatur, in duo dumtaxàt membra, nimirùm in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, præciſam à Decreto, per quam Deus cognoſcit res poſſibiles, & in Scientiam *Viſionis*, abſoluto Dei Decreto determinatam, per quam cognoſcit Deus res omnes tàm conditionatè, quàm abſolutè futuras, nec non exiſtentes. Scientia itaque, quam Deus habet, futurorum conditionatorum, reduci debet ad Scientiam *Viſionis*, conjunctam cum abſoluto Dei Decreto, quia ſcientia futurorum conditionatorum (ſicut opportuniùs in Epiſtola quam proxima die ad te daturus ſum, exponam) nititur actuali & libero Decre-

cre-

Digitized by Google

creto, abſoluto ex parte Dei, ſed conditionato ex parte objecti, illudque importat ordinem voluntatis divinæ ad rem producendam, tametſi non perveniat ad exiſtentiam, proindèque ſcientia, quæ eſt in Deo, futurorum conditionatorum, reduci omninò debet ad Scientiam *Viſionis*, cui annexum eſt abſolutum Dei Decretum, & per quam Deus intuetur omnia futura tàm conditionata, quam abſoluta. Hoc pacto nullus in Deo relinquitur locus Scientiæ Mediæ, quam Moliniſtæ aſſerunt eſſe diſtinctam à Scientia *ſimplicis intelligentiæ*, & à Scientia *Viſionis*, & per quam cum ſuo *Molina* docent, Deum antè ſuum Decretum abſolutum cognoſcere futura conditionata.

IX. Supereſt tandèm ultimum principium, quo Moliniſtæ probant, in Deo (prætèr ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & Scientiam Viſionis) admittendam eſſe Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum antè abſolutum Dei Decretum exploratricem, quæ Deum dirigat in formandis ſuis Decretis abſolutis de Prædeſtinatione & reprobatione hominum.

Sed hoc Moliniſtarum principium à Thomiſtis eo potiſſimum nomine exploditur ac proſcribitur, quòd dicant, Deum in formandis ſuis Decretis abſolutis nullo pacto dirigi per illam Scientiam Mediam, cujus in tota retrò antiquitate Patrum, nullum prorsùs vel leviſſimum offenditur veſtigium; ſed Deum in formandis ſuis Decretis abſolutis de Prædeſtinatione & reprobatione hominum dirigi per ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* conſtantèr docent omnes ad unum Thomiſtæ. Porrò, Deus in formandis ſuis Decretis abſolutis circa ſalutem & converſionem hominum, ſufficientèr dirigitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia per illam Deus comprehendit ſuam omnipotentiam, & videt in ejus theſauris latere infinita media, ſeu auxilia Gratiæ efficaciſſima, quæ, nullam licèt hominibus impoſitura ſint neceſſitatem, attamen, cùm ſint ſuaptè natura efficacia, certiſſimè voluntates hominum convertent ad bonum, quandò & ubi voluerit Deus, ſicut Eccleſia Deum orat, ut *rebelles ad ſe propitius compellat voluntates*, & (ut docet *S. Auguſtinus* c. 98. Enchiridii) *Quis tam impiè deſipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quandò voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere?*

X. Nunc ſub finem iſtius Epiſtolæ, ſemoto omnium partium ſtudio, paucis comparationem ineamus, principia quibus innitur doctrina de Scientia Media, inter & principia, quibus Thomiſtarum doctrina, diametralitèr oppoſita Scientiæ Mediæ, adſtruitur; quæque in mea ſuperiori Epiſtola ſat prolixè expoſui, & in aperta luce collocavi. In primis, principia doctrinæ Thomiſtarum exhibent nobis Scientiam Dei tanquàm cauſam effectricem rerum omnium futurarum; totam divinam, totamque à Deo, ſeu à divino Decreto abſoluto pendentem; & verſa vice, principia Moliniſtarum doctrinæ de Scientia Media, nobis ob oculos ponunt hanc Scientiam Mediam, quæ antecedit omne abſolutum Dei Decretum, quæ pendet ab objectis externis, & tota quanta eſt, ab illis, & non à Deo hauritur, ne dato quidèm vel minimo medio intraneo, quo Deo innoteſcant futura.

Secundò, Thomiſtarum doctrinæ principia, quæ ſunt Scientiæ Mediæ oppoſita, probant, Scientiam Dei eſſe per Decretum abſolutum non minùs efficacem, quàm lucidam, Deumque per eam *facere concordiam in ſublimibus*, libertatis nimirùm & contingentiæ creatæ, cum immobilitate divinæ providentiæ; ſed ex adversò principia Moliniſtarum doctrinæ de Scientia Media probant, in Deo admittendam eſſe hanc Scientiam Mediam, quæ nihil omninò operatur, ſed tota eſt theorica, ſeu ſpeculativa, & merè exploratrix, ne dicam, otioſa, & anſatis manibus (ut ita loquar) ſedendo ſpectat quid voluntas creata pro ſuo nutu factura ſit, & quam in partem inclinatura ſit Gratiam verſatilem & indifferentem, quæ, ut reddatur efficax, vel inefficax, libero

Digitized by Google

bero ejus permittitur arbitrio.

Denique, Scholæ Thomiſticæ Doctrinæ principia, quibus radicitùs convellitur Scientiæ Media, extollunt amplitudinem & majeſtatem Scientiæ Dei, quæ præſentiam non tantùm objectivam & intentionalem, ſeu potiùs evanidam, qualis non negaretur chymæræ; ſed & realem habet cum futuris præſentiam, quia (ut docent Thomiſtæ) vi Decreti abſoluti (quod ſemper conjunctum eſt cum Scientia *Viſionis*, per quam Deus omnia futura videt,) æternitati Dei res omnes futuræ realitèr ac phyſicè præſentes coexiſtunt; contrà verò Moliniſtæ, juxta principia doctrinæ ſuæ de Scientia Media, præſcientiæ futurorum conditionatorum, qualem Deus nanciſcitur beneficio Scientiæ Mediæ, tribuunt dumtaxàt præſentiam objectivam & intentionalem futurorum conditionatorum.

Confer nunc, abdicatis omnibus præjudiciis, cariſſime diſcipule, principia, quibus Thomiſtæ rejiciunt & improbant doctrinam de Scientia Media, cum principiis, quibus Moliniſtæ eam totis viribus ſtabilire ſatagunt, & tunc non ignorabis (ut cum *Horatio* in Epiſtolis loquar) *quid diſtent æra lupinis*. Certè, quaſi tibi dictum puta iſtud Domini verbum ad *Hieremiam* Prophetam (quod legitur Cap. 14. v. 19. ipſius Prophetiæ) *ſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos*. Hoc eſt, ut interpretatur *Menochius*, Soc. Jeſu, perdoctus Scripturæ Sacræ interpres: *ſi ſeparaveris verbum meum pretioſum à verbis inimicorum tuorum minacibus, ſed levibus, vilibus, & infirmis, quia ipſi invalidi ſunt, & minas ſuas explere non poterunt, ſi fortiter, & animoſe ò Jeremia, adhæſeris verbo meo, & contempſeris inimicorum tuorum minas, & humanas rationes ſpreveris, quæ animum tuum dejiciunt, eris quaſi os meum, id eſt, eris Propheta & præco meus, mihi conjunctiſſimus, per quem ego mea ſecreta educam, & proloquar. Ipſi, qui tibi infenſi ſunt, fient tibi ſupplices, & ſubjicientur tibi, non tu illis, immò ipſi requirent te, tuamque amicitiam, ut eis conſulas, & pro eis ores; tu verò meâ virtute roboratus, quaſi murus, non curabis, nec requires eos.*

Vale, & ſaluberrimo utere conſilio, quod Apoſtolus *Paulus* cap. I. & cap. 2. Epiſt. 2. ad *Timotheum*, huic cariſſimo diſcipulo ſuo dat, dicens: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti. Bonum Depoſitum cuſtodi . . . . . . Sollicitè cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis . . . . . Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites: ſervum autem Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quandò Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*. Iterùm, benè ac felicitèr Vale.

EPI-

EPISTOLA TERTIA

In qua (juxtà Scholæ Thomiſticæ Doctrinam) oſtenditur, Deum, independentèr à Scientia Media, certò futura conditionata cognoſcere in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, voliti à Deo.

CIrcà Scientiam, quam Deus habet, futurorum conditionatorum, R. P. *Gabriel Daniel* in Epiſtolis, quas ſcripſit, ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, duas inſignes calumnias *Thomiſtis* impingit, quas ſanè hìc ſurda aure præterire minimè debeo. Prima calumnia extat in ejus Epiſtola quinta, ubi Molinianus ille Scriptor non dubitat aſſerere, Thomiſtas (antequà m *Ludovicus Molina* mundo pateſaceret Scientiam Mediam, & probaret, Deum hanc per Scientiam Mediam certò cognoſcere futura conditionata) negaſſe, Deum certam habere notitiam futurorum conditionatorum. Sic enim *Gabriel Daniel* in laudata mox à me Epiſtola noſtrum *Natalem Alexandrum* affatur: *Fatendum ingenuè eſt, ab eo dumtaxà t tempore, quo Molinæ nomen eſt auditum, totam hujus Scientiæ Conditionalium rationem & ideam diſtinctiùs, nitidiùſque in Scholis fuiſſe cognitam. Neque verò hìc fateri gravaberis pro tua æquitate, R. Pater, Theologum hunc illuſtrem* (ſeu Ludovicum Molinam) *ſtatim reportaſſe victoriam, in gratiam veritatis adversùs Theologos nonnullos Thomiſtarum partium, qui rerum ejuſmodi quibuſdam conditionibus adſtrictarum veritatem certò cognoſci ab ipſo Deo negabant, & ſcientiam hanc merum eſſe commentum dictitabant.* Hæc eſt prima calumnia, quam mox diſpungam, & invictis momentis oſtendam, omnes Scholæ Thomiſticæ Theologos, ſive antè *Molinam*, ſivè poſt *Molinam*, ſemper docuiſſe, Deum certam habere notitiam futurorum conditionatorum.

Altera calumnia, qua univerſam Scholam Thomiſticam onerat *Gabriel Daniel*, legitur in Epiſtola IX quam hic Molinianus Scriptor dedit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, ubi, pro ſua ſingulari humanitate, & æquitate, Plautino ſale defricat Thomiſtas, quos primò ait, in exponenda natura hujus decreti, in quo pertendunt, Deum cognoſcere futura conditionata, variare linguis & ſententiis. Secundò, effutire non veretur, Thomiſtas in adſtruendo illo decreto, quod volunt eſſe abſolutum *ex parte Dei*, & conditionatum *ex parte objecti*, nihil aliud obtrudere, quàm meras nugas, argutias, ac tricas, ad faciendum fucum excogitatas. Sed, ne quidquam falſi Patri *Danieli* affingere videar, ipſiſſima verba hìc exſcribam, quibus noſtro *Natali Alexandro*, totique Scholæ Thomiſticæ inſultat: *Non te fugit* (inquit) *Reverende Pater, & ingenua, ac bona fide Theologica fateberis, laborare non levitèr & æſtuare Doctores veſtros, cùm deſcribere nobis & exponere conantur illius Decreti naturam, quod ſcientiæ conditionalium præire volunt; Scinduntur in varias partes inter ſeſe ac ſententias, neque quod aſſerunt, invenire hactenùs in D. Thoma, Patribus, Conciliis, aut Sacra Scriptura valuerunt. Iſta, quæ in His occinunt, Decreta hypotetica*, ex parte actus, aut ex parte objecti, *argutiæ ſunt ac tricæ ad faciendum fucum & ruinnem cauſam malè ſufflaminandam excogitatæ. Omittamus illa in præſentia, nec enim mihi ac pleriſque, opinor, animus aut otium eſt iſtas cavillationes Theologicas, & captiunculas diſquirere penitiùs ac rimari &c.* Hæc eſt altera putida calumnia,

mnia, quam in hacce Epiſtola à Thomiſtis amoliar, & evincam, illos non tricis, & argutiis (ſicut calumniatur *Gabriel Daniel*) ſed ſolidis argumentis, è Sacris Litteris, & ex Sanctis Patribus petitis, probare, Deum independenter à Scientia illa Media (quam cum Schola ſua Moliniana Deo perperàm adſcribit *Daniel*) certò cognoſcere futura conditionata in decreto, quod *ex parte Dei* eſt abſolutum, ſed conditionatum *ex parte objecti*.

I. Auſpicor autem à confutatione primæ *Gabrielis Danielis* calumniæ, & dico, nullum Thomiſtam, ſivè antequàm in Mundo *Molinæ* nomen audiretur, ſive poſtquàm idem *Molina* à tritis Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, ſemitis diſceſſit, & Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum antè abſolutum Dei decretum exploratricem, invexit, unquàm Inficias iviſſe, Deum, independentèr à Scientia Media, certò cognoſcere futura conditionata, ſed potiùs omnes cùm antiquos, tùm recentiores Thomiſtas, tanquàm rem exploratiſſimam, & poſitam extrà omnem dubitationis aleam, ſuppoſuiſſe, Deum in ſuo decreto certam & infallibilem habere notitiam futurorum conditionatorum.

Et primò quidèm, *Ferdinandus De Baſtida*, Societatis Jeſu, in Congregationibus quinquageſima nona, & ſexageſima prima *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, cùm objeciſſet noſtro *Thomæ de Lemos*, quòd familiæ Dominicanæ Theologi certam futurorum conditionatorum notitiam negarent, conſeſtim *Thomas de Lemos* nomine omnium FF. Prædicatorum hanc falſam & inſulſam accuſationem coràm Summo Pontifice retudit his verbis: *Reverendus Pater* (ſeu Baſtida) *conſtituit concluſionem affirmativam, Deum videlicèt cognoſcere hæc futura conditionata, & nobis tribuit, quòd hanc concluſionem negemus, quòd tamen eſt falſum. Fatemur enim, Deum hæc cognoſcere, ſecundùm quòd ipſorum propria natura poſtulat, ut jam explicavi. Probavit quidèm R. Pater* (ideſt, Ferdinandus De Baſtida) *ex multis locis Scripturæ ſuam concluſionem, quam eadem facilitate poterat confirmare quinquaginta aliis. Ad quæ reſpondere non eſt neceſſarium, quia non militant contra id, quod modò propoſui; immò probant, Deum illa futura conditionata cognoſcere, non antè, ſed poſt Decretum ſuæ voluntatis.* Et in Congregatione ſexageſima tertia, idem noſter *Thomas De Lemos*, Summo Pontifici CLEMENTI VIII. ei præcipienti, ut quæ ſuprà hujuſmodi difficultate prolixiùs in aliis Congregationibus dixerat, ſummatìm perſtringeret, paruit ſtatim, & confirmavit, quidquid ſuper hac difficultate jam dixerat in Congregatione quinquageſima nona, in qua à *Ferdinando De Baſtida* interrogatus, *quid ſentiret de futuris conditionatis contingentibus liberis?* ex tempore *Thomas De Lemos* reſpondit: *Dico, hæc futura conditionata cognoſci à Deo in Decreto ſuæ voluntatis; ante decretum, minimè.* Sed, cùm *Baſtida* importuniùs urgeret, & decreti Dei præciſionem fieri poſtularet; protinùs *Thomas de Lemos*, ſibi ſemper conſtans, ſic pronuntiavit: *Dico & milliès repeto, futura conditionata contingentia certò & infallibilitèr à Deo poſt ſuum Decretum cognoſci, ſed certè & infallibilitèr à Deo ante Decretum non cognoſci.*

Qua fronte ergò *Gabriel Daniel* aſſerere potuit tam in Epiſtola, mox à me laudata, ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, quàm in ſuo *Tractatu de efficacia Gratiæ*, Scholæ Thomiſticæ Theologos, ante *Molinam*, Deo certam futurorum conditionatorum notitiam abjudicaſſe? Certè hanc putidam fabulam expiſcatus eſt P. *Daniel* in Libris ſuorum Moliniſtarum, qui, ad Scholæ Thomiſticæ invidiam conflandam, in ejuſdem figmenti aſſertionem conſpirarunt, videlicèt P. *Daniel* hanc fabulam legit in ea, quam malè conſarcinavit *Petrus à Sancto Joſepho*, pſeudo *defenſione Sancti Thomæ*, Diſputatione 2. Sect. 10. in *Gabriele Pennoto* lib. 3. c. 26. in *Gabrielis Henao Defenſione Theologica de Scientia Media*, in *Franciſco Annato* Diſputatione 4. *De Scientia Media*, in *Chriſtophoro Ortega Controv.* 2. *de Scien.*

Diſp.

Diſput. 5. Quæſt. 2. Certamine 2. Hos quippè à capite ad talos Scriptores Molinianos non puduit Fratribus Prædicatoribus hanc labem inurere, eiſque per ſummam calumniam objicere, quòd futurorum conditionatorum certam & infallibilem notitiam Deo negarent, ubi de Scientia Media cæpit ventilari diſputatio. Tales Scriptores Molinianos, doctrinæ Scholæ Thomiſticæ oſores, poteſt quidèm *Gabriel Daniel* calumniæ, qua onerat Thomiſtas, vades ac ſponſores venditare, quos ei profectò non invideo.

II. Præterea, à vero aberrant quàm longiſſimè duo alii Societatis Jeſu Theologi *Martinez Ripalda*, & *Paulus Leonardus*, ſeu *Sberlogus*, qui ſcribunt, primos quidèm Scientiæ Mediæ impugnatores non tribuiſſe Deo certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam; illum tamen (ſeu *Thomam Lemoſium*) qui publicam Prædicatorum Ordinis cauſam in Congregationibus auxiliorum agebat, ſanioribus conſiliis adductum, aliam in publicis congreſſibus iniiſſe viam, ac diſputaſſe dumtaxàt de *Medio*, in quo Deus futura conditionata cognoſcit: *Eſto* (inquit *Ripalda* Diſputatione 113. Sectione 13.) *Theologus Dominicanus* (ſeu Thomas De Lemos) *facilè Noſtro* (idest, Baſtidæ) *conceſſerit, Deum certò & infallibiliter, & non ſolùm conjecturaliter præſcire, futura libera conditionata, in eoque ab Hiſpanis Theologis, primùm contradicentibus Molinæ, jure receſſerit, ideòque de ſolo Medio, in quo Deus ea prænoſcat, contenderit diſputari, ut fert recentium narratio, neceſſarium tamen noſtro Theologo fuit & examini rei conſentaneum, manifeſtari Pontifici, qua ratione primi oſores Scientiæ Mediæ refragati illi fuerint, & in qualem doctrinam eos impugnatio coegerit.* His gemina habet *Paulus Leonardus*, ſeu *Sberlogus*, Parte prima Reſponſionum ſuarum ad Expoſtulationes contra Scientiam Mediam Sect. 14. ubi hæc ait: *Quamvis ſcientia conjecturalis à Patribus Dominicanis, qui Diſſertationibus publicè in Urbe factis adſtiterant, meritò repudiata fuerit, & maluerint Decreta quædam abſoluta ex parte ſubjecti, etſi difficillima intellectu & querelis multis obnoxia, quorum beneficio certa & infallibilis Dei cognitio de futuris contingentibus ſub conditione firmaretur, introducere, quàm illam tam imperfectam cognoſcendi objecta, à libera cauſa conditionata pendentia, normam Deo tribuere, tamen per eadem tempora celebrem in Thomiſtarum Schola opinionem extitiſſe dico, quæ non infallibilem de nominatis objectis Numini Scientiam concedebat, ſed probabilem ſolùm, & per conjecturas juxtà cauſarum propenſionem.*

In hac porrò utriuſque Theologi Societatis Jeſu narratione duo detego luculentiſſima mendacia. Primò quippè falſum eſt, quod ait *Martinez Ripalda*, videlicèt in Congregationibus de Auxiliis *Thomam Lemoſium*, Dominicanum, dùm *Ferdinando Baſtidæ*, Jeſuitæ, ultrò conceſſit, Deum certa & infallibili pollere cognitione futurorum contingentium conditionatorum, receſſiſſe in hoc à Theologis Hiſpanis, qui, ut contradicerent *Molinæ*, eripiebant Deo certam & indeficientem notitiam horumce futurorum conditionatorum, & ei tantùm cognitionem *conjecturalem* afferebant ac vindicabant: Hoc certè tam falſum eſt, quàm quod maximè. Neque enim unquàm Theologi Hiſpani Dominicani, ut contradicerent *Molinæ*, negarunt, Deum habere certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, ſed tantùm, ut par erat, oppugnarunt *Molinam*, qui à regia Sanctorum Patrum *Auguſtini* & *Thomæ* via diſcedens, docebat, Deum per Scientiam Mediam, antecedentèr ad omne divinæ voluntatis Decretum, certò & infallibilitèr cognoſcere futura conditionata libera; hoc certè pernegabant non tantùm Theologi Hiſpani, ſed omnes ad unum Dominicani, qui tamen palàm profitebantur, & mordicùs propugnabant, Deum futurorum contingentium conditionatorum notitiam certam & infallibilem habere in ſuo decreto.

Legeſis *Panopliam* noſtri *Lemoſii*, qua-

quatuor in Tomos diſtributam, & *Hiſtoriam*, quam exaravit *Congregationum De Auxiliis*, quæque recens in lucem edita eſt, & facili negotio intelliges, neque *Thomam Lemoſium*, neque ullum Clariſſimæ Familię Dominicanę Theologum ab hac avita ac perpetua Scholæ Thomiſticæ doctrina vel latum quidem unguem deſciviſſe, ſubindèque *Ripaldam* falsò aſſerere, noſtrum *Thomam Lemoſium*, dùm in Congregationibus *De Auxiliis* faſſus eſt, Deum habere certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, receſſiſſe à Theologis Hiſpanis, qui, ut primum contradicerent *Molinæ*, tribuebant dumtaxàt Deo futurorum contingentium conditionatorum notitiam conjecturalem, non verò certam & infallibilem.

Nec minùs abludit à vero, quod ſcriptitat alter Jeſuita, ſeu *Paulus Leonardus*, dicens, *circà eadem tempora* (quibus Romæ habebantur Congregationes De Auxiliis) *celebrem in Thomiſtarum Schola opinionem extitiſſe, quæ non certam & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum cognitionem Deo concedebat, ſed probabilem ſolùm, & per conjecturas juxta cauſarum propenſionem*; Id, inquam, à vero quam maximè recedit, quia certo certiùs eſt, omnes Thomiſtas, ſive antequàm celebrarentur famoſæ Congregationes *De Auxiliis*, ſive poſt illas habitas, conſtanter & uno ore ad hanc uſque noſtram memoriam docuiſſe, Deum certam & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum notitiam habere in ſuo Decreto, eoſque dumtaxàt magno animorum æſtu impugnaſſe novellum *Molinæ* commentum, aſſerentis, Deum per Scientiam Mediam, antecedenter ad Divinæ voluntatis abſolutum Decretum habere certam & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum notitiam.

III Et ſanè, ut obiter dicam, omnes Thomiſtæ ſemper cum *S. Thoma* in I. Sent. Diſtinct. 46. Quæſt. I. Art. I. docuerunt, in Deo admittendam eſſe voluntatem antecedentem conditionatam de ſalute omnium hominum, quæ nullam ex parte voluntatis divinæ, ſed tantummodò ex parte rei volitæ involvit imperfectionem, quia res volita (ſicut fusè in ſuperioribus meis Epiſtolis oſtendi) non ſumitur cum omnibus circumſtantiis ad rectum ordinem in ſalutem. Docuerunt etiam ſemper cum *Sancto Thoma* tam antiqui, quàm recentiores Thomiſtæ, hanc voluntatem Dei Antecedentem conditionatam de ſalute omnium hominum eſſe in Deo, non metaphoricè, ſed propriè, & formaliter, eamque eſſe veram ac ſinceram *voluntatem beneplaciti* (ſicut conceptis verbis Quæſt. 23. *De Veritate* Art. 3. aſſerit *S. Thomas*) hoc autem ſemel jacto Doctrinæ *S. Thomæ* principio (in quo omnes omninò conſentiunt Thomiſtæ) manifeſtò ſequitur, omnes Thomiſtas, cùm antiquos, tùm recentiores, in hanc conſpirare ſententiam, quòd velint, Deum certò & infallibiliter omnium hominum ſalutem conditionatè futuram cognoſcere in ſuæ divinæ voluntatis Decreto, quod eſt abſolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, ſubindèque omnes Thomiſtas, ſive antiquos, ſive recentiores, unanimi conſenſu docere, Deum ſalutem omnium hominum conditionatè tantùm futuram, ſicut & alia omnia futura contingentia conditionata, certò & infallibiliter cognoſcere in ſuæ voluntatis Decreto, quod eſt abſolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, ſicut mox (juxta concordem omnium Thomiſtarum ſententiam) explanare ſatagam.

Poſtremò, ne alia benè multa congeram argumenta ad repellendam illam calumniam, qua *Gabriel Daniel*, aliique Moliniſtæ Clariſſimos Familiæ Dominicanæ Theologos, qui primùm Scientiam Mediam debellarunt, impetere audent, legeſis, ſi plura deſideres, Scriptores noſtros *Joannem à S. Thoma* Tomo I. in I. Partem *S. Thomæ* Diſput. 20. Quæſt. 14. Art. I. & *Piccinardum* Tomo 3. *De Approbatione Doctrinæ S. Thomæ* lib. 7. Quæſt. I. Art. 3. ubi invictis momentis illos Thomiſtas,

Digitized by Google

ſtas, qui primi fuerunt acerrimi Scientiæ Mediæ aggreſſores, egregiè vindicant ab illa labe, quam his Moliniſtæ injuſtè inuſſerunt, ibidémque oſtendunt, eximios illos Thomiſtas, qui primi contra Scientiam Mediam vexillum erexerunt, ſemper profeſſos fuiſſe, Deum certo & infallibilitèr cognoſcere in ſuo Decreto futura contingentia conditionata, eoſque, ſi quam cognitionem conjecturalem futurorum contingentium conditionatorum, admiſerint nunquàm exiſtimaſſe, hanc cognitionem conjecturalem eſſe in Deo, ſpectata ratione Divini Decreti (cùm abſurdum ſit dicere, Deum in ſuo Decreto cognoſcere conjecturalitèr & non certò ac infallibilitèr futura contingentia conditionata) ſed illos antiquos Thomiſtas voluiſſe dumtaxàt, cognitionem illam conjecturalem convenire & deberi futuris contingentibus conditionatis, materialiter, ut Schola loquitur, tantùm ſpectatis, prout ſcilicet futura illa conditionata in ſola & nuda cauſarum contingentium diſpoſitione (præciſo Dei Decreto) continentur.

IV. Profectò, ſi *Gabriel Daniel* ad hæc, quæ hactenùs adduxi, momenta tantiſpèr animum advertere voluiſſet, hanc tam atrocem calumniam, antiquis Thomiſtis temerè impactam, nova arte & ſtudio non reſricuiſſet, ſed potiori jure hujus accuſationis invidia *Joannem Phelippæum*, ſuæ Societatis Theologum, onerare debuiſſet. Is quippè Societatis Jeſu Theologus (quem *Philippus Alegambe*, in Bibliotheca Scriptorum ejuſdem Societatis, teſtatur, fuiſſe virum *reconditiore doctrina præditum, & in Sanctorum Patrum, atque Conciliorum lectione verſatum*) adeò fuit à Scientia Media alienus, ut eam in ſuis ad Prophetam Oſeam Commentariis confutaturus, non dubitet aſſerere, Sanctiſſimos Doctores, *Auguſtinum*, *Proſperum*, & *Fulgentium* uſque adeò ab iſto nupero *Ludovici Molinæ* commento procùl abiiſſe, ut Deo eripuerint omnem notitiam futurorum conditionatorum, quæ nunquàm re ipſa contingent: *Tres illi graviſſimi Patres, videlicèt Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius* (inquit, *Joannes Phelippæus*, Societatis Jeſu, capite ſeptimo ſui Commentarii in Prophetam Oſeam) *qui præ cæteris omnibus doctiſſimè & ſubtiliſſimè de Gratia diſputarunt, longiſſimè abfuerunt ab eo Gratiæ efficacis ſenſu, qui per Scientiam Mediam & conditionatam rationem reddit efficacitatis, quæ eſt in Gratia, cum libero arbitrio cohærentis; cùm illam ipſam Scientiam Mediam, & futura conditionata prædicti Patres reſpuerint.*

Non eſt dubium, quin iſte *Joannes Phelippæus*, Theologus alioquì eruditus, nimio profligandæ Scientiæ Mediæ ſtudio abreptus, in extremum inconſideratè abierit. Cùm enim hoc unum probandum ei eſſet, Deum futura contingentia conditionata, quæ nunquàm reapsè contingent, non cognoſcere per Scientiam Mediam, ultrà imprudentèr prætervectus, affingit Sanctis Patribus *Auguſtino*, *Proſpero*, & *Fulgentio*, quòd omnem prorsùs futurorum conditionatorum notitiam Deo eripuerint. Qua in re *Joannem Phelippæum* vehementèr fuiſſe hallucinatum certiſſimè conſtat. Quorsùm ergò *Gabriel Daniel* huic erranti Socio ſuo veniam dedit & inofficioſa ſua cenſura Dominicanos dumtaxat vexavit? ſed jure, an injuria, quis in hoſte requirat?

Fictiria itaque eſt hæc victoria, quam *Gabriel Daniel*, in Epiſtola V. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, ait *reportaſſe Ludovicum Molinam* (inventorem Scientiæ Mediæ, exploratricis futurorum conditionatorum) *in gratiam veritatis adversùs nonnullos Thomiſticarum partium, qui certam & infallibilem futurorum conditionatorum cognitionem Deo eripiebant*; hinc, inquam, *Molinæ* victoriam, quam thraſonicè jactat *Gabriel Daniel*, planè commentitiam eſſe, ex eo maximè liquet, quòd omnes Thomiſtæ, cùm antiqui, tùm recentiores, ſempèr docuerint, Deum in ſuo Decreto abſoluto ex parte ipſius, & conditionato ex parte objecti, cognoſcere, tanquàm in medio certiſſimo & in-

infallibili, omnia futura conditionata, & tantùm negaverint, & etiam nùm pernegent Thomiſtæ, Deum habere per Scientiam Mediam, antecedentèr ad omne Dei Decretum abſolutum, certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam.

V. In hoc uno dumtaxàt ſtat ac verſatur ſumma totius diſputationis, quæ, circà futurorum conditionatorum ſcientiam in Deo, extat Thomiſtas inter & Moliniſtas. Thomiſtæ quippè cum Sanctis Patribus *Auguſtino*, & *Thoma*, docent unanimi conſenſu, Deum in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum ex parte ipſius, & conditionatum ex parte objecti, cognoſcere, tanquàm in Medio certo & infallibili, futura conditionata. Hæc eſt conſtans ac perpetua omnium, cùm antiquorum, tùm recentiorum, Thomiſtarum, ſententia.

At Moliniſtæ in hoc omnes concordes ſunt, quòd velint, Deum per Scientiam Mediam, antecedentèr ad omne Decretum, certam habere futurorum conditionatorum notitiam. In hoc, inquam, omnes conſentiunt Moliniſtæ, quamvis lis ſit inter illos de *Medio*, in quo Deus per Scientiam Mediam, antecedentèr ad ſuum Decretum abſolutum, futura conditionata intueatur. *Molina*, & *Becanus* docent, Deum, per Scientiam Mediam, antecedentèr ad omne ſuum Decretum abſolutum, certam & infallibilem habere notitiam futurorum conditionatorum in cauſis ſecundis, & in quadam eminentiſſima cognitione liberi arbitrii creati, quam *ſupercomprehenſionem* appellant. Hæc igitur divina *ſupercomprehenſio* liberi arbitrii creati, eſt (juxta *Molinam*, & *Becanum*) Medium, in quo Deus per Scientiam Mediam, antecedenter ad omne ſuum Decretum abſolutum, cognoſcit futura conditionata. *Suareſius*, & *Fonſeca*, pro illo *Medio*, in quo Deus per Scientiam Mediam, antecedentèr ad ſuum Decretum abſolutum, habet certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, aſſignant Decretum Dei, non actuale & præſens, ſed *futurum* in ſigno ſequenti rationis.

Alii Moliniſtæ pro *Medio*, in quo Deus per Scientiam Mediam præviè ad ſuum Decretum abſolutum cognoſcit futura conditionata, aſſignant *veritatem objectivam futurorum conditionatorum*, quam, ex vi & lege Propoſitionum contradictoriarum, antecedentèr ad Decretum Dei abſolutum, & independentèr ab illo, habere futura conditionata pertendunt iſti Moliniſtæ.

Denique, *Theophilus Raynaudus*, pro illo *Medio*, in quo Deus per Scientiam Mediam, antecedentèr ad ſuum Decretum abſolutum, habet certam & infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum, aſſignat ſolam *voluntatem creatam*, in qua nudè & ſolitariè ſumpta, atque citrà ullum Dei concurſum, etiam præviſum, ex ſe ſola operante, videt Deus operationem ejuſdem voluntatis creatæ conditionatè futuram. Hanc ſuam ſententiam (quæ mihi omninò improbabilis, & cenſura digna videtur) his verbis exprimit mox à me laudatus Molinianus ille Scriptor: *Operatio creaturæ non antecedit actu & re ipſa concurſum divinum, ſed tantùm conditionatè, quatenùs ante concurſum Dei exhibitum actu, objicitur divino intellectui operatio voluntatis creatæ tanquàm exoritura ab ea, ſi ipſa voluntas ſola ſe poſſet agere. Ea autem anteceſſio conditionalis, quia non extrahit rem è ſtatu nihili, non exigit concurſum divinum de facto exhibitum; ſicut nec rei tantùm poſſibilis conditio oppoſita extrahit re ipſa actionem è ſtatu meræ poſſibilitatis. Sed quod ſpectat ad eſſendi actualitatem, actio conditionalitèr futura æquè eſt nihil, ac ea quæ eſt merè poſſibilis, pro qua nullus Dei concurſus actualis exigitur.*

Ludit ergò ſuos Lectores *Gabriel Daniel*, dùm hanc Moliniſtarum, quos anteà citavi, recoquit calumniam, aſſerens, *Ludovicum Molinam* ideò fuiſſe à Dominicanis impugnatum, quod per Scientiam Mediam aſſereret ac vindicaret Deo certam & infallibilem futurorum conditionatorum cognitionem, quam Dominicani, antequàm in Or-

bem

Digitized by Google

bem prodiret *Molina*, negabant, & ſolam Deo tribuebant cognitionem conjecturalem futurorum conditionatorum. Sed hanc Thomiſtis à *Gabriele Daniele*, aliiſque Moliniſtis inuſtam calumniam ſatis, opinor, retudi, eamque mox pleniùs evincam, oſtendendo, omnium Thomiſtarum animis iſtam penitiùs infixam ſemper hæſiſſe ſententiam, videlicèt, Deum, independentèr à Scientia Media, certam & infallibilem futurorum tàm abſolutorum, quàm conditionatorum, habere notitiam in ſuo Decreto, in quo, tanquàm in *Medio*, ea cognoſcit, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Deus futura abſoluta certò & infallibilitèr in ſuo Decretò abſoluto tam *ex parte Dei*, quàm *ex parte objecti*, cognoſcat; futurorum verò conditionatorum certam & infallibilem notitiam habeat Deus in ſuo Decreto, quod (ſicut docent omnes Thomiſtæ) eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu *ex parte Dei*, conditionatum verò *ex parte objecti*.

VI. Verùm, quò faciliùs intelligas quid ſibi velint Thomiſtæ, dùm in Deo admittunt Decretum, quod tam *ex parte ſubjecti*, ſeu *ex parte Dei*, quàm *ex parte objecti*, eſt abſolutum; quid verò intelligant per iſtud Decretum, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu *ex parte Dei*, eſt abſolutum, ſed conditionatum *ex parte objecti*; operæ pretium eſt obſervare primò, Thomiſtas, circà cognitionem certam & infallibilem qua Deus pollet rerum omnium tàm abſolutè, quàm conditionatè futurarum, duplex Dei diſtinguere Decretum, unum videlicèt, quod eſt abſolutum tàm *ex parte Dei*, quàm *ex parte objecti*, quia illud Decretum nullam importat conditionem tam ex parte Dei, quàm ex parte objecti, ſed eſt ex utraque parte omninò abſolutum, ſicut Ex. Gr. quandò Deus format hoc Decretum *Volo Petrum ſalvare*, hoc Decretum dicitur *abſolutum*, quia è nulla conditione pendet; & in hoc Decreto, quod eſt abſolutum tam ex parte Dei, quàm ex parte objecti, dicunt Thomiſtæ, Deum certò cognoſcere omnia futura abſoluta.

Claſſis III.

Alterum Decretum Thomiſtæ diſtinguunt, in quo volunt, Deum certò cognoſcere futura conditionata; quodque docent eſſe *abſolutum* ex parte Dei, ſed *conditionatum* ex parte objecti, ſicut, Exempli cauſa, quandò Deus format hoc Decretum; *Volo ſalvare omnes homines, ſi hoc non repugnet manifeſtationi juſtitiæ meæ, ſplendori univerſi, & contingentiæ creaturæ, quæ defectibilis eſt*. Hoc Decretum, (inquiunt Thomiſtæ) eſt quidèm ex parte Dei abſolutum, quia Deus vera & ſincera voluntate Antecedenti vult ſalutem omnium hominum conſideratam ſine circumſtantiis; at idem Dei Decretum de ſalute hominum præcisè in ſe ſpectata; & ab omnibus circumſtantiis (ſicut explicat *S. Thomas*) avulſa, eſt conditionatum ex parte objecti, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, quæ (ſicut docet idem Angelicus Doctor) non conſideratur à voluntate Dei Antecedenti cum omnibus circumſtantiis. Itaque iſtud Decretum, quo Deus per voluntatem ſuam Antecedentem vult ſalutem omnium hominum in ſe præcisè conſideratam & ab omnibus circumſtantiis abſtractam, eſt quidèm *abſolutum* ex parte Dei, ſed eſt *conditionatum* ex parte objecti, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, quæ conſideratur à Deo præciſis omnibus circumſtantiis; ità ut tamen illa conditio, quam Decretum Dei importat ex parte objecti, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, non pendeat à voluntate creaturæ, ſed pendeat è ſolo Deo, qui, conſiderando ſalutem omnium hominum cum omnibus circumſtantiis, ideſt, cum contingentia & defectibilitate creaturæ, & cum manifeſtatione ſuæ juſtitiæ, non vult voluntate conſequenti ſalutem omnium hominum, ſed aliquos ſuæ propriæ contingentiæ & defectibilitati relinquendo, permittit ut in peccata prolabantur, vultque illos, propter ipſorum peccata ac demerita, privare ſalute æterna, & ſempiternis pœnis addicere. Hoc pacto Thomiſtæ cum Sancto *Thoma* (ſicut latè expoſui in meis præcedentibus Epiſtolis quæ in ſecunda mearum Epiſtolarum Claſſe ſunt ordine ſeptima

D &

Digitized by Google

& octava) exponunt Decretum, quo Deus voluntate antecedenti vult ſalutem omnium hominum, quodque (ut docent) eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, ſed conditionatum *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, ita ut tamen hæc decreti Dei conditio, quæ ſe tenet tantùm *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, non pendeat à voluntate creata, ſed à ſolo Deo.

Prætereà, obſervare debes cum noſtro *Jo: Baptiſta Goneto* Diſputatione V. *De Scientia Conditionatorum* Art. 2. decretum poſſe bifariàm dici *conditionatum*. Primò Decretum poteſt dici conditionatum *ex parte ſubjecti*, quandò aliquis non habet abſolutam & efficacem voluntatem faciendi aliquid, ſed ſimplicem velleitatem; utì ſiquis dicat: *Vellem venari, ſi hoc liceret Clerico*: hac enim loquendi ratione non ſignificat, ſe actu habere veram, abſolutam & poſitivam voluntatem venandi, ſed tantùm velleitatem, ſeque veram & abſolutam venandi voluntatem habiturum, ſi licita eſſet Clerico venatio.

Secundò, Decretum poteſt dici conditionatum non *ex parte ſubjecti*, ſed tantùm *ex parte objecti*, ſicut V. Gr. ſi quis dicat: *Volo dare centum nummos Petro, ſi craſtina die viſitaverit me*; hoc Decretum quidèm abſolutum eſt *ex parte ſubjecti*, quia ex parte volentis exprimit veram, abſolutam, & poſitivam, quam habet, voluntatem dandi centum nummos, ſed tamen eſt conditionatum *ex parte objecti*, quia effectus illius Decreti (quod *ex parte ſubjecti* eſt abſolutum) *Volo dare centum nummos Petro*, ſuſpenditur, inquam, illius Decreti effectus, donec iſta, quæ tantùm ſe tenet *ex parte objecti*, ponatur conditio, videlicèt, *ſi Petrus viſitaverit me*.

III. His præmiſſis duabus obſervationibus, nunc clariſſimè tuos ob oculos ponam verum ſtatum iſtius Diſputationis, quæ extat Thomiſtas inter & Moliniſtas ac Janſeniſtas circà Scientiam Mediam, Decreta conditionata, & circà notitiam, quam Deus habet futurorum conditionatorum. Inprimis Moliniſtæ docent, tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, admittendam eſſe in Deo Scientiam Mediam, per quam, antecedentèr ad omne ſuum Decretum abſolutum, cognoſcit futura conditionata. Secundò, docent itidèm Moliniſtæ, Decretum, quod Deus habet de ſalute omnium hominum tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, non eſſe abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu *ex parte Dei*, & conditionatum *ex parte objecti* (ſicut omnes ſentiunt Thomiſtæ) ſed volunt Moliniſtæ, Decretum illud, quod Deus habet de ſalute omnium hominum tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, eſſe conditionatum tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, *quàm ex parte objecti*, ita ut Deus voluntatem, quam habet, ſalvandi omnes homines ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, hoc Decreto (quod tam *ex parte Dei volentis*, quàm *ex parte objecti*) eſt merè conditionatum, exprimat, dicens: *Vellem ſalvare omnes homines tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, ſi ipſi velint, ideſt, ſi ipſi velint Gratiam verſatilem & indifferentem, quam eis promiſcuè offeram, per ſuum conſenſum, & bonam determinationem reddere efficacem*; undè inferunt Moliniſtæ, hanc conditionem iſtius Decreti, quod Deus habet de ſalute omnium hominum ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, *ſi ipſi velint*, pendere non à Deo, ſed à voluntate hominis, qui Gratiam verſatilem, ſibi oblatam à Deo, reddit efficacem. Ad hæc duo potiſſimùm capita tota Moliniſtarum doctrina de Scientia Media, de decretis conditionatis in Deo, & de notitia futurorum conditionatorum, quam, ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, habet Deus, facilè revocatur.

Janſenius, & Janſeniſtæ partìm in hac doctrina conveniunt cum *Molina*, & Moliniſtis, partìm ab illis differunt. In hoc, inquam, *Janſenius* & Janſeniſtæ conſentiunt cum *Molina*, & Moliniſtis

ſiniſtis, quòd primò velint, in ſtatu naturæ innocentis admittendam eſſe Scientiam Mediam, cujus beneficio Deus prævié ad ſuum decretum abſolutum exploret & cognoſcat futura conditionata: Secundò, *Janſenius*, & Janſeniſtæ docent perindè ac *Molina* & Moliniſtæ, decretum, quod Deus habet, de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ innocentis, eſſe merè conditionatum tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, quam *ex parte objecti*; atque iſtius divini decreti de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ innocentis conditionem pendere non à Deo, ſed à voluntatibus hominum in ſtatu naturæ innocentis, & à voluntatibus Angelorum adhùc in via exiſtentium, quos omnes, ſive homines in ſtatu innocentiæ, ſive Angelos, adhùc in via exiſtentes, Deus (juxta doctrinam *Janſenii*, & Janſeniſtarum) voluiſſet ſalvos facere, *ſi ipſi voluiſſent*, hoc eſt, ſi homines in ſtatu innocentiæ, & Angeli, adhùc in via exiſtentes, voluiſſent benè uti Gratia verſatili, & indifferenti, ipſis conceſſa, eamque per ſuum conſenſum & bonam determinationem reddere efficacem. Hinc Janſeniſtæ unà cum Moliniſtis aſſerunt, Prædeſtinationem bonorum Angelorum ad gloriam fuiſſe à Deo factam poſt illorum meritorum prævisionem, quia (inquiunt) Deus, antequam formaret decretum abſolutum de eorum Prædeſtinatione ad gloriam, præviderat per Scientiam Mediam illos per ſuum conſenſum & bonam determinationem reddituros efficacem Gratiam verſatilem, & ſuo libero arbitrio permiſſam, dùm reprobi Angeli eamdem gratiam verſatilem & indifferentem per ſuum diſſenſum reddiderunt inefficacem.

Verbo dicam, quidquid Moliniſtæ dicunt in ſtatu naturæ innocentis de Scientia Media de decretis conditionatis tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, quàm *ex parte objecti*, & denique de cognitione, quam Deus habet futurorum conditionatorum per Scientiam Mediam antecedenter ad ſuum Decretum abſolutum; hæc, inquam, omnia Janſeniſtæ unà cum Moliniſtis ultrò admittunt in ſtatu naturæ innocentis, ita ut Moliniſtarum & Janſeniſtarum doctrinæ de Gratia verſatili, de decretis divinis in ſtatu innocentiæ conditionatis tam *ex parte ſubjecti*, quàm *ex parte objecti*, & de cognitione futurorum conditionatorum antè abſolutum Dei decretum, eadem ſint omninò principia, & in hoc tantùm differant, quòd Moliniſtæ hæc ſuæ doctrinæ principia tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ acritèr defendant; Janſeniſtæ verò, ſibi minimè conſtantes, hæc Molinæ & Moliniſtarum doctrinæ principia, quæ ipſi in ſtatu naturæ innocentis approbant & magnis animis, tanquàm doctrinæ *S. Auguſtini* maximè conſentanea, propugnant, rejiciant peniùs in ſtatu naturæ lapſæ; eaque tanquàm omninò falſa, & a principiis ejuſdem S. Doctoris de Gratia diametralitèr oppoſita, explodant, proſcribant ac deteſtentur; ſicque, neſcientes Janſeniſtæ ubi tutò pedem figere poſſint, utroque genu claudicent, varient linguis & ſententiis, & una manu principia doctrinæ de Gratia adſtruant, quæ altera manu funditùs evertunt.

At, Thomiſtæ, à principiis doctrinæ de Gratia, quæ Moliniſtæ & Janſeniſtæ ſtabiliunt tàm in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, quàm longiſſimè recedentes, docent primo, neque in ſtatu innocentiæ, neque in ſtatu naturæ lapſæ admittendam eſſe Gratiam verſatilem, & Scientiam Mediam, per quam Deus antè ſuum Decretum abſolutum cognoſcat futura conditionata. Secundò, Thomiſtæ docent, non eſſe admittenda tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ divina Decreta, quæ ſint conditionata tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, *quàm ex parte objecti*; & quorum conditio non pendeat à Deo, ſed à voluntate creata. Tertiò docent unanimi conſenſu Thomiſtæ, Deum habere tam in ſtatu naturæ innocentis, quam in ſtatu naturæ lapſæ certam & infallibilem notitiã omnium futurorum abſolutorum in ſuo decreto, quod eſt

abſolutum, tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quàm *ex parte objecti*, cujus ſubindè futurus eventus à nulla conditione pendet. Quartò docent, Deum habere itidem ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ certam & infallibilem notitiam futurorum conditionatorum in ſuo decreto, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, *eſt abſolutum*, ſed *ex parte objecti* eſt *conditionatum*. Poſtremò docent Thomiſtæ, tam prædeſtinationem Angelorum ad gloriam in ſtatu viæ, quàm prædeſtinationem ad gloriam hominum in ſtatu naturæ lapſæ eſſe purè gratuitam, & omninò independentem à præviſione meritorum, ſive independentem à præviſo per Scientiam Mediam (Decreto Dei abſoluto præviam) conditionatè futuro conſenſu ſivè Angelicæ, ſivè humanæ voluntatis.

IV. Status itaque præſentis, quam ventilamus, quæſtionis non in hoc ſiſtit (quemadmodùm *Pater Daniel*, aliique Moliniſtæ falsò perſuadere vellent) *utrùm Deus certam & infallibilem habeat, tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, futurorum conditionatorum notitiam?* Non, in hoc, inquam, ſiſtit præſentis quæſtionis ſtatus; cùm omnes ad unum Thomiſtæ (ſicut mox dixi) conſtantèr doceant Deum habere certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam tam in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ: ſed præſentis quæſtionis ſtatus in hoc verſatur dumtaxat: *In quo Medio Deus certam & infallibilem habeat, tàm in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, notitiam futurorum conditionatorum? Molina*, & Moliniſtæ contendunt, Deum certam & infallibilem, ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, habere notitiam futurorum conditionatorum per Scientiam Mediam, quæ antecedit omne Dei Decretum abſolutum.

Janſenius & Janſeniſtæ docent quidèm cum Moliniſtis, Deum habere certam & infallibilem, in ſtatu naturæ innocentis, notitiam futurorum conditionatorum per Scientiam Mediam, quæ antevertit decretum Dei abſolutum: ſed cùm *Janſenius*, & Janſeniſtæ, rejiciant in ſtatu naturæ lapſæ decreta Dei conditionata tam in ſenſu Thomiſtarum, quàm in ſenſu Moliniſtarum, & eo in ſtatu agnoſcant, & admittant dumtaxat decreta, quæ ſunt abſoluta tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quàm *ex parte objecti*; ideò, Janſeniſtæ, ſectantes principia doctrinæ *Janſenii*, tenentur (velint nolint) aſſerere, Deum in nullo decreto cognoſcere in ſtatu naturæ lapſæ futura conditionata, ſubindèque Deum non habere in ſtatu naturæ lapſæ certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, ſed tantùm probabilem & conjecturalem juxta cauſarum ſecundarum propenſionem.

Contra, Thomiſtæ omnes tàm adversùs *Molinam*, & Moliniſtas, quàm adversùs *Janſenium*, & Janſeniſtas, pronuntiant & dicunt, Deum certam & infallibilem, ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ habere notitiam futurorum conditionatorum, eaque certò & infallibilitèr cognoſcere in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu Dei, & conditionatum *ex parte objecti*.

Habes itaque, cariſſime diſcipule, ſtatum hujuſce quæſtionis in optima luce poſitum, quem tamen *P. Daniel*, & alii nonnulli Moliniſtæ de induſtria celare, vel aliò detorquere moliti ſunt, dictitantes, primò, Thomiſtas, ideò naſcentem *Molinæ* doctrinam de Scientia Media, futurorum conditionatorum exploratrice, totis ſuis viribus impugnaſſe, quòd ipſi Deo eriperent certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, quam *Molina*, beneficio Scientiæ Mediæ, præviæ Decreto abſoluto, tribuit Deo. (quam oppidò falſam, & antiquis ac clariſſimis Thomiſtis planè injuriam ſuppoſitionem jam abundè retudi ac diſpunxi.) Secundò, aſſerentes, ſtatum præſentis controverſiæ Thomiſtas inter & Moliniſtas in hoc dumtaxàt ſitum eſſe: *Utrùm Deus certam & infallibilem habeat futurorum conditionatorum notitiam?*

Quod tamen omninò abludit à vero, quia nunquàm ſive antiqui, ſive recentiores Thomiſtæ in dubium revocarunt, *an Deus habeat certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam?* ſed conſtanter ac perpetuò docuerunt, Deum in ſuo decreto, ex parte ſui abſoluto, & conditionato ex parte objecti, certò & infallibilitèr cognoſcere furura conditionata; atque dumtaxàt *Molinam*, ejuſque diſcipulos impugnarunt, quòd dicerent, Deum per Scientiam Mediam, antecedentèr ad omne decretum abſolutum, habere certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam. In hoc ſtat totius diſputationis cardo, & hoc unum eſt, quod omnes ad unum Thomiſtæ in Molinæ, & Moliniſtarum doctrina impugnarunt, & magno animorum æſtu ſemper impugnabunt, ut potè à doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* penitùs alienum, ſicut multis, iiſque luculentiſſimis (ni meus me fallit animus) argumentis in duabus ſuperioribus meis Epiſtolis evici.

V. Nunc contra Moliniſtas probandum mihi incumbit primò, Deum, independentèr à Scientia Media, habere (juxtà omnium Thomiſtarum doctrinam) certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, & conditionatum *ex parte objecti*. Secundò, probandum ſuſcipio, nullo pacto eſſe admittenda Decreta in Deo, quæ ſint conditionata tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quàm *ex parte objecti*, qualia Moliniſtæ admittunt in Deo. Hæc duo ut clarè ac diſtinctè exponam, duas ſequentes ponam Aſſertiones.

Aſſertio prima: *Deus (juxta perpetuam totius Scholæ Thomiſticæ doctrinam) habet, independentèr à Scientia Media, certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti.*

Hac Aſſertione veram ac genuinam contineri omnium Thomiſtarum doctrinam circà certam & infallibilem, quam Deus habet, futurorum conditionatorum notitiam, apertiſſimè patet ex illo inconcuſſo Fidei Dogmate, quod cum Sanctis Patribus, cum Conciliis Generalibus, & juxta plures Eccleſiæ Catholicæ definitiones contra errores *Lutheri*, *Calvini*, *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli*, univerſa tenet Schola Thomiſtica: videlicèt, Deum vera, & ſincera voluntate antecedenti velle ſalutem omnium hominum. In hujus Fidei Catholicæ Dogmatis defenſionem conſpirare omnes Thomiſtas, jam invictis argumentis oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis, quæ in ſecunda mearum Epiſtolarum Claſſe ſunt ordine ſeptima, & octava. Undè ſic argumentor:

Omnes Thomiſtæ admittunt in Deo veram, ſinceram ac realem voluntatem Antecedentem, qua vult ſalvare omnes in individuo homines; docent, inquam, omnes Thomiſtæ adversùs *Janſenium*, & *Queſnellum*, voluntatem Dei Antecedentem de ſalute omnium non eſſe voluntatem *ſigni*, quæ tantùm eſt voluntas metaphorica, &c. non exiſtit formalitèr in Deo, ſed docent, hanc voluntatem Dei Antecedentem de ſalute omnium hominum, eſſe formalitèr in Deo, eamque cum *S. Thoma* Quæſt. 23. *De Veritate* Art. 3 appellant *Voluntatem Beneplaciti*. Atqui omnes etiam Thomiſtæ unanimi calculo profitentur, hanc Voluntatem Dei Antecedentem de ſalute omnium hominum involvere decretum, quod ex *parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, verè, poſitivè, & formalitèr volentis ſalutem omnium hominum, eſt *abſolutum* & tantummodo eſt *conditionatum* ex parte objecti, ſeu ex parte hominum ſalutis, quæ (ut inquit *S. Thomas*) non ſumitur cum omnibus circumſtantiis neceſſariis ad rectum ordinem in ſalutem, ergò omnes Thomiſtæ docent cum *S. Thoma*, Deum, independentèr à Scientia Media, habere certam, & infallibilem notitiam ſalutis conditionatè futuræ omnium hominum in decreto,

quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, volentis ſalutem omnium hominum, eſt *abſolutum*, ſed *ex parte objecti* eſt *conditionatum*, & cujus conditio à ſola Dei voluntate pendet, non à voluntate creaturæ. Patet itaque Sole meridiano clarius, omnes Thomiſtas conſtanter docere, Deum, independenter à Scientia Media, certam & infallibilem habere tàm ſalutis omnium hominum conditionatè futuræ, quàm omnium aliorum conditionatè futurorum notitiam in Decreto, quod ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, eſt abſolutum, ſed ex parte objecti eſt conditionatum. Volvant ſe, quantùm voluerint, Moliniſtæ, & in omne latus ſeſe verſent, nunquàm tamen, mehercle, ab hoc argumento, quod palmare eſt in Schola Thomiſtarum, ſeſe expedient & forte deſinent tandem aliquandò antiquis Thomiſtis, qui primùm Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, impugnarunt, falsò imponere, quòd Deo eripuerint certam & infallibilem notitiam futurorum conditionatorum.

VI. Prætereà, Scriptura Sacra frequentèr mentionem facit de pactis, aut promiſſis Dei de rebus ſub conditionibus futuris nunquàm implendis, qualia ſunt propemodùm infinita, ſicut Ex. Gr. voluntas Dei conferendi poſteris Adami juſtitiam originalem, ſi illorum parens (ſeu Adamus) præcepto divino obtemperaret: quale fuit etiam pactum Dei cum Rege *Davide* initum de ſervando ſempèr ejus filiis Regno hæreditario, ſi Patris pietatem imitarentur: qualis etiam fuit voluntas Patris æterni mittendi filio ſuo Chriſto Domino legiones Angelorum, ſi de his mittendis illum tempore Paſſionis ſuæ Chriſtus rogaſſet: qualis denique fuit voluntas Dei de converſione Ethnicorum Tyriorum, & Sidoniorum, ſi Chriſtus apud illos prædicaſſet & feciſſet miracula, quæ patravit apud Judæos Corozaitas & Bethzaidas. Hæc pacta (inquiunt Thomiſtæ) hæ promiſſiones, hæ Dei voluntates, quæ in Sacris Litteris de rebus futuris ſub conditionibus nunquàm implendis exprimuntur, continent decretum, quod ex parte Dei eſt abſolutum, conditionatum verò ex parte objecti; ergò Deus certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam habet in ſuo decreto, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, eſt abſolutum, ſed eſt conditionatum ex parte objecti.

Hujus Syllogiſmi minorem Propoſitionem multis momentis probant Thomiſtæ, & primò quidèm ex ipſis Chriſti Domini verbis, quæ leguntur cap. 26. V. 53. Evangelii *Matthæi*, ubi Chriſtus dixit Petro: *An putas, quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim Legiones Angelorum*: Ex quibus Chriſti Domini verbis ſic argumentantur Thomiſtæ: Chriſtus eò loci disertè aſſerit, ſibi exhibiturum Patrem æternum duodecim legiones Angelorum, ſub hac conditione, *ſi illas tempore Paſſionis ſuæ ab eo poſtulaſſet*, ergo exhibitio illa duodecim legionum Angelorum, eo momento, quo à Chriſto aſſerebatur, non ſolùm fuit prævisa à Patre æterno, ſed etiam ab ipſo volita per Decretum, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Patris æterni, volentis duodecim illas legiones Angelorum mittere, erat abſolutum, ſed ex parte objecti erat conditionatum, idest, pendens ab hac conditione: *Si Chriſtus has legiones Angelorum rogaſſet*; ergò Pater æternus certò & infallibiliter cognoſcebat exhibitionem illam Angelorum conditionatè futuram in ſuo decreto, quod erat abſolutum ex parte ſubjecti, & conditionatum ex parte objecti; nam ſi Pater æternus non habuiſſet determinatam voluntatem, ſeu decretum actuale & abſolutum de mittendis Angelis, voluntas Patris æterni manſiſſet indifferens ac ſuſpenſa, ſubindèque hæc exhibitio de mittendis Angelis certa & firma non fuiſſet, nec à Chriſto debuiſſet aſſeri ut indubitata; manente enim cauſa indifferenti & indeterminata, manet itidèm effectus indifferens & indeterminatus; ſi igitur Pater æternus non habuit ex parte ſui determinatam voluntatem, ſeu actuale & abſolutum decretum de mittendis Ange-

ge-

Digitized by Google

gelis, exhibitio quoque Angelorum fuit indifferens, indeterminata, atque incerta: Atquì tamen Chriſtus Dominus hanc exhibitionem Angelorum certam & indubitatam fuiſſe aſſerit, ſi illam à Patre æterno poſtulaſſet; ut itaque Chriſti Domini verbis veritas conſtet, dicendum eſt, Patrem æternum habuiſſe determinatam voluntatem mittendi Angelos, ſeu habuiſſe actuale de mittendis Angelis Decretum, quod ex parte Dei erat abſolutum, ſed conditionatum ex parte objecti, pendens videlicèt ab illa conditione: *Si Chriſtus has legiones Angelorum à Patre ſuo æterno rogaſſet*; quæ conditio non fuit poſita, quia Deus, attenta redemptione generis humani, noluit ut poneretur. Hinc Chriſtus loco mox à me laudato, poſtquàm dixiſſet Petro: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Statim ſubdit: *Quomodò ergò implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri.*

VII. Tertiò, Thomiſtæ probant ex *S. Auguſtino*, Deum habere in ſuo Decreto notitiam certam & infallibilem omnium ſive abſolutè, ſivè conditionatè futurorum, ſicut & promiſſionum, quas hominibus facit. Aquilinus quippè ille Doctor cap. 10. Libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, poſtquàm prolixè egit de promiſſione facta *Abrahamo*, quòd eſſet pater multarum gentium conſtituendus, hæc adjungit ſummus iſte divinæ gratiæ Doctor. *Credidit Abraham dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt & facere. Non ait prædicere, non ait præſcire; nam & aliena facta poteſt prædicere atque præſcire: ſed ait: potens eſt & facere, ac per hæc facta non aliena, ſed ſua.* Et ſuperiùs dixerat S. ille Doctor: *Quandò Deus promiſit Abrahæ Fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione* (ſeu decreto) *promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus eſſet, non quod homines.* Ex quibus verbis iſtud elicio argumentum: *Deus* (juxta S. Auguſtinum) *non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua Prædeſtinatione* (ſeu Decreto) promiſit Abrahamo Fidem, ſeu ſalutem gentium in ſemine ipſius, hoc eſt, in Chriſto ut Redemptore; eaque promiſſio pertinet ad eos omnes, quorum Chriſtus eſt Redemptor, ſed ſalus aliquorum, ſeu Electorum, quorum Chriſtus erat Redemptor, eſt abſolutè futura; ſalus verò reproborum, quorum Chriſtus eſt itidèm redemptor, eſt tantùm conditionatè futura; ergò, ex *S. Auguſtino* Deus, promittendo Fidem gentium in ſemine Abrahæ, ideſt, in Chriſto ut Redemptore, cognovit in ſuo decreto abſoluto ſalutem abſolutè futuram Electorum ac Prædeſtinatorum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus voluntate conſequenti ac efficaci, & cognovit etiam Deus in decreto, quod ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, eſt abſolutum, ſed ex parte objecti eſt conditionatum: cognovit, inquam, Deus in hoc decreto ſalutem conditionatè tantùm futuram reproborum, pro quibus Chriſtus, omnium Redemptor, à Deo promiſſus Abrahæ in ſemine ipſius, mortuus eſt voluntate antecedenti, quæ licèt ſit abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis ſalutem reproborum, eſt tamen conditionata *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis reproborum, quæ (ut anteà expoſui) non conſideratur à Deo cum omnibus circumſtantiis, & annexam habet conditionem, quæ non à voluntate creata, ſed à ſolo Deo pendet.

Mens genuina *S. Auguſtini* ſuper hac re evidentiùs pateſcit ex diſputatione, quam habuit S. ille Doctor cum Maſſilienſibus, ſeu cum hæreticis Semipelagianis. Volebant enim Semipelagiani, totam Electorum prædeſtinationis veritatem niti præſcientia divina, qua Deus ante ullum decretum cognoſceret, quidquid futurum eſſet, & huic præſcientiæ divinæ (poſtquàm Deus ejus beneficio cognoviſſet quid futurum eſſet, ſi eo tempore & loco prædicaretur Evangelium, & quinam eſſent crediturі) Semipelagiani adjungebant Dei decretum de prædicando Evangelio, de Gratia vocationis conferenda iis, quos præſciebat, ante omne decretum actuale, conſenſuros, & de impertien-

Digitized by Google

da illis Gratia, ex qua infallibilitèr ſequeretur effectus. Huic ſuæ erroneæ opinioni adſavere *S. Auguſtinum* eo potiſſimùm nomine pertendebant Semipelagiani, quòd S. ille Doctor in Libro *De ſex Quæſtionibus Paganorum*, ſeu in Epiſtola 102. Quæſtione ſecunda, ait, *Chriſtum tunc voluiſſe apparere, & prædicari doctrinam ſuam, quandò, & ubi ſciebat, qui in eum erant credituri*.

En profectò (ſi candidè loqui velimus) ipſiſſimam præſentem controverſiam noſtram conceptis verbis à Semipelagianis propoſitam *S. Auguſtino*. Vide nunc, ſodes, quid de illa cenſeat & ſtatuat S. ille Doctor? negat in primis, præſcientiam futurorum præcedere Decretum Dei, Lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 10. & Lib. *De Dono Perſeverantiæ* cap. 9. Prætereà aſſerit ibidèm S. ille Doctor, Deum præſcire futura in ſua Prædeſtinatione, ſeu in Decreto ſuo. Tertiò docet, Chriſtum voluiſſe hominibus apparere, & apud illos prædicare doctrinam ſuam, quandò ſciebat, & ubi ſciebat, *qui electi fuerant in ipſo ante Mundi conſtitutionem*. Denique affirmat, converſionem Tyriorum, & Sidoniorum, quæ erat tantùm conditionatè futura, *ad divina judicia & ad latentes cauſas Prædeſtinationis pertinere*.

Ex quibus doctrinæ *S. Auguſtini* principiis ſic primò argumentor: Præſcientia omnium futurorum non antecedit Decretum Dei, ſed ei (ut docet *S. Auguſtinus*) ſemper innititur, ergò ex *S. Auguſtino* Deus, ante Decretum ſuum, non habet certam & infallibilem notitiam rerum ſive abſolutè, ſive conditionatè futurarum; Ergò Deus ex *S. Auguſtino* habet certam & infallibilem rerum abſolutè futurarum in ſuo Decreto, quod tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, quàm *ex parte objecti* eſt abſolutum; rerum verò, quæ ſunt tantùm conditionatè futuræ, Deus certam & infallibilem notitiam habet in ſuo Decreto, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, eſt abſolutum, ſed ex parte objecti eſt conditionatum.

Secundò, ſic argumentor: Deus (juxta *S. Auguſtinum*) præſcit omnia futura *in ſua Prædeſtinatione*, ideſt, in Decreto ſuo, ergò ex *S. Auguſtino* Deus certò & infallibilitèr cognoſcit in Decreto ſuo omnia ſivè abſolutè, ſive conditionatè futura. Denique, ſic arguo: Converſio Tyriorum, & Sidoniorum erat tantùm conditionatè futura (ut fatentur Moliniſtæ): Atqui *S. Auguſtinus* cap. 9. Libri *De Dono Perſeverantiæ* diſertè docet, hanc conditionatè futuram converſionem Tyriorum & Sidoniorum pertinere ad latentes cauſas Prædeſtinationis, ſeu Decreti Dei: *In eis* (ſeu in Tyriis & Sidoniis) *cognoſcimus*, ait S. Auguſtinus, *ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere, ſine quarum latentium cauſarum præjudicio tunc* (ſeu in libro, quem edidit, de ſex Quæſtionibus Paganorum) *iſta me reſpondere dixi*; ergò ex *S. Auguſtino* Deus converſionem Tyriorum & Sidoniorum conditionatè futuram cognovit in ſuo Decreto, *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, abſoluto; ſed *ex parte objecti* conditionato, cujus tamen conditio non à voluntate creata, ſed à ſolo Deo pendet. Et ſanè, cùm eadem ſit proportionalitèr ratio de futuris conditionatis, ac de futuris abſolutis, indè certa conſecutione deducitur, quòd, quemadmodùm *S. Auguſtinus* docet, Deum abſolutè futura cognoſcere in ſua Prædeſtinatione, ſeu in ſuo decreto, quo voluit illa abſolutè fore, ſic S. ille Doctor cenſet, Deum cognoſcere conditionatè futura in Decreto, quo voluit eſſe futura ſub conditione, quæ non ſe tenet *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, ſed tenet ſe *ex parte objecti*, quæque non à voluntate creata, ſed à ſolo Deo pendet.

VIII. Id confirmant Thomiſtæ hac ratione: Sunt plura conditionatè futura in Sacris Litteris revelata, quæ nullam ex ſe ipſis, aut tantùm contingentem connexionem habent cum ſua conditione, quæque à voluntate Dei omninò dependent, & ab ea ſolùm habent ut connectantur cum ſua conditione; Ergò (inferunt Thomiſtæ) ejuſmo-

mo-

Digitized by Google

modi futura non poſſunt aliter à Deo præſciri, quam in divina ipſius voluntate, ſeu in Decreto, abſoluto quidem ex parte Dei, ſed conditionato ex parte objecti. Probant Thomiſtæ antecedens hujus enthimematis pluribus conditionatè futuris, quæ leguntur in Scriptura Sacra. Ex Gr. Lib. I. Regum cap. 23. Deus prædixit *Davidi*, cives urbis Ceilæ illum *Sauli* Regi tradituros, ſi apud eos maneret. Sic eidem *Davidi* promiſit, Regnum Iſrael in ejus familia ſemper manſurum, ſi tamen ejus poſteri divina mandata cuſtodirent. Sic lib. 4 Regum cap. 13. cùm ad Regem *Joam*, ægrotantem, Propheta *Elizæus* veniſſet, juſſit ei vir Dei ut per feneſtram adversùs agrum Syriæ ſagittas vibraret, & cùm percuſſiſſet terram tribus jaculis, & deindè ceſſaſſet, iratus Propheta *Elizæus*, ei ſuccenſendo, dixit: *Si percuſſiſſes quinquiès, aut ſexiès, ſive ſeptiès, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*. Sic Denique Chriſtus Cap. XI. *Matthæi* affirmat, quòd ſi in Sidone, & Tyro factæ fuiſſent virtutes, quæ apud Judæos Bethzaidas, & Corozaitas factæ ſunt, in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent. Ex his conditionatè futuris, quæ in Scriptura Sacra leguntur, ſic argumentantur Thomiſtæ: Inter illa conditionatè futura, quæ in Sacris Litteris revelantur, quædam ſunt, quæ, cùm ex ſe ipſis nullam, aut ſaltèm ſolùm contingentem habeant connexionem cum ſua conditione, ex mero Dei arbitrio, & ex ſola Dei voluntate pendebant (quale eſt, V. G. futurum illud conditionatum de pluribus victoriis, quas Rex *Joas* relaturus erat, ſi pluriès terram percuſſiſſet) ergò hujuſmodi conditionate futura Deus nec certò cognoſcere, nec certò prædicere poterat in ipſa cauſarum ſecundarum diſpoſitione, ſed dumtaxàt in ſuo decreto abſoluto ex parte ſubjecti, & conditionato ex parte objecti; in quo decreto, tanquàm in Medio, Deus certò & infallibilitèr cognoſcit, eventuras res conditionatè futuras ſi ipſe poneret conditionem, è qua pendet earum futuritio.

Prætereà, inquiunt Thomiſtæ, futura conditionata neceſſaria, ideſt, quæ habent neceſſariam connexionem cum conditione ſua, independenter à Scientia Media cognoſci à Deo vi neceſſariæ connexionis, quam habent cum conditione ſua. Hæc autem futura conditionata neceſſaria, Ex. Gr. *Si Petrus peccet, Gratiam ſanctificantem amittet*, Deus certò cognoſcit per Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoſcit res merè poſſibiles & neceſſarias. Quòd ſi futura conditionata habeant tantùm cum conditione ſua contingentem & fallibilem connexionem, atque ab humano pendeant arbitrio, ſicut converſio conditionatè futura Tyriorum, & Sidoniorum; proditio conditionatè futura *Davidis* à viris urbis Ceilę &c. Tunc dicunt Thomiſtæ, futura illa conditionata, quæ contingentem & fallibilem habent connexionem cum ſua conditione, & ab humano pendent arbitrio, certò cognoſci à Deo per *Scientiam Viſionis* in ſuo decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionatum *ex parte objecti*; nulla quippè futura conditionata, quæ pendent ex hominis arbitrio, certò præſciri poſſunt extra Dei voluntatem, cùm in manu Dei ſit hominis voluntas (quæ nihil ſivè abſolutè, ſive conditionatè unquàm futurum factura eſt) niſi eam priùs movente, determinante, ac dirigente divina voluntate.

In ſuo itaque Decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, & conditionatum, ex parte objecti, Deus certò cognoſcit futura illa conditionata, quæ contingentem, liberam ac fallibilem habent connexionem cum ſua conditione, pendentque ex libero hominis arbitrio; non quòd Deus prædicta illa futura conditionata in ſuo Decreto videat tanquam actu exiſtentia; ſed quòd Deus in ſuo decreto videat connexionem, quàm ſtatuit inter illa futura, & eorum conditionem. Quamvis enim hæc futura conditionata, reipſa, & in ſe ipſis conſiderata, nihil ſint, attamen in rationibus divinæ Providentiæ ſunt aliquid connectens futurum conditionatum

tum cum ſua conditione, & hanc connexionem, quam iſta futura conditionata habent cum ſua conditione, videt Deus in ſuo decreto, ſubindèque in eodem decreto videt rem conditionatè futuram. Quò fit, ut talis cognitio futurorum conditionatorum, quæ contingentem & fallibilem habent cum ſua conditione connexionem, pendentque ex hominis arbitrio, reduci debeat (juxta doctrinæ Thomiſtarum principia) ad Scientiam Dei Viſionis, quatenùs eſt ſcientia approbationis, & libera, quæ adjunctum habet divinæ voluntatis decretum.

Sed, ut paucis ea, quæ à me jàm fusè dicta ſunt de certa & infallibili, quam Deus habet in ſuo decreto, futurorum conditionatorum notitia, colligam, hæc omnium ſumma eſto: Primò, futura conditionata, qualia extant in Scriptura Sacra de converſione Tyriorum & Sidoniorum, factis apud ipſos miraculis, quæ edita fuerant apud Judæos Corozaitas, & Bethſaidas; de proditione *Davidis*, à Ceilitis facienda, ſi *David* apud ipſos moraretur donec acceſſiſſet *Saul*, & alia id genus futurorum conditionatorum, habere veritatem certam à Deo ſcitam, quæ ad liberorum ordinem pertineat, & diſtinguatur à veritate, quæ ineſt rebus merè poſſibilibus, vel rebus abſolutè futuris.

Secundò, Deum non poſſe habere in cauſis liberis certam & infallibilem notitiam de veritate futurorum conditionatorum, quæ ad liberorum ordinem pertinent, quia cauſæ ſecundæ liberæ, antè determinationem, ſeu decretum Dei, qui eſt prima & univerſaliſſima omnium cauſa, ſunt indeterminatæ, ſuſpenſæ & indifferentes ad agendum, neque quidquam unquàm, ſivè abſolutè, ſive conditionatè futurum, facturæ ſunt, niſi priùs à Deo determinentur. Undè planè conſequitur, veritatem, quam futura conditionata, ad liberorum ordinem pertinentia, habent, & quæ diſtinguitur à veritate, quæ ineſt rebus merè poſſibilibus, aut rebus abſolutè futuris, certò duntaxàt cognoſci à Deo in ſuo decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, ſicut docent Thomiſtæ.

Sedulò tamen advertere debes, Thomiſtas non in eo ſenſu docere, decretum Dei eſſe conditionatum *ex parte objecti*, quòd putent, conditionem, quæ ſe tenet *ex parte objecti*, pendere a voluntate creata, ita ut penès voluntatem creatam ſit ponere, vel non ponere, ſi velit, hanc conditionem (hanc certè Molinianam de decreto Dei præpoſteram interpretationem rejiciunt ac repudiant omnes Thomiſtæ, quia imperfectionem arguit in Deo ac dependentiam à creatura, ſicut mox oſtendam.) Volunt itaque Thomiſtæ, Deum certò & infallibilitèr cognoſcere futura conditionata, V. G. conditionatè futuram ſalutem omnium hominum, in ſuo decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, & conditionatum *ex parte objecti voliti*. Vult quippè Deus ſalutem omnium hominum, ſicùt docet *S. Thomas*, vera & ſincera voluntate antecedenti, ſeu decreto actuali, firmo, & abſoluto *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, & conditionato *ex parte objecti*, ſalutem, inquam, omnium hominum in ſe conſideratam, & præciſam a circumſtantiis, putà à manifeſtatione ſuæ juſtitiæ, à ratione providentiæ ſuæ, à pulchritudine univerſi, à contingentia & defectibilitate voluntatis humanæ, ita ut decretum, quod Deus format de ſalute omnium hominum, quodque abſolutum eſt *ex parte ſubjecti*, & conditionatum *ex parte objecti*, hoc pacto (juxta Thomiſtas) exprimi debeat: *Volo* (inquit Deus) *ſalutem omnium hominum, ſi ſalus omnium hominum non repugnet contingentiæ, & defectibilitati hominum, manifeſtationi juſtitiæ meæ, & ordini providentiæ meæ*. Hæc voluntas Dei de ſalute omnium hominum, eſt quidèm actualis & abſoluta ex parte Dei, ſed eſt conditionata ex parte objecti, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, quam Deus in ſe præciſè conſiderat, ut abſtractam & avulſam ab illis circumſtantiis; hæc, inquam, volun-

luntas, quam Deus habet de ſalute omnium hominum, abſoluta eſt ex parte Dei: *Volo ſalvare omnes homines*, ſed eſt conditionata ex parte objecti: *Si ſalus omnium hominum non officiat manifeſtationi Attributorum meorum, ſplendori univerſi, & ordini providentiæ meæ*, ita ut tamen hæc conditio, quæ ſe tenet tantùm ex parte objecti voliti, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, non pendeat à voluntate creata, ſed à Deo, qui per aliam conſiderationem (ſicut docet *S. Thomas*) ſpectando ſalutem omnium hominum, ſuis ſingulis indutam circumſtantiis, & cognoſcendo, ſalutem omnium hominum, hoc modo conſideratam, repugnare manifeſtationi ſuæ juſtitiæ, ordini providentiæ ſuæ, & contingentiæ ac defectibilitati hominum, tunc, inquam, Deus, conſiderando ſalutem omnium hominum, his veſtitam circumſtantiis, vult dumtaxàt voluntate conſequenti, efficaci, & abſoluta tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, ſalutem aliquorum hominum, ſeu Electorum & Prædeſtinatorum, & permittit, ut alii, ſeu reprobi, ſuæ defectibilitati permiſſi, incidant in culpam, & propria ſua malitia ab æterna ſalute excludantur.

Ex quo liquet, voluntatem Dei (in ſenſu Thomiſtarum) abſolutam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionatam *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, nullam in Deo arguere imperfectionem, quia docent Thomiſtæ, conditionem illam, quæ ſe tenet ex parte objecti voliti à Deo, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, non pendere à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, ſed à voluntate divina, quæ vellet omnium hominum ſalutem, niſi hoc repugnaret ordini ſuæ providentiæ, contingentiæ & defectibilitati voluntatis humanæ, ac niſi ex hoc impediretur bonum univerſale ſuæ juſtitiæ, & manifeſtatio ſuorum Attributorum.

Quod dicunt Thomiſtæ de voluntate conditionata, quam Deus habet de ſalute omnium hominum, dicunt itidèm de decretis conditionatis, quæ admittunt in Deo, & in quibus Deus certò & infallibilitèr cognoſcit futura conditionata. Volunt enim Thomiſtæ, ejuſmodi decreta eſſe abſoluta, firma, & deliberata *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, ſed eſſe conditionata *ex parte objecti voliti*, ita ut hæc conditio à voluntate humana non pendeat, ſed à voluntate divina.

At, verſa vice, aſſerunt Moliniſtæ, voluntatem, quam Deus habet, de ſalute omnium hominum, eſſe conditionatam tàm *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quàm ex parte *objecti voliti*, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum; Pertendunt, hanc voluntatem Dei de ſalute omnium hominum ideò dici *conditionatam*, quia indifferens eſt, & quia pendet à conſenſu, & determinatione voluntatis humanæ, tanquàm à conditione, quam ſupponit, vel exſpectat à libero hominis arbitrio. Idem affirmant Moliniſtæ de aliis decretis conditionatis, quæ admittunt in Deo, quæque volunt eſſe indifferentia, & conditionata tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, quàm *ex parte objecti* voliti, eaque pendere à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam exſpectant à libero hominis arbitrio. Certè, ejuſmodi decreta conditionata, ſic in ſenſu Moliniſtarum intellecta, repudiant omnes ad unum Thomiſtæ, cenſentque ea procul à Deo eſſe ableganda atque eliminanda. Præcipuas rationes, quibus nituntur Thomiſtæ, in ſequenti Aſſertione ſummatìm attingam, ut eas memoriæ tuæ altiùs infigere valeas.

VI. Aſſertio ſecunda: *Non ſunt admittenda in Deo Decreta indifferentia & conditionata tàm ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei volentis, quàm ex parte objecti voliti à Deo, & quæ (ut docent Moliniſtæ) pendent à conſenſu, & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam exſpectant à libero hominis arbitrio.*

Hanc Aſſertionem variis momentis probant noſtrates Thomiſtæ, & invictè oſtendunt, benè multa ſequi abſurda ex illis decretis conditionatis & indifferentibus,

tibus, quæ in Deo admittunt Moliniſtæ, & quæ pendere volunt à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione; quam exſpectant à libero hominis arbitrio. Verùm enimverò, poſitis ſemel in Deo decretis illis conditionatis & indifferentibus, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) pendent à conſenſu, & determinatione voluntatis humanæ tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio, ſequitur primò, Deum non eſſe primam cauſam efficientem conſenſus & determinationis voluntatis creatæ, ſubindéque Deum non eſſe primam cauſam efficientem rerum omnium, nec primum eligens, nec primum liberum, nec primum principium determinans voluntatem creatam ad agendum, ſed, verſa vice, voluntatem creatam eſſe primam cauſam efficientem ſui conſenſus, ſuæque determinationis; eam eſſe primum eligens, primum liberum, & primum ſuæ determinationis principium.

Ratio in promptu eſt. Nam ſi decretum Dei ſit indifferens, & exſpectet conſenſum & determinationem voluntatis creatæ, ut in ipſius actus determinatè influere poſſit (ſicut docent Moliniſtæ) profectò, ſemel facta illa hypotheſi, Deus non erit prima cauſa efficiens conſenſus & determinationis voluntatis creatæ. Implicat quippe contradictionem, principium aliquod, ſeu decretum, quod eſt indifferens, & indeterminatum, eſſe cauſam efficientem determinationis voluntatis creatæ. Nemo quippe dat quod in ſe non habet, & quod ab altero recipere debet: Atqui docent Moliniſtæ, decretum Dei eſſe ex ſe indifferens & indeterminatum, nec habere in ſe vim determinandi voluntatem creatam ad agendum, nec poſſe determinatè influere in actus voluntatis humanæ, niſi priùs voluntas humana pro ſuo nutu, & arbitrio ſeſe determinaverit, ergò Moliniſtæ, ſi ſuæ doctrinæ principiis ſtare velint, debent (velint nolint) fateri, decretum illud indifferens, quod admittunt in Deo, non eſſe cauſam efficientem conſenſus & determinationis voluntatis creatæ, ac proindè Deum non eſſe cauſam primam efficientem rerum omnium, nec primum liberum, nec primum principium conſenſus & determinationis voluntatis creatæ, ſed potiùs voluntatem creatam eſſe primam cauſam efficientem, primum principium ſuæ determinationis, primum liberum, primum eligens &c. Debent etiam Moliniſtæ, hanc voluntatis humanæ determinationem eximere ab ordine divinæ Providentiæ, cùm certum ſit (juxta doctrinam *Sanctæ Thomæ*) Providentiam Divinam in tantum eſſe cauſam efficientem rerum proviſarum, in quantùm ad illas ſe extendit, eaſque producit per ſuam realem, phyſicam, ac prævíam cauſalitatem.

Deus itaque, juxta doctrinam Moliniſtarum (qui admittunt in Deo decreta indifferentia, quæ pendent à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ tanquàm à conditione quam exſpectant à libero hominis arbitrio) Deus inquam, juxta Molinianæ doctrinæ principia, non eſt cauſa prima efficiens determinationis voluntatis creatæ, quia Deus (ſicut docent Moliniſtæ) antequàm aliquid abſolutè decernat circà actus liberos voluntatis creatæ, debet anteà prævidere voluntatis creatæ determinationem, à qua, tanquàm a conditione, decretum Dei (quod Moliniſtæ volunt eſſe indifferens) pendet, eamque exſpectat à ſolo libero hominis arbitrio.

Qua in re, ut obiter dicam, non ſibi conſtant Moliniſtæ. Quandò enim diſputant contra Thomiſtas, acerrimos Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis, vindices & aſſertores, aiunt, penitùs iſtud Thomiſtarum Syſtema repudiari debere, quia perimit libertatem, ſeu tollit propriam voluntatis determinationem, quæ tamen eſt maxima hominis perfectio, pretioſiſſima gemma, excellentiſſima atque nobiliſſima dos & prærogativa, per quam homo diſcrepat à brutis, & tamen iidem Moliniſtæ, quandò premuntur iſto argumento, quod in ipſos intorquent Thomiſtæ: Vo-

Voluntatis determinatio eſt maxima hominis perfectio, ergò per phyſicum & prævium influxum debet produci à Deo, tanquàm à cauſa prima, univerſali, & efficiente rerum omnium; tunc, inquam, Moliniſtæ, ut ab hoc Thomiſtarum argumento, quod ipſorum jugulum petit, ſeſe extricare valeant, pedem referunt, deprimunt, elevant, & extenuant, quantùm poſſunt, immò ad nihilum redigunt hanc voluntatis humanæ determinationem, ut eam à cauſalitate divina, & ab ordine divinæ providentiæ omninò eximant. Deum immortalem! quis ferat tales Theologos tam parùm ſibi conſtantes, & calidum ac frigidum ſimùl ex eodem ore perflantes.

Prætereà, Moliniſtæ, admittentes in Deo decreta indifferentia, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, pendent, quam expectant à ſolo hominis libero arbitrio, multùm decurtant ſupremum dominium, quod Deus obtinet in actiones voluntatis creatæ, & voluntati creatæ perfectius in ipſius actiones adjudicant dominium, quàm Deo. Enim verò, juxtà Scholæ Molinianæ Theologos, voluntas creata poteſt pro ſuo arbitrio quandò vult, ubicumque vult, & quomodocumque vult, ſe determinare ad agendum citrà dependenriam ab aliquo ſuperiori Agente; At, Deus (juxtà eoſdem Moliniſtas) non poteſt determinare voluntatem creatam ad agendum, niſi priùs per Scientiam Mediam præviderit, & exploraverit ejuſdem voluntatis creatæ determinationem: Quò fit; ut Moliniſtarum Syſtema (quod in Deo admittit decreta indifferentia, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ pendent tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio) Deum à creata voluntate præpoſterè dependere faciat, ampliſſimum & independens voluntati creatæ in ſuas operationes tribuat dominium; Dei vero in ejuſdem voluntatis creatæ actiones maximè decurtet dominium & imperium.

Porrò huic Moliniſtarum Syſtemati apertè adverſatur ſcriptura Sacra, quæ ſummum, independens, & abſolutum in omnes voluntatis creatæ actiones dominium tribuit Deo, lib. *Proverbiorum* cap. 21. dicens: *Cor Regis eſt in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud*. Adverſatur itidèm *S. Auguſtinus* cap. 14. Libri *De Correptione & Gratia* dicens: *Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*; ex quo infert Aquilinus ille Doctor capit. 96. libri Enchiridii: *Hoc niſi credamus* (inquit) *periclitatur ipſum noſtræ Fidei confeſſionis initium, qua nos in Deum omnipotentem credere profitemur: neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quidquid vult, poteſt; nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Denique, totum illud Moliniſtarum Syſtema de Dei decretis indifferentibus, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, pendent, ab imis fundamentis deſtruit *S. Auguſtinus* cap. 13. lib. *De Dono perſeverantiæ*, ubi hæc habet: *Nos volumus, ſed Deus operatur & velle; nos operamur, ſed Deus in nobis operatur pro bona voluntate ſua. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc eſt pium, hoc eſt verum, ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*. Sed ſi in Deo (uti volunt Moliniſtæ) admitterentur decreta indifferentia, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis humanæ, tanquàm à conditione, penderent, ſequeretur primò, hanc voluntatis humanæ determinationem non eſſe à Deo, quia Deus (juxta Moliniſtas) eſt ex ſe indifferens, & non facit, ſed expectat propriam humanæ voluntatis determinationem, quam explorat per Scientiam Mediam.

Secundò, ſi decreta Dei eſſent indifferentia, & à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione penderent, ſequeretur, creatam voluntatem priùs incipere bonum opus, & Deum eam ſequi; Gratiam ſubjici voluntati creatæ, & non voluntatem creatam ſubjici Gratiæ; Deum non

pro-

Digitized by Google

propriè facere ut faciamus, ſed nos facere, ut ipſe faciat.

Tertiò, ſi hæc Moliniana illa decreta indifferentia ſemel in Deo admittantur, ſequitur, humanæ voluntatis determinationem (à qua, tanquàm à conditione, pendent hujuſmodi Moliniana decreta indifferentia) eſſe reſpectu Dei fortuitam & caſualem. Priùs enim hæc voluntatis humanæ determinatio futura eſt (juxtà Moliniſtas) quàm Deus eam intendat ac decernat, immò, priuſquàm Deus eam prævideat. Non enim iſta voluntatis humanæ determinatio (juxtà Moliniſtarum doctrinam) ideò futura eſt, quia eam Deus vult & novit, ſed ideò novit, quia futura eſt.

Quartò, ſi hæc Moliniana decreta indifferentia in Deo ponantur, multum divina voluntas impedietur à voluntate creata, nec illam ſibi Deus, ſed ſe illi accommodare debebit. Supponamus enim, Deum velle ſalvare V. Gr. *Petrum*, & tamen *Petrum* pro ſua congenita libertate in nullis circumſtantiis, locis, & temporibus velle ſuum præbere conſenſum his divinæ voluntatis decretis indifferentibus, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) pendent à conſenſu voluntatis humanæ, tanquàm à conditione, quam exſpectant à ſolo libero hominis arbitrio. Hac ſemel facta hypotheſi, quæ certè non implicat, quid amabo, faciet Deus? profectò, in hoc Moliniſtarum Syſtemate, non poterit Deus facere, & adimplere voluntatem, quam habet, ſalvandi *Petrum* &, quod eſt indignius, hanc ſuam voluntatem ſalvandi *Petrum*, ideò non faciet Deus, quia ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas Petri impedivit. Quod quàm abſurdum ſit, & Deo indignum, diſce ex *S. Auguſtino*, ſummo Gratiæ Doctore, qui cap. 95. *Enchiridii* ſic effatur: *in clariſſima ſapientiæ luce videbitur, quàm certa, immutabilis, efficaciſſima ſit voluntas Dei; quàm multa poſſit & non velit, nihil autem velit quod non poſſit: quàmque ſit verum quod in Pſalm. canitur: Omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit; & quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniàm ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit*; idem confirmat Aquilinus ille Doctor capit. 97. ejuſdem libri, ubi hæc habet: *Tanquàm Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, & infirmiſſimis nolendo impedientibus, non potuit facere potentiſſimus quod volebat. Et ubi eſt illa omnipotentia, qua in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit?*

Ex quibus Sancti *Auguſtini* verbis liquidò patet, S. illum Doctorem excluſiſſe penitùs à Deo illam voluntatem de ſalute omnium hominum, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) eſt conditionata tàm *ex parte ſubjecti* ſeu ex parte Dei, quàm *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis hominum, quæque ex ſe eſt indifferens, & à conſenſu & voluntatis humanæ determinatione pendens tanquàm à conditione, quam exſpectet à libero hominis arbitrio, à quo impeditur ne fiat, ſeu ne impleatur hæc Dei voluntas conditionata de ſalute omnium hominum. Certè, in hoc ſenſu vel Semipelagianorum, vel Moliniſtarum intellectam voluntatem Dei conditionatam de ſalute omnium hominum nunquàm admiſit *S. Auguſtinus*, ſed eam rejecit, repudiavit, improbavit; tametſi certum ſit, eumdem S. Doctorem agnoviſſe & admiſiſſe in Deo voluntatem Antecedentem, generalem de ſalute omnium hominum, quæ ſit abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionata *ex parte objecti*, ſeu ex parte ſalutis omnium hominum, quam Deus per hanc voluntatem antecedentem dumtaxàt conſiderat ſecundùm ſe præciſè ſumptam, & avulſam à ſuis circumſtantiis, videlicèt ab ordine divinæ Providentiæ, à manifeſtatione divinæ juſtitiæ, à ſplendore univerſi, & à contingentia & defectibilitate voluntatis humanæ; ita ut (juxtà *S. Auguſtinum*) hæc conditio, quam voluntas Dei Antecedens de ſalute omnium importat *ex parte objecti*, non pendeat à conſenſu & determinatione voluntatis humanæ, tanquàm à conditione, quam exſpectet à libero hominis arbitrio (ſicut perperàm

ràm

Digitized by Google

ram Moliniſtæ ſupponunt) ſed tantùm modò hæc conditio pendeat à voluntate Dei conſequenti, per quam Deus, conſiderando ſalutem omnium hominum cum omnibus ſuis circumſtantiis (ſicut docet *S. Thomas*) nimirùm cum ordine divinæ ſuæ providentiæ, manifeſtatione ſuæ juſtitiæ, ſplendore univerſi, & contingentia, ſeu defectibilitate voluntatis humanæ; Deus, inquam, his omnibus attentis circumſtantiis, non vult voluntate conſequenti ſalutem omnium hominum, ſed vult dumtaxàt ſalutem æternam aliquorum, ideſt, Electorum ac Prædeſtinatorum.

Apage itaque illa, quæ Moliniſtæ in Deo comminiſcuntur; Decreta conditionata tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quam *ex parte objecti voliti*, quæque dicunt eſſe ex ſe ipſis indifferentia ac indeterminata, eaque pendere à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio. Jure optimo omnes ad unum Thomiſtæ, poſt *SS. Auguſtinum & Thomam*, penitùs averſantur & explodunt, eaque arcent à Deo, quem credunt (ſicut in Fidei Symbolo omnes Chriſtiani profitentur) eſſe omnipotentem, ſubindeque illum, in ſuis formandis decretis abſolutis, minimè pendere à præviſo per Scientiam Mediam humanæ voluntatis conſenſu & determinatione, tanquàm à conditione, quam ipſe non facit, ſed merè explorat, & expectat à libero hominis arbitrio.

Poſtremò, Moliniſtæ, dùm in Deo admittunt decreta indifferentia, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ pendent tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio; tribuunt Deo modum concurrendi cum cauſis liberis cæcum, Imperitum, vagum & indeterminatum. Cùm enim Moliniſtæ velint, Deum eſſe ex ſe indifferentem ad concurrendum hoc vel tali modo cum cauſis liberis, & hunc indifferentem Dei concurſum à cauſis liberis determinari debere, ſequitur, hunc indifferentem Dei concurſum eſſe vagum, incertum, & indeterminatum, certam, nec infallibilem habere cum effectu connexionem.

Sequitur etiam ex modo, quo ſe ſe explicant Moliniſtæ, hominem in concurrendo eſſe priorem, & Deum eſſe poſteriorem. Volunt enim primò Moliniſtæ, Deum, & hominem ſe habere ut partiales cauſas, quarum quælibet ex ſuo proprio penu, ſeu fundo, aliquid alteri erogat, nempè proprium ac peculiarem influxum. Hinc ſæpiùs dictitare ſolent (ſicut videre eſt in quatuor Diſſertationibus, quas *de Mente Concilii Tridentini* vulgavit *Livinus De Meyer*) ſuas partes eſſe ſervandas libero hominis arbitrio, ac Deum & hominem ſe habere ut duos homines unam navim trahentes. Secundò, dicunt Moliniſtæ, Deum, quantùm ex ſe eſt, paratum eſſe ad concurrendum indifferentèr, hominem verò hanc indifferentiam determinare, & eſſe cauſam cùr Deus hìc & nunc ad actum potiuſquàm ad ejus oppoſitum concurrat. Cùm itaque (ſicut concors eſt omnium cùm Theologorum, tùm Philoſophorum ſententia) cauſa ſit prior eo cujus eſt cauſa, manifeſtum eſt, hominem in hoc, quod eſt hìc & nunc concurrere, eſſe priorem Deo, proindèque, ſi bonum opus, potiuſquàm malum, fiat, potiorem laudem homini acceptam referri debere. Non enim laus boni operis ei jure competit, qui ſuum concurſum alteri offert indifferentèr, ſed illi, qui hanc indifferentiam in bonum flectit, & eſt cauſa cur ille ambiguus & indifferens influxus ad actionem honeſtam, potiuſquàm ad malam determinetur.

Porrò in Moliniſtarum ſententia, homo eſt qui Deum indifferentem determinat, & cauſa eſt cur Deus potiùs ad bonam actionem concurrat, quàm ad malam; ergò homo, in ſententia Moliniſtarum, jure laudem boni operis ſibi arrogabit; meritò in ſe, & non in Domino, de bona ſua determinatione, qua concurſum Dei vagum & indifferentem ad bonum inflexit, gloriabitur; ſeſe diſcernet ab alio homine, qui, eodem concurſu Dei vago & indifferenti præventus, illum non ad bonum, ſed ad ma-

malum determinavit; non debit homo orare Deum, ut gratia, ſibi oblata, benè utatur, nec ei referre grates, quandò ea benè uſus fuerit; Verbo dicam, omnia abſurda & incommoda, quæ in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi effluere ex doctrina de Gratia verſatili, indifferenti, ſubdita libero hominis arbitrio, & ex doctrina de Scientia Media, futurorum conditionatorum exploratrice, quæ antecedit decretum Dei abſolutum; eadem, inquam, abſurda ſequuntur ex decretis indifferentibus, quæ in Deo admittunt Moliniſtæ, quæque ajunt à conſenſu & determinatione voluntatis humanæ pendere tanquam à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio.

VIII. In hæc autem abſurda & graviſſima incommoda, quæ ſecum trahit Moliniana doctrina, nunquàm impinges, ſi primò cum tota Schola Thomiſtica rejicias hanc Moliniſtarum Gratiam verſatilem, indifferentem, & ita ſubditam libero hominis arbitrio, ut per ejus conſenſum ac determinationem evadat efficax, & per ejus diſſenſum fiat inefficax. Secundò, ſi cum eadem Schola Thomiſtica admittas ad omnes & ſingulos pietatis actus Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, quæ ſuapte vi flectit, inclinat, & determinat voluntatem creatam, facitque ut ipſa (tanquàm cauſa ſecunda ſubordinata Deo) ſe determinet, & liberè prorumpat in operationem. Tertiò, ſi tollas ea, quæ Moliniſtæ fingunt in Deo, decreta indifferentia, quæ à determinatione voluntatis creatæ pendent, tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio. Quartò, ſi à Deo ſemoveas Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, quæ antecedit omne Dei decretum abſolutum. Denique, ſi cum univerſa Schola Thomiſtica doceas, Deum in ſua eſſentia (tanquàm in cauſa, cui annexum eſt Dei decretum) cognoſcere omnia futura, ſive abſoluta, ſive conditionata, cum hoc tamen diſcrimine (ſicut ſuperiùs expoſui) quòd Deus noſcit omnia futura abſoluta in ſuo decreto abſoluto tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, *quam ex parte objecti voliti*; At Deus certam habet notitiam futurorum conditionatorum in ſuo Decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, eſt tamen conditionatum *ex parte objecti voliti*, ita ut illa conditio, non pendeat à creatura, ſed à Deo.

Plura hic non dicam de certa & infallibili rerum conditionatè futurarum notitia, quam Deus in ſuo Decreto (ſicut docent omnes Thomiſtæ) habet independentèr à Scientia Media, qu a in alia proxima, quam ad te ſcripturus ſum, Epiſtola, omnia excutiam, & ſingillatim diluam argumenta, queis Moliniſtæ, magno quidem, ſed evanido conatu, oppugnant ea Divina decreta, quæ Thomiſtæ poſt S. Doctores *Auguſtinum* & *Thomam*, docent eſſe abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis; conditionata verò *ex parte objecti voliti*, & in quibus decretis aſſerunt etiam Thomiſtæ, Deum habere certam & infallibilem rerum conditionatè futurorum notitiam.

Vale, dilectiſſime diſcipule, & ex his indubitatis doctrinæ Scholæ Thomiſticæ principiis (quæ hac in Epiſtola ſat ſuperque expoſui) diſce, quàm putida ſit hæc fabula, quam, ad eidem Scholæ Thomiſticæ conflandam invidiam, commenti ſunt nonnulli Moliniſtæ, dictitantes, Thomiſtas (antequàm *Ludovici Molinæ* nomen eſſet auditum) abjudicaſſe Deo certam & infallibilem futurorum conditionatorum ſcientiam, & ei conjecturalem duntaxàt notitiam tribuiſſe, indèque *Molinam*, inventorem Scientiæ Mediæ, per quam Deus (ſicut perperàm contendunt Moliniſtæ) certò cognoſcit futura conditionata, gravitèr fuiſſe à Thomiſtis exagitatum, ſed tandèm aliquandò hunc Moliniſtarum coryphæum, in gratiam veritatis, illuſtrem reportaſſe victoriam adversùs Thomiſtas, qui rerum ejuſmodi conditionatè futurarum veritatem certò à Deo cognoſci negabant. Hanc atrocem calumniam, quam Moliniſtæ falsò Thomiſtis impingunt, his momentis, quæ in iſta Epiſtola adduxi, nullo negotio confutabis.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA QUARTA

In qua fit ſatis Argumentis, quibus Moliniſtæ probant adverſùs Thomiſtas, Deum certam & infallibilem, independentèr à Scientia Media, non habere notitiam futurorum conditionatorum in Decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ideſt, ex parte Dei volentis; & conditionatum ex parte objecti voliti à Deo.

I. MOliniſtæ, quibus nihil tàm curæ ac cordi eſt, quàm ſtabilire Scientiam Mediam, per quam dicunt, Deum explorare futura conditionata, eamque antecedere omne Dei decretum abſolutum; varia, ſed milliès jam eliſa ac cribrata, congerunt argumenta, quibus putant, ſe contra Thomiſtas evincere poſſe, Deum, antequàm quidquam abſolutè decernat de futuritione rerum, habere dumtaxat circà conditionatam futuritionem rerum Decreta conditionata tam *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, quàm *ex parte objecti*; hoc eſt, volunt Moliniſtæ, Deum, priuſquàm ſuum formet abſolutum Decretum de his, quæ abſolutè futura ſunt, habere dumtaxàt reſpectu futurorum conditionatorum, quæ voluntatem humanam ſpectant, Decreta merè indifferentia, quæ à conſenſu & determinatione voluntatis humanæ pendent, tanquàm a conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio.

Hinc primò Moliniſtæ inferunt, Thomiſtas falsò aſſerere, Deum independentèr à Scientia Media, intueri ac cognoſcere futura conditionata in Decreto abſoluto *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionato *ex parte objecti*. Secundò, inferunt Moliniſtæ, Deum per Scientiam Mediam cognoſcere futura conditionata antecedentèr ad omne Decretum abſolutum.

In hoc concordes ſunt omnes quotquot ſunt Moliniſtæ, qui tamen non omnes conveniunt *de Medio*, in quo Deus futura conditionata cognoſcit. Alii quippè (ſicut *Molina* & *Becanus*) volunt Deum cognoſcere futura conditionata in cauſis ſecundis liberis, & in quadam eminentiſſima cognitione, quam *ſupercomprehenſionem* vocant. Alii Moliniſtæ (quos inter cenſentur *Suareſius*, & *Fonſeca*) ajunt, Deum cognoſcere futura conditionata in ſuo Decreto, non actuali & præſenti, ſed futuro in ſequenti ſigno rationis. Alii communitèr Moliniſtæ dicunt, Deum cognoſcere futura conditionata in veritate objectiva rerum, quam affirmant habere antecedentèr ad Decretum Dei abſolutum, & independentèr ab illo. Denique, inter Scholæ Molinianæ Theologos unus eſt, ſeu *Theophilus Raynaudus*, qui auſus eſt aſſerere, Deum cognoſcere futura conditionata in voluntate humana, nudè & ſolitarie ſumpta & ex ſe ſola, independentèr à concurſu Dei operante. Quid, amabo te, abſurdius, & Deo indignius effutire poterat *Theophilus Raynaudus*, quàm dum ait, Deum cognoſcere futuras hominis ſub conditione operationes in ſola voluntate humana, & in ipſa explorare quid factura eſſet, ſi ſola poſſet agere ſine ulla dependentia à Dei concurſu; ſi nullus Deus adeſſet, qui eam juvare poſſet, & cujus concurſu ipſa non egeret.

Profectò, nullus dubito, quin tu, cariſſime diſcipule, ſi, ut par eſt, ſemoto omnium partium ſtudio, tot diſcordes ac diſſidentes expendas ſententias, in quas ſcinduntur Moliniſtæ cir-

cà *Medium*, in quo Deus futura conditionata cognoſcit, confeſtim intelligas, Scholæ Molinianæ Theologos inſuperabili laborare difficultate in objecto Scientiæ Mediæ ſtatuendo, illoſque eò anguſtiarum compelli à Thomiſtis, ut Scientiæ Mediæ aſylum quærant in quibuſdam confictis conditionibus, quæ jura, ſoli Deo eximia, videlicèt omnipotentiam, independentiam, & ſupremum in voluntatem creatam dominium eripiunt Deo, eaque transferunt in creaturam.

Sed, miſſis diſcordibus illis, quæ de *Medio*, in quo Deus futura conditionata cognoſcit, volitant, ac circumferuntur apud Moliniſtas, ſententiis, quas in meis ſuperioribus Epiſtolis abundè confutavi; totus in iſta Epiſtola in hanc curam incumbam, ut proponam ac diluam omnia argumenta, quibus Moliniſtæ totis ſuis lacertis ac viribus oppugnare moliuntur illud *Medium*, in quo docent Thomiſtæ, Deum, independentèr à Scientia Media, cognoſcere futura conditionata, videlicèt Dei decretum, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionatum *ex parte objecti*.

II. In primis ſic argumentantur Moliniſtæ: Futurorum conditionatorum (inquiunt) certa eſt, & recepta apud omnes Theologos Dei Scientia, eaque haberi non poteſt, niſi vel ex decreto actuali, quod (ſicut volunt Thomiſtæ) eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionatum *ex parte objecti*; vel ex ſuppoſitione conditionatæ futuritionis rerum ante omne Dei decretum actuale & abſolutum (ſicut Schola Moliniana docet.) Atqui non poteſt Deus cognoſcere futura conditionata in his Decretis, quæ dicunt Thomiſtæ eſſe abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionata *ex parte objecti*, igitur Deus cognoſcit futura conditionata in veritate objectiva, quam habent, antecedentèr ad Dei decretum actuale & abſolutum. Minorem hujus ſyllogiſmi Propoſitionem ſic probant Moliniſtæ: Decreta illa, quæ Thomiſtæ ajunt eſſe actualia & abſoluta *ex parte ſubjecti*, & conditionata *ex parte objecti*, & in quibus volunt, Deum, independentèr à Scientia Media, certò & infallibilitèr cognoſcere futura conditionata, ſunt Decreta omninò nova, recens à Thomiſtis procuſa, quorum ne minimum quidem in *Sancto Auguſtino* extat veſtigium: *Eò recidit*, (inquit *P. Gabriel Daniel* in Epiſtola nona, quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*) *omnis veſtros Theologos* (ideſt, Thomiſtas) *inter & Jeſuitas quæſtio, an docuerit Auguſtinus earum Propoſitionum conditionalium veritatem cognitam Deo fuiſſe vi decreti alicujus, aut ſine ullo Decreto. Nam ſi eas ope Decreti cujuſpiam cognitas Deo fuiſſe putavit Auguſtinus, Scientiam Mediam rejecit, aut neſcivit: quia, ut dixi, in hoc à Thomiſtis Jeſuitæ diſcrepant, quòd Thomiſtæ Decretum præire velint Scientiæ conditionalium, eamdem verò Jeſuitæ omni ſolutam Decreto & liberam eſſe pugnent. Ego te hìc appello, R. Pater: oſtende, ſi potes, vel unum in Auguſtino toto locum, ubi ſecundùm vos dixerit ſententiam, & Deo iſtas Propoſitiones conditionales cognitas eſſe alicujus Decreti beneficio declaraverit: crebram de pœnitentia Sidoniorum à Chriſto præviſa, ſi miracula Sidone patraviſſet, mentionem fecit Auguſtinus: cedo, ubi dixerit, Deum veritatem hanc vi Decreti cujuſpiam cognoviſſe? Si nihil unquàm dixit hujuſmodi, audes illum veſtri Syſtematis patronum, aut parentem nominare? Jeſuitarum verò hæc eſt oratio: Decretum hoc* (quod Thomiſtæ admittunt, abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, conditionatum verò *ex parte objecti*) in quo Deus certò cognoſcit futura conditionata, *neque in Scriptura, neque in Auguſtino exprimitur; cur illud admittamus? Pergunt Jeſuitæ & concludunt: igitur Scientia veritatum conditionalium in ſcriptura & Auguſtino Decreti eſt omnis expers: igitur in Sacra Scriptura & Auguſtino Scientia Media reperitur.*

In hac *Patris Danielis* argumentatione nihil planè invenio (ut liberè cum bo-

bona Moliniſtarum venia dicam) niſi inanem verborum ſonitum, & ſingularem audaciam, qua Scriptor ille Molinianus, inſultando Thomiſtis, audet illos provocare, ut vel unum proferant locum, in quo *S. Auguſtinus*, *futura conditionata Deo cognita eſſe alicujus Decreti beneficio declaraverit*. Qua in re (ut obiter dicam) peritum ſe artificem præbet *Pater Daniel*, quippè qui magis arte, quàm marte vellet pugnare cum Thomiſtis, dum ſuam opinionem de Scientia Media, futurorum conditionatorum exploratrice antecedenter ad decretum Dei, antiquam, & noſtram Scholæ Thomiſticæ novam, & *Sancto Auguſtino* ignotam fuiſſe pertendit, atque (quod ſatis feſtivum, ac lepidum eſt) una conſcientia inopiæ argumentorum, onus probandi detrectat, & Thomiſtis imponit.

Sed ut quid, amabo, opus erat, ut *Pater Daniel* hoc oneris & laboris imponeret Thomiſtis? maximè cùm ignorare haud poſſet, plures Thomiſtas, in doctrina *S. Auguſtini* verſatiſſimos, germanam *S. Auguſtini* ſuper hac re mentem in optima luce jam pridèm collocaſſe, ſicut manifeſtò patet, ex ea, quam jam ad te dedi, Epiſtola, quæque in iſta tertia mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine prima. Sufficiet nunc pauca, ſed diſertiſſima, laudare Aquilini illius Doctoris & acerrimi vindicis Gratiæ teſtimonia, quæ viris ſaltèm percipiendæ doctrinæ *S. Auguſtini* ſtudioſis, nullis Scholæ Molinianæ anteceptis opinionum præjudiciis malè affectis, facilè perſuadere poterunt, ſummum illum Gratiæ Doctorem conſtanter docuiſſe, Deum cognoſcere in ſuo Decreto omnia ſivè abſolutè, ſivè conditionatè futura.

III. Primum *S. Auguſtini* teſtimonium deſumo ex libro *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 10. ubi S. Doctor hæc habet: *Prædeſtinatione Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus: undè dictum eſt, fecit quæ futura ſunt*...... *Quandò promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione* (ſeu decreto) *promiſit*. *promiſit enim quod ipſe erat facturus, non quod homines*. Id ipſum *S. Auguſtinus* confirmat cap. 17. ejuſdem libri. Undè ſic primò argumentor: *Quæ Deus eſt facturus* (inquit S. Auguſtinus) *in ſua prædeſtinatione*, hoc eſt, in ſuo Decreto, prænoſcit: Atquì Deus omnes actiones noſtras, etiam liberas, facturus eſt, ergò Deus (juxta *S. Auguſtinum*) illas in ſua prædeſtinatione, ſeu in Decreto, cognoſcit; ergò Deus (in doctrina S. Auguſtini) omnia, quæ abſolutè futura, ſeu reverà eventura ſunt, cognoſcit in ſuo decreto, quod eſt abſolutum tam *ex parte ſubjecti*, ideſt, ex parte Dei, quàm *ex parte objecti*; ea verò, quæ ſunt dumtaxàt conditionatè futura, novit Deus in ſuo decreto, quod *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, eſt efficax & abſolutum, ſed *ex parte objecti* eſt conditionatum, ſicut in mea ſuperiori Epiſtola latè expoſui. Igitur (juxtà intima *S. Auguſtini* doctrinæ principia) Deus omnia ſivè abſolutè, ſive conditionatè futura cognoſcit in ſuo decreto, ſubindèque (ſtando principiis doctrinæ *Sancti Auguſtini*) admittenda non eſt in Deo præſcientia futurorum independens à Decreto, eoque anterior, ſicut falsò docent Moliniſtæ. Secundò, ſic argumentor: *Quod Deus promittit, non de noſtra poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione* (ſeu decreto) *promittit*, ait *S. Auguſtinus*: Atquì Deus ſæpiùs promittit actiones noſtras liberas, ſivè abſolutè, ſive conditionatè futuras, ergò Deus (juxta doctrinam *S. Auguſtini*) illas de ſua prædeſtinatione promittit, eaſdemque in ſua prædeſtinatione, ſeu in ſuo decreto cognoſcit.

Alterum locupletiſſimum *Sancti Auguſtini* teſtimonium colligo ex cap. 9. libri *De Dono Perſeverantiæ*, ubi S. Doctor hoc ipſum revocat quod olim dixerat in *Quæſtionibus Paganorum* (ſeu Epiſtola 102. Quæſt. 2.) nempè *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum & apud ipſos prædicari doctrinam ſuam, quandò ſciebat & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*; hoc, inquam, ibi revocat

S. Auguſtinus , & docet , non aliundè quàm ex Prædeſtinatione (ſeu decreto Dei) petendam eſſe cauſam cur aliquibus annuncietur Chriſtus , aliis verò non annuncietur ; non autem ex eo quòd Deus ante decretum ſuum (ſicut contendebant Semipelagiani) prævideat , illos , non alios eſſe credituros : *Hæc certè* (inquit S. Auguſtinus) *de Tyro & Sidone non poſſumus dicere* (illi enim credituri erant ſi Chriſtus eis fuiſſet annunciatus, ſubindèque illorum converſio non erat abſolutè , ſed tantùm conditionatè futura) *& in eis* , ſeu in Tyriis & Sidoniis, *cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere , ſine quarum cauſarum latentium præjudicio tunc iſta reſpondere me dixi* . Idèm docet *S. Auguſtini* cap. 9. Libri *De prædeſtinatione Sanctorum* .

Ex quibus S. Doctoris verbis ſic primùm contra *Patrem Danielem* , alioſque Molinianæ Scholæ Theologos arguo : converſio Tyriorum , ac Sidoniorum ad Fidem Chriſti non erat abſolutè , ſed tantùm conditionatè futura (ſicut fatentur Moliniſtæ) Atquì tamen *S. Auguſtinus* locis mox à me laudatis diſertiſſimè docet , hanc converſionem Tyriorum & Sidoniorum , quæ non abſolutè , ſed dumtaxàt conditionatè erat futura , fuiſſe decretam , prædefinitam , & idcircò præſcitam à Deo , igitur ex *S. Auguſtino* futura conditionata ſunt à Deo decreta , prædefinita , eaque in ſuis Decretis Deus præſcit ac cognoſcit . Deindè , ſic rursùm arguo : idem eſt apud *S. Auguſtinum* , Deum præſcire Fidem hominum , ac illam certò hominibus concedendam eſſe ; paritèr idem eſt apud eumdem S. Doctorem , homines Fidem , Deo donante , habere , ac Deum eorum Fidem decreviſſe , ſtatuiſſe , prædeſtinaſſe; Atquì homines nec abſolutè , nec conditionatè Fidem à ſeipſis ſunt habituri , ſed à Deo tantummodò , eam decernente,prædeſtinante ac donante,ſunt accepturi ; igitur (juxta doctrinam *S. Auguſtini*) Deus futura conditionata cognoſcit in ſua prædeſtinatione , ſeu in decreto quod *ex parte ſubjecti* ſeu ex parte Dei, eſt efficax & abſolutum,ſed conditionatum *ex parte objecti* ; atque ita prorsùs corruunt , & in fumum evaneſcunt hæc Moliniſtarum decreta Dei indifferentia , & Scientia Media, quam eſſe independentem à decreto volunt Dei abſoluto , eoque anteriorem .

Denique , *S. Auguſtinus* docet, Deum cognoſcere creaturas in ſua eſſentia tanquàm in cauſa univerſaliſſima effectrice rerum omnium , ita ut Deus cognoſcat creaturas poſſibiles in ſua eſſentia , tanquàm in cauſa in actu primo , nulli annexa decreto ; creaturas verò futuras & exiſtentes cognoſcat Deus in ſua eſſentia , tanquàm in cauſa determinata & applicata per Decretum : *Cognitio creaturæ* (inquit S. Auguſtinus lib. 22. *De Civitate Dei* cap 2.) *in ſe ipſa decoloratior eſt , quàm cùm in Dei ſapientia , velut in arte , per quam facta eſt , cognoſcitur* . Si ergò (juxta *S. Auguſtinum*) Deus res omnes , ſive abſolutè , ſive conditionatè futuras cognoſcit in eſſentia ſua, tanquàm in cauſa determinata & applicata per decretum , palàm ex hac *Sancti Auguſtini* doctrina ſequitur , nihil eſſe futurum ſive abſolutè, ſive conditionatè , antè decretum Dei .

IV. Idem , poſt *S. Auguſtinum* , docet *S. Thomas* , qui Lib. I. contra Gentes cap. 49. & alibi ſæpiùs probat , Deum cognoſcere creaturas in eſſentia ſua tanquàm in cauſa , quia effectus omnes , contenti in cauſa efficiente , poſſunt in illa & ex illa cognoſci ſecundùm vim & continentiam cauſæ ; Atquì Deus eſt ens per eſſentiam , & cauſa univerſaliſſima efficiens rerum omnium , quoad omnes differentias , gradus & modos entis , ac proindè in Deo pleniſſimè continentur , & in eo clariſſimè cognoſcuntur . Ex quo Doctoris Angelici ratiocinio hoc argumentum contra patrem *Danielem* , alioſque Moliniſtas conficio , à quo ſeſe expediant , ſi poſſint : Deus (juxtà doctrinam Sanctorum *Auguſtini* , & *Thomæ*) cognoſcit res omnes in eſſentia ſua tanquàm in cauſa : Atquì Deus non cognoſcit res ſive abſolutè , ſivè conditionatè futuras in ſua eſſentia nudè & ſolitariè ſumpta , & cum nullo Decreto connexa , quia Deus (ſicut docent

omnes

Digitized by Google

omnes Theologi) in eſſentia ſua ſic conſiderata, ideſt, præciſa & ſeparata ab omni Decreto, cognoſcit res tantùm poſſibiles; ergò (juxtà doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*) Deus cognoſcit res ſive abſolutè, ſivè conditionatè futuras in ſua eſſentia, tanquàm in cauſa applicata & determinata per Decretum, proindèque nihil eſt futurum ſive abſolutè, ſive conditionatè, antè Decretum Dei.

Sed hactenùs ſatis (ut autumo) retudi thraſonicam jactantiam Patris *Danielis*, qui loco mox à me citato, provocare audet omnes Thomiſtas, ut oſtendant; ſi poſſint, *vel unum in Auguſtino toto locum, ubi Deo propoſitiones conditionales cognitas eſſe alicujus Decreti beneficio declaraverit*. Profectò, quàm potiori jure poſſunt Thomiſtæ, provocare Moliniſtas, ut oſtendant, ſi poſſint, vel unum in toto *Auguſtino* locum, ubi primò admiſerit in Deo Scientiam Mediam, exploratricem futurorum conditionatorum antecedentèr ad omne Dei decretum? ubi etiam ſummus ille divinæ Gratiæ doctor agnoverit decreta illa, quæ Moliniſtæ volunt eſſe conditionata tàm *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, quàm *ex parte objecti*, quæque important in Deo ſuſpenſionem actus, ac ſubindè aliquam Deo tribuunt imperfectionem?

Oſtendant denique Moliniſtæ, ſi poſſint, vel unum in *Auguſtino* toto locum, ubi vel leviter inſinuaverit, eſſe in Deo decreta illa, quæ ipſi dicunt, eſſe indifferentia, eaque pendere à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam exſpectant à libero hominis arbitrio? certè hic poſſum cum omnibus Thomiſtis ſanctiſſimè jurare, nullum hujus Molinianæ doctrinæ vel minimum veſtigium in *Auguſtino* toto, aut in Sanctis Patribus, aut in antiquis Theologis, qui ante *Fonſecam*, & *Molinam*, Scientiæ Mediæ inventores, floruerunt, à Moliniſtis unquàm repertum iri, ſicut jam in meis ſuperioribus Epiſtolis memini invictis momentis me commonſtraſſe, ſed præſertìm ea in Epiſtola, quam, ad explicandam germanam Concilii Tridentini mentem circà Gratiam efficacem, ad te dedi, quæque in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſeptima, in qua latè probavi, Scientiam Mediam (quantùm ad uſum & modum, quo nunc in Schola Moliniana traditur & docetur) non tantùm *S. Auguſtino*, ſed & antiquis Eccleſiæ Doctoribus, ac Theologis, nec non Patribus Concilii Tridentini fuiſſe penitùs ignotam.

Hinc (ut non ſemèl obſervavi) certè dici poteſt, Scientiam Mediam, exploratricem futurorum conditionatorum ſpectato ejus abuſu antiquam eſſe, & in Semipelagianis à *S. Auguſtino* fuiſſe proſcriptam ac profligatam; Scientiam verò Mediam (attento illius uſu & modo, quem non multis abhinc annis excogitarunt *Fonſeca*, & *Molina*, & quem nunc ſequitur ac defendit tota Schola Moliniana) eſſe novam, *S. Auguſtino* omninò ignotam, ejuſque doctrinæ principiis è diametro oppoſitam. Sed pluſquàm ſatis hactenùs diluta manet prima Moliniſtarum objectio. Nunc præſtat, ut quaſdam alias argutias, quibus Scholæ Molinianæ Theologi doctrinam Thomiſtarum de Decretis, quæ ſunt abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, & conditionata *ex parte objecti*, vulgò oppugnare ſolent, breviter proponam, & quàm vanæ ac futiles ſint, eadem opera oſtendam.

V. Arguunt igitùr ſecundò ſic Moliniſtæ: Hæc Decreta, quæ admittunt Thomiſtæ, abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei volentis, & conditionata *ex parte objecti*, ſunt vana & irriſoria, non ſecus ac vana & irriſoria eſſet promiſſio, annexam habens conditionem, quæ à nudo ſponſoris arbitrio penderet, & quam nollet ipſe apponere; ſicut, E. G. ſi quis dicat: *Do tibi centum aureos, ſi voluero, ſi eò die venero*, & decernat, ſe aut noliturum, aut non venturum: Atqui, juxta Thomiſtas, ille eſt ſenſus promiſſionum, quas, adjunctam habentes conditionem, nobis facit Deus: *Sponſor ſum tuæ ſalutis, ſi te prædeſtinavero*, & decernit Deus, ſe non prædeſtinaturum. Quid autem (inquiunt Moliniſtæ) magis abſurdum, vanum, ac

Digitized by Google

ac irriſorium, quàm aſſerere cum Thomiſtis, Deum ſeriò decernere, ſe aliquid facturum ſub conditione, quam ipſe decrevit, ſe nunquàm poſiturum. Prætereà (addunt Moliniſtæ) hæc decreta conditionata, quæ admittunt Thomiſtæ, ſunt imperfecta, quippè quæ ſunt magis velleitates imperfectæ, quàm ratæ, & conſtantes determinationes, ergò ejuſmodi Thomiſtarum decreta conditionata procùl à Deo, ſummè perfecto, amandari debent.

Hæc Moliniſtarum objectio (ut cum *S. Auguſtino* loquar) *lucet quidèm vanitate, ſed frangitur veritate*, vireſque dumtaxàt habet ab anguſta, & maximè dimiſſa cogitatione noſtra, qua Deum, inſtar alicujus particularis Agentis, concipimus, & ægrè poſſumus aſſurgere ad univerſaliſſimi gubernatoris providentiam nullo fine cohibitam, ad quam pertinet non ſolùm diverſa, ſed etiam contraria ordinare. Certè non debemus Deum noſtro modulo metiri, & ejuſmodi decreta, quæ ſunt abſoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti (ſicut docent Thomiſtæ) repudiare, tanquàm vana, abſurda, otioſa, & irriſoria; cùm potiùs hæc decreta maximè deceant, & plurimùm commendent providentiam divinam, ſicut duobus ſolidis momentis evinco. Primò, certum eſt, ſuperfluam quidèm fore ſollicitudinem noſtram, ſi de regimine Hierarchiæ cæleſtis & Eccleſiaſticæ aliquid ſtatuere vellemus; nam quæ ſupra nos, nihil ad nos. At quis neget, de his omnibus Angelos, & Eccleſiæ Paſtores poſſe conſulere, & ſtatuere, & interdùm etiam debere? Multominùs poſſunt iſta ſubduci à cura Dei, utpote Oecumenici omnium gubernatoris, *qui* (ut inquit Apoſtolus) *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*, & locat res ſub diverſis ordinibus, ita ut aliquæ (ſicut explicat *S. Thomas*) ſint conditionatè futuræ ſecundum ordinem cauſarum inferiorum, quæ tamen non evenient, quia non ſunt abſolutè futuræ ſecundùm ordinem cauſæ ſuperioris, videlicèt divinæ providentiæ.

Id illuſtro duobus ſcripturæ locis, quæ ex innumeris aliis id genus ſeligo. Legitur cap. 2. lib. 4. Regum, Prophetam *Iſaiam*, miſſum à Deo, dixiſſe *Ezechiæ*, Regi Juda, in lecto lethali morbo decumbenti: *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non vives*; & tamen non eſt mortuus Rex *Ezechias*. Quarè hoc? quia, inquit *S. Thomas*, mors Regis *Ezechiæ* erat quidèm conditionatè futura ſecundùm ordinem & ordinarium curſum cauſarum inferiorum (nam lethali morbo laborabat *Ezechias*) ſed tamen non accidit mors Regis *Ezechiæ*, quia non erat abſolutè futura ſecundùm ordinem cauſæ ſuperioris, ſcilicèt divinæ providentiæ, quæ impedivit ordinem cauſarum inferiorum, & voluit ut à morbo convaleſceret & viveret Rex *Ezechias*.

Similitèr, in Scriptura Sacra legimus, Prophetam *Jonam* miſſum eſſe à Deo ad Ninivitas, eiſque dixiſſe: *Adhùc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, & tamen conſtat, urbem Ninivem non fuiſſe tùm temporis ſubverſam; undè hoc? quia ait idem Angelicus Doctor, ſubverſio Ninives erat quidèm conditionatè futura ſecundùm præſentes circumſtantias, ideſt, ſecundùm graviſſima Ninivitarum ſcelera, digna, quæ integra urbis Ninives ſubverſione punirentur à Deo. Sed urbis Ninives ſubverſio ideò non contigit, quia non erat abſolutè futura ſecundum ordinem cauſæ ſuperioris, nimirum providentiæ divinæ, quæ parcens Ninivitis, eiſque indulgens tempus pænitentiæ (quam ipſi ſinceris, contritiſque animis peregerunt) impedivit, ne urbs Ninive ſubverteretur. Ex quibus locis Scripturæ Sacræ manifeſtò patet, decere quàm maximè providentiam divinam, ut locet res ſub diverſis ordinibus, quarum quædam ſunt conditionatè futuræ ſecundùm ordinem cauſarum inferiorum, quæ tamen nunquàm evenient, quia non ſunt abſolutè futuræ ſecundum ordinem providentiæ & voluntatis divinæ, ad quam ſolam (non verò ad creaturam, ſicut perperàm docent Moliniſtæ) pertinet velle ponere,

aut

Digitized by Google

aut non ponere conditionem, ex qua pendent futura illa conditionata.

Alterum momentum, quo probant Thomiſtæ, decreta, quæ ſunt abſoluta *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionata *ex parte objecti*, convenire Providentiæ divinæ, ſic propono: Decet univerſalem Dei providentiam (inquiunt Thomiſtæ) ut generalitèr quædam quibuſdam connectat conditionibus, & tamen velit permittere, ut in aliquibus hæ conditiones deficiant: ſic Deus voluit decreto abſoluto ex parte ſui, & conditionato ex parte objecti, parcere improbis Sodomitis, ſi decem juſti in eorum civitate invenirentur, & tamen voluit eos omnes ad unum diſperdere, quia decem juſti in ea non ſunt reperti. Sic Deus vult decreto abſoluto ex parte ſui, & conditionato ex parte objecti, ſalutem omnium, ſi ſalus omnium hominum non officeret manifeſtationi ejus juſtitiæ, pulchritudini univerſi, & contingentiæ ac libertati hominum, & tamen Deus non vult ſalutem omnium hominum, quia videt ſalutem omnium hominum repugnare manifeſtationi ipſius juſtitiæ, ſplendori univerſi, & contingentiæ ac libertati hominum. Quò fit, ut Deus, attentis his circumſtantiis, non velit ſalutem omnium hominum, ſed tantùm ſalutem Electorum ac Prædeſtinatorum. Sic denique Deus ſæpiùs in Sacris Litteris pacta init cum hominibus, multa illis promittit ſub conditione, quæ quidèm reverà vult Deus decreto abſoluto & actuali ex parte ſui, ſed ſub conditione ex parte objecti voliti, qua deficiente conditione, reipſa Deus illa non vult.

Igitùr repudiari haud debent tanquàm vana, otioſa, abſurda, & irriſoria hæc decreta, quæ (ut docent Thomiſtæ) ſunt actualia & abſoluta ex parte Dei volentis, & conditionata ex parte objecti voliti, ſed potiùs ejuſmodi decreta ſunt optimo jure in Deo admittenda, tum quia maximè decent univerſaliſſimi gubernatoris, ſeu ſupremi numinis providentiam: Tum quia etiam neceſſaria ſunt hæc decreta, ut Deus in illis certò & infallibilitèr cognoſcat veritatem futurorum conditionatorum, quæ in Scriptura Sacra revelantur, & quorum veritatem (ſicut ſuperiùs oſtendi) non poteſt Deus certò cognoſcere per Scientiam Mediam, quam volunt Moliniſtæ eſſe futurorum conditionatorum exploratricem: Tùm quia denique iſta decreta, quæ ſunt abſoluta ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, ſunt utilia ad conſequendos fines, quos ſibi Deus in univerſi regimine præſcribit; V. G. Deus converſionem Ethnicorum Tyriorum & Sidoniorum, quæ erat tantùm conditionatè futura, reverà voluit & ſtatuit decreto actuali, præſenti, & abſoluto ex parte ſui, ſed conditionato ex parte objecti voliti, ſeu ex parte Tyriorum ac Sidoniorum converſionis, quæ ab hac conditione pendebat *ſi Chriſtus apud illos edidiſſet miracula, quæ apud incredulos Judæos patraverat, licèt hæc miracula nunquàm apud Tyrios & Sidonios Chriſtus Dominus eſſet facturus*; hanc, inquam, converſionem Tyriorum & Sidoniorum ideò Deus voluit, & ſtatuit decreto abſoluto ex parte ſui, ſed ſub conditione ex parte objecti, quæ nunquàm eſſet ponenda, ut inde intelligamus, Judæos, qui viderunt miracula Chriſti, nec tamen converſi ſunt ad Fidem, pejores, deteriores, & obſtinatiores fuiſſe ipſiſmet ethnicis *Tyriis*, ac *Sidoniis*, qui revera ad Chriſti Fidem fuiſſent converſi, ſi apud illos miracula edidiſſet, quæ fecit apud Judæos.

Falsò autem Moliniſtæ in propoſita objectione ſupponunt, hæc decreta, quæ Thomiſtæ admittunt in Deo, *conditionata ex parte objecti*, eſſe imperfecta, proindèque à Deo penitùs ablegganda; id, inquam, perperàm ſupponunt Moliniſtæ, aliique Scholæ Thomiſticæ adverſarii, quia omnes Thomiſtæ (poſt *Sanctum Thomam* in primum librum Sent. Diſt. 46. Quæſt. I. Art. I. ad I.) docent, voluntatem Dei conditionatam non eſſe imperfectam ex parte ſui, ſed tantùm ex parte objecti voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis.

E 4 Quod

Quod quidèm ut clariùs intelligas, obſervare debes, duobus modis poſſe voluntatem ſe habere conditionatè. Primò ex parte ſui, cùm ſcilicèt ineſt ei ſolùm quædam imbellis velleitas, ſeu diſpoſitio imperfecta ad volendum, niſi aliquid obſtaret; qualem habet plerumque peccator ad veram & ſinceram converſionem, cùm ait: *Vellem meliorem vitam amplecti, niſi adeò eſſet difficilis, ardua, & laborioſa*. Talem imperfectam volitionem procùl à Deo eliminant omnes Thomiſtæ, qui etiam arcent à Deo decreta Moliniana indifferentia, quæ pendent à conſenſu, & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam expectant, non à Deo, ſed à ſolo libero hominis arbitrio; hæc, inquam, indifferentia Moliniana decreta à Deo omninò amovent Thomiſtæ, quia arguunt in Deo imperfectionem, videlicet ſuſpenſionem, & indeterminationem, quæ certè non poteſt competere Deo, qui nunquàm ſuſpenſus & pendulus hæret, ſed ſemper eſt in actu, ſeu in actuali determinatione. Secundò, volitio poteſt dici conditionata, non ex parte ſui, ſed ex parte objecti; cùm ſcilicèt eſt firma & deliberata volitio connectens objectum cum conditione, atque ſub ea conditione illud volens, quanquàm, quia deeſt conditio, ipſum conſequentèr nolit. Hoc pacto aliquid, non *ex parte ſubjecti*, ſed *ex parte objecti*, conditionatè velle, non repugnat Deo, ſicuti nec repugnat Deo hortari, minari, & promittere aliquid ſub conditione, modò tamen cum Schola Thomiſtica dicatur, hanc divini decreti conditionem, quæ ſe tenet ex parte objecti, non pendere à creatura, ſeu à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, ſed eam pendere à voluntate Dei, qui res omnes, & ſingulas actiones noſtras liberas æterno & abſoluto decreto decernit, prædefinit, ac prædeterminat. Cùm igitùr Deus multa in Scripturis Sacris certò futura ſub conditione revelaverit, jure optimo cum Thomiſtis in Deo admitti debent decreta actualia & abſoluta ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei volentis, & conditionata ex parte objecti voliti, in quibus Deus certam habet notitiam futurorum illorum conditionatorum, quæ Deus certò & indubitantèr affirmat in Scriptura Sacra eſſe futura.

Cæterùm, an Deus non tantùm habeat decreta actualia & abſoluta ex parte ſui, & conditionata ex parte objecti, in quibus certò cognoſcit futura conditionata, in Scripturis Sacris revelata, quæ pertinent ad ordinem & regimen univerſi, ſed etiam ſimilia condat decreta circà omnes & infinitas combinationes rerum poſſibilium, cujuſmodi ſunt iſta: *Si in Mundo poſſibili hoc animal eſuriret, volo ut talem eſcam haberet.... Si flores hæc arbor poſſibilis, volo ut tot flores fructiferos producat .... Si avis cantaret in Mundo poſſibili, arbor floreret in eodem loco:* Utrùm, inquam, Deus formet hæc decreta, quæ ſunt ex parte Dei abſoluta, & conditionata ex parte objecti circà omnes & infinitas combinationes rerum poſſibilium? quidam affirmant Thomiſtæ, quidam verò negant. Ipſe conſultiùs facturum me eſſe judico, ſi hanc quæſtionem, quæ parvi momenti eſt, in medio relinquam. Quamvis enim cenſeam cum omnibus Thomiſtis, admittenda eſſe in Deo decreta, quæ ſint abſoluta ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, in quibus Deus certò cognoſcit futura illa conditionata, quæ ſunt in Sacris Litteris revelata, vel quæ pertinent ad regimen & ordinem univerſi. Certò tamen affirmare haùd poſſum, Deum formare ejuſmodi decreta circà has & alias infinitas combinationes rerum poſſibilium, quia fortè Deus de cæteris rebus poſſibilibus non futuris ſtatuit nihil decernere. Non audeo etiam id itidèm negare, quoniam temeritate non vacat velle Deum modulo noſtro metiri, & hujuſmodi Dei decreta ſubjectivè abſoluta, & objectivè conditionata circà varias & infinitas combinationes rerum poſſibilium, vana & otioſa reputare. Utrique igitur Thomiſtarum ſententiæ ſua conſtet probabilitas.

VI.

VI. Sed, urgent Moliniſtæ, ſi Deus cognoſcat omnia futura, & omnes actus noſtros liberos in ſuis decretis abſolutis, efficacibus ac prædeterminantibus (ſicut docent Thomiſtæ) actum planè eſt de libertate humana, quia hæc decreta prædefinientia, ac prædeterminantia Fatum inducunt, libertatem arbitrii præveniendo evertunt, ſpem tollunt, teporis occaſionem afferunt, induſtriam extinguunt, exhortationum neceſſitatem evacuant, laudem virtutis libero arbitrio præripiunt &c. Præterea (inquiunt Moliniſtæ) *S. Thomas* I. Part. Quæſt. 14 Art. 13. docet, futurum contingens certò cognoſci haud poſſe in ſua cauſa, ergò nec in voluntate Dei, nec in decretis prædefinientibus ac prædeterminantibus, igitur (juxta *Sanctum Thomam*) Deus futurum, ſaltèm conditionatum, prænoſcit in voluntatis creatæ determinatione conditionatè futura, quam, antecedenter ad ſuum decretum abſolutum, per Scientiam Mediam explorat.

In hac objectione cùm Moliniſtæ potiſſimùm hæreant, & in ea unicum fermè doctrinæ ſuæ præſidium collocent, non abs re erit in illa diluenda paululùm immorari, eamque tribus ſolidis Reſponſis penitùs elidere ac cribrare. In primis Reſpondeo, eamdem objectionem fuiſſe à Semipelagianis propoſitam *S. Auguſtino*, ſicut latè oſtendit noſter *Gonetus* Diſputatione quinta *De cognitione futurorum conditionatorum* Art. 4. Parag. 2. ex Epiſtolis Sanctorum *Proſperi*, & *Hilarii* ad *S. Auguſtinum*, & ex libris *Fauſti*, Semipelagianorum coriphæi. Proferam hic dumtaxàt, brevitatis ergò *Sanctum Proſperum*, ſic ex parte Semipelagianorum loquentem: *Dicunt, removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio* (ideſt Decretum) *humanas præveniat voluntates, & ſub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem quamdam neceſſitatem induci*. Eamdem Semipelagianorum objectionem contra doctrinam *S. Auguſtini* idem *S Proſper* ſic proponit *in carmine De ingratis*.

Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrii ſublatum vociferantes:
Nec vitiis pœnam deberi, præmia laudi,
Si noſtro adſcribi nequeant benè geſta labori.

Quicumque igitur hanc objectionem de exterminata libertate humana per decreta Dei prædefinientia ac prædeterminantia contra Thomiſtarum doctrinam inſtaurant, velint nolint, fateantur neceſſe eſt, ſe longè diſcedere à doctrina *S. Auguſtini*. Mentem etiam *S. Thomæ*, quem in ſuas partes fruſtrà trahere moliuntur, non aſſequuntur Moliniſtæ. Quandò enim *S. Thomas*, loco in objectione laudato, ait, futurum contingens in ſua cauſa certò cognoſci non poſſe, loquitur Angelicus Doctor de cauſis contingentibus, reſpectu quarum effectus dicuntur contingentes & futuri. Certum autem eſt in cauſis contingentibus, quæ ſunt adhùc indifferentes ad hunc actum, vel oppoſitum ponendum, non poſſe certò cognoſci futurum contingens, quia (ut perdoctè ait *S Thomas* lib. 3. contra Gentes cap. 2.) *Quod indifferentèr ſe habet ad multa, non magis unum eorum operatur, quàm aliud: undè à contingente ad utrumque non ſequitur aliquis effectus, niſi per aliquid, quo determinetur ad unum. Impoſſibile igitur eſſet, quod ageret*. Idem inculcat Angelicus ille Doctor in 2. lib. Sent. Diſtinct. 25. Quæſt. I. Art. I. & pluribus aliis in locis.

Aſt, *S. Thomas*, dùm loco in objectione citato, ait futurum contingens in ſua cauſa certò non cognoſci, non loquitur de voluntate divina, cui nihil futurum & contingens eſt, ſed omnia ſunt in æternitate præſentia, & infallibili diſpoſitione ordinata ut ſuis temporibus fiant eo modo, quo vult fieri, ideſt, quædam contingentèr, quædam neceſſariò, Quò fit, ut in voluntate divina certò cognoſcatur, quid neceſſariò, quid liberè fiet, vel potiùs, videatur à Deo ut jam præſens & exiſtens

Digitized by Google

ſtens in æternitate, quæ, cùm ſit infinita, & indiviſibilis, continet in unico inſtanti omnes differentias temporis, videlicèt præſens, præteritum, & futurum.

Hanc autem eſſe veram ac germanam mentem *Sancti Thomæ* invictè probo. Primò, quia Angelicus ille Doctor pluribus in locis, videlicèt I. Parte Quæſt. 14. Art. 5. & 8. & Quæſt. 19. Art. 4. & in primum lib. Sent. Diſt. 39. Quæſt. I. Art. I. ad 5. (ut cætera loca non referam) duo ſtatuit principia, quibus nullum de ſua mente dubitandi locum relinquit. Primùm docet, Deum omnia in ſe ipſo, tanquàm in cauſa, intueri. Secundò probat, Deum omnia futura in ſuis decretis, ſolaque voluntate cognoſcere, ſeu in eſſentia ſua determinata per voluntatis Decreta, idque nominatìm de actibus liberis dicendum eſſe aſſerit *S. Thomas* Lib. I. contra Gentes per totum caput ſexageſimum octavum, quod ſic incipit: ***Oportet oſtendere, quòd Deus cogitationes mentium & voluntates cordium cognoſcat in virtute cauſæ, cum ſit ipſe univerſale eſſendi principium.*** Quod quidèm poſteaquàm quinque ſolidis rationibus evicit, totum iſtud caput concludit, dicens: dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in ejus poteſtate eſt velle vel non velle, excludere quidèm determinationem virtutis ad unum per modum naturæ, & violentiam cauſæ exteriùs agentis, non tamen excludere influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe & operari, ſicque remanere cauſalitatem in prima cauſa (quæ Deus eſt) reſpectu motuum voluntatis, ita ut Deus, ſe ipſum, tanquàm rerum omnium cauſam, agnoſcendo, omnes motus & actus liberos voluntatis creatæ cognoſcat.

Miſſa facio innumera alia clariſſima loca, in quibus *S. Thomas*, explicans, quo pacto efficacitas, ſeu infallibilitas divinorum decretorum nullum inferat præjudicium contingentiæ, ac libertati voluntatis creatæ, non recurrit ad præſcientiam explorantem, in qua Moliniſtæ totam Decretorum divinorum infallibilitatem reponunt, quatenùs Deus per Scientiam Mediam priùs explorat circumſtantias, tempora, & loca, in quibus creata voluntas conſenſura eſt, ſed S. ille Doctor, ſibi ſemper conſtans, recurrit ad univerſalitatem, & efficaciam divinæ voluntatis, quatenùs, inquit, cùm ſit cauſa univerſaliſſima totiùs entis & omnium ejus differentiarum, impoſſibile eſt, quòd aliqua res eam ſubterfugiat, proindèque impediat ejus effectum: nec tamen inde tollitur contingentia & libertas, quia (inquit S. ille Doctor) voluntas divina, proptèr infinitam ſuam efficaciam, non tantùm attingit ſubſtantiam effectus, ſed etiam modum contingentiæ & libertatis.

VII. Qua in re (fatebor ingenuè) non poſſum, quin laudem candorem *Vaſquesii*, acerrimi licèt Moliniſtæ, & Scientiæ Mediæ Aſſertoris, qui I. Part. Quæſt. 14. Diſput. 99. cap. 3. ultrò confitetur, *Sanctum Thomam*, & antiquiores Scholaſticos concordiam libertatis voluntatis creatæ cum divino Decreto explicuiſſe, per ipſam efficaciam Decreti, quatenùs non ſolùm ſubſtantiam actus, ſed & modum libertatis attingit; iſtam, inquam, *Vaſquesii* fatentis, hanc Thomiſtarum doctrinam fuiſſe *S. Thomæ* & antiquis Theologis probatam, valdè ingenuam confeſſionem laudo, quia ex ea conſtat, tam *Vaſquesium*, quàm alios Moliniſtas, qui alium conciliandi humanam libertatem cum decretis divinis modum longè diverſum excogitarunt, à *S. Thomæ*, & veterum Theologorum doctrina hac in parte diſceſſiſſe. Vides, itaque, efficaciam & infallibilitatem decretorum divinorum (juxtà doctrinam *S. Thomæ*, & omnium Thomiſtarum) non deſtruere, ſed potiùs adſtruere libertatem voluntatis humanæ. Nam ex eo quòd voluntas Dei ſit infallibilis, ſequitur, ut non ſolùm res fiant, ſed etiam eo modo fiant, quo vult fieri; idest, neceſſariò, vel liberè, prout ipſe decrevit. Unde ita à Deo decreti ſunt actus liberi voluntatis creatæ, ut nihilominùs à voluntate creata, tanquàm à cauſa ſecunda li-

da liberè producantur, quia hoc ipſum Deus (qui eſt cauſa prima univerſaliſſima, profundens totum ens, & omnes differentias ac modos entis) ſtatuit ut per deliberationem creatæ voluntatis producantur liberè & citrà ullam neceſſitatem. Reſpondeo ſecundò, eamdem objectionem de exciſa libertate humana per decreta Dei prædefinientia & prædeterminantia, quam nunc Moliniſtæ ad nauſeam uſque proponere ſolent Thomiſtis, fuiſſe à *S. Auguſtino*, Summo Doctore Gratiæ, duobus potiſſimùm momentis pleniſſimè dilutam, contritam, & in pulverem comminutam. Et primò quidem *S. Auguſtinus* Cap. XV. Libri *De Dono Perſeverantiæ*, oſtendit, eadem objici poſſe contra Dei Præſcientiam, quam tamen nullus inficiatur catholicus. Præſcientia quippè Dei, cum æterna ſit, immutabilis, indiviſibilis, ac determinatè ambiens, atque continens quidquid in tempore fiet, perindè Fatum dici poſſet, ac in deſperationem homines inducere, induſtriam extinguere, atque humanam libertatem exterminare &c. Quidquid enim moliatur homo, neceſſe eſt tandèm ut illud & non aliud eveniat & fiat, quod Deus eventurum & factum iri ex tota æternitate præſcivit, quia falli divina præſcientia non poteſt, ſicut in confeſſo eſt apud omnes catholicos. Quod ſi dicas, *Dei præſcientiam ideò libertati creatæ vim non inferre, quia non facit, ut actus noſtri fiant, ſed tantum videt quid ipſi facturi ſumus*: Dicam & ego, determinationem, ſeu decretum efficax divinæ voluntatis nullam vim inferre libertati noſtræ, quia decretum efficax divinæ voluntatis facit ut faciamus, & liberè faciamus: *Nos enim volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle; nos operamur, ſed Deus operatur in nobis pro bona voluntate ſua. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc eſt verum, ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & totum detur Deo*, ait, *S. Auguſtinus* Cap. XIII. Libri *De Dono Perſeverantiæ*.

At, inquies, *hæc determinatio, ſeu Decretum efficax voluntatis divinæ prævenit determinationem voluntatis meæ igitur lædit libertatem meam*. Dic, ſodes, numquid & Dei præſcientia prævenit voluntatem tuam? & tamen ne leve quidèm præjudicium affert libertati tuæ. Num quid ſcis, docere Moliniſtas, determinationem voluntatis noſtræ quantùm ad ſpeciem actus prævenire determinationem, ſeu decretum efficax divinæ voluntatis, & tamen ne minimùm quidèm, lædere aut tollere libertatem Dei; quanto ergò potiori jure cum Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma*, & cum tota Schola Auguſtiniano-Thomiſtica ſentire ac dicere debes, determinationem, ſeu Decretum efficax divinæ voluntatis, licèt præveniat determinationem noſtræ voluntatis, non officere noſtræ libertati, ſed potiùs eam fovere, promovere ac perficere, ſicùt invictis momentis oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis, in quibus determinationem, ſeu Decretum efficax divinæ voluntatis, & Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, conciliavi cum libertate voluntatis noſtræ.

Sed regeres fortaſſis: *hanc determinationem, ſeu hoc divinæ voluntatis Decretum efficax, quod meæ voluntatis determinationem prævenit, mutare nequeo*. Sed, iterùm à te percontor, an Dei præſcientiam valeas immutare? Certè quoquò te vertas, admitti debet æterna infallibiliſque determinatio divina, noſtrorum actuum liberorum executionem præveniens, qua nullius hominum ſua libertate fruſtrabitur, ſicque (juxta doctrinam *S. Auguſtini*) corruit omninò illud ſæpè decantatum argumentum, quo adverſarii noſtri probare moliuntur, decreta Dei efficacia ac prædeterminantia Fatum inducere, libertati voluntatis creatæ nocere, ſpem extinguere, & teporis prætextum afferre.

Sed, non minùs ſolidum eſt aliud momentum, quo *S. Auguſtinus* hanc ſibi propoſitam objectionem de ſublata humanæ voluntatis libertate per Decreta, quibus Deus prædefinit omnes actus noſtros liberos, ſolvit. Negat enim Aquilinus ille Doctor, ea Dei decre-

ta

ta efficacia ac prædefinientia inducere fatum, niſi fortè eo nomine *fati* omnipotentiſſimam Dei voluntatem, quæ omnia diſponit, ordinat ac decernit, placeat appellare: quod ſi fiat, inquit *S. Auguſtinus* lib. 2 contra duas Epiſtolas Pelagianorum: *Propbanas quidem vocum novitates devitamus, ſed de verbis contendere non amamus*: *S. Auguſtino* ſuccinit *S. Thomas* Quolibeto 12. Art. 4 ubi quærit, *utrùm omnia fato ſubdantur?* & concludit, omnia fato ſubeſſe, ſi eo nomine ordo divinæ Providentiæ intelligatur, quia omnia ſunt ab ea prædeterminata & ordinata; ibidemque hæc ex *S. Auguſtino* profert: *Si quis hoc modo fatum intelligat, ſententiam teneat, linguam corrigat, & non dicat fatum, ſed Dei providentiam.*

Legeſis libros, quos edidit *S. Auguſtinus De Prædeſtinatione Sanctorum*, & *De Dono Perſeverantiæ*, & facilè percipies, S. illum Doctorem luculentiſſimè variis in locis aſſerere, decreta, quibus Deus decernit ac prædefinit omnia, etiam actus noſtros liberos, noſtræ libertati non præjudicare, quia Gratia Dei ſe ipſa efficax eam potiùs in nobis cauſat; nec itidèm ſpem tollere, quia hæc major eſt, cùm in ſolo Deo, ut par eſt, collocatur; nec teporis prætextum afferre, nec exhortationis neceſſitatem evacuare, quia id ipſum divinæ prædeſtinationis ordo exigit, idque Deus nobis præcipit, ut omnes ad virtutem adhortemur, & ſtudia noſtra adhibeamus, ita ut tamen cùm ex his aliquid boni effici contigerit, id purum Dei donum humili & ſubmiſſa confeſſione agnoſcamus, atque quidquid boni in nobis eſt, totum Deo acceptum gratis animis referamus.

VIII. Reſpondeo denique, facilè ex ipſamet Moliniſtarum confeſſione evinci poſſe, tantùm abeſſe, ut Thomiſtarum doctrina de decretis, quibus Deus, independenter à Scientia Media, prædefinit ac phyſicè prædeterminat omnes actus noſtros liberos, vim inferat libertati voluntatis humanæ, ut potiùs hæc Thomiſtarum doctrina in Congregationibus *de Auxiliis*, coràm Summo Pontif. CLEMENTE VIII. habitis, fuerit tanquàm ſana, & menti Sanctorum Patrum *Auguſtini* & *Thomæ* apprimè conſentanea judicata. Verùm enim verò, *Gabriel Henao*, Societatis Jeſu Scriptor, in libro, quem edidit, *De Scientia Media Theologicè defenſa* Num 62. teſtatur, ſe legiſſe Acta originalia *Congregationum De Auxiliis*, nihilque ſe in his Actis nactum fuiſſe, quod doctrinæ de Scientia Media adfaveat: *Acta conſcripta*, inquit, *in favorem noſtrum nulla extant, ſed ſolùm Orationes, ſeu declamationes, recitatæ à Valentia, Arrubale, Baſtida, ſuper punctis præſcriptis à Summis Pontificibus* CLEMENTE VIII. & PAULO V. Alter Societatis Jeſu Scriptor Pater *Annatus* in libro, quem lucubravit *De Scientia Media*, Diſputatione quarta Cap. I. Num. 21. ingenuè fatetur, CLEMENTEM VIII. Pontificem Maximum, à Scientia Media fuiſſe maximè alienatum.

Non abſimilem confeſſionem *à Petro à S. Joſepho*, Fulienſium Ordinis Religioſo, & Theologo, ſi quis unquàm fuit, à capite ad talos Moliniano, vis veritatis extorſit, dùm doctiſſimi Domini *le Boſſu*, Benedictini Ordinis, & Sancti *Dionyſii* propè Pariſios Monaſterii Cænobitæ, & Doctoris Pariſienſis (qui unus è cauſæ judicibus Romæ in *Congregationibus De Auxiliis* ſederat) *Diarium Hiſtoricum* Dominicanis ſuffragari candidè fatetur in ſua *Concordia* Diſput. 4. Sect 4. Num. 4. his verbis: *Apertè favet Dominicanis*.

Ex hac itaque ingenua Moliniſtarum confeſſione palàm ſequitur, CLEMENTEM VIII. Pontificem Maximum, fuiſſe à Scientia Media maximè alienatum, & Acta Originalia *Congregationum De Auxiliis* ſuffragari Thomiſtarum doctrinæ de decretis, quibus Deus, independentèr à Scientia Media, prædefinit ac prædeterminat omnes actus noſtros liberos. At enim, cùm infallibilitas & efficacia Decretorum Dei, & Gratiæ in *Cogregationibus De Auxiliis* duobus modis explicarentur

tur, nimirùm à Patribus Societatis Jeſu per Scientiæ Mediæ prævisionem, ante abſolutum Dei decretum; & à Dominicanis per omnipotentiſſimam Dei voluntatem, & phyſicam prædeterminationem, manifeſtò ſequitur, Thomiſtarum doctrinam, cui (ut ingenuè fatentur mox à me laudati Scriptores Moliniani) patrocinantur Acta apographa *Congregationum De Auxiliis*, viciſſe in his celeberrimis Congregationibus, coràm Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitis, atque in iiſdem Congregationibus improbatam fuiſſe Scientiam Mediam, à qua iidem Moliniſtæ, mox à me citati, Sanctiſſimum Pontificem CLEMENTEM VIII. fuiſſe maximè alienatum ultrò & ſingulari ingenuitate confitentur.

Sed & aliud longè efficacius in favorem hujus doctrinæ Thomiſtarum mihi ſuppeditant duo Scriptores Societatis Jeſu, nempè *Gabriel Henao* in libro, paulò antè à me citato, & *Theodorus Eleutherius*, ſeu *Pater Livinus de Meyer* in ſua noviſſima *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis*. Ambo quippè illi Scriptores Moliniani non diffitentur, ſed potiùs palàm conteſtantur, Scientiam Mediam ſuffragiis Cenſorum, qui interfuerunt Congregationibus *De Auxiliis* coràm CLEMENTE VIII. habitis, proſcriptam fuiſſe, & hac Cenſura (quam è Manuſcriptis codicibus Societatis Jeſu exſcripſerunt) eſſe inuſtam: *Propoſitio & doctrina de Scientia Media, & ejus neceſſitate, videtur eadem cum illa, quam Maſſilienſes excogitarunt ad extenuandam gratiam effectricem bonæ voluntatis, & ad tribuendum libero arbitrio, quod gratiæ ſubtrahebant, ne illud læderet, & ad aſſignandam cauſam infallibilitatis affectus.*

Fatentur itidèm hi duo Scriptores Moliniani, hanc Cenſuram latam contra doctrinam de Scientia Media, cùm iterùm coràm eodem Summo Pontifice CLEMENTE VIII. examen iſtius Scientiæ Mediæ fuiſſet inſtauratum à die XVIII. Menſis Octobris Anni MDCIV. uſque ad diem vigeſimum primum menſis Januarii anni ſequentis, nec immutatam, nec emendatam fuiſſe, ſed magis confirmatam. Poſtremò, duo iſti Scriptores Moliniani, videlicèt *Gabriel Henao*, & *Livinus De Meyer*, teſtantur, Thomiſtarum doctrinam de Gratia phyſicè prędeterminante in Congregationibus *De Auxiliis*, ſub Summo Pontifice PAULO V. magno animorum æſtu hinc indè, ponderatis diuturno ac maturo examine momentis, diſcuſſam ac ventilatam fuiſſe; ſed eam à præpoſitis judicibus ne verbulo quidèm fuiſſe reprehenſam, ex eo conſtat, quòd ſi quid in eo Thomiſtarum doctrinæ de Gratia per ſe efficaci Prædeterminante examine minus ei propitium contigiſſet, id profectò in ſuos manuſcriptos codices retuliſſent Patres Societatis; nec id *Gabriel Henao*, nec *Livinus de Meyer*, aliique Scholæ Molinianæ Scriptores tacuiſſent, ſed confeſtim in aperto ſole poſuiſſent, & omni procul dubio abſtinuiſſent ab illis injuriis, calumniis, & contumeliis, quibus Cenſores, ſeu judices, à Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. Congregationibus *De Auxiliis* præfectos, onerant, eoſque denigrare ac infamare præſumunt, ſicut memini, me jam obſervaſſe ſub finem Epiſtolæ, quam jam ad te dedi, quæque in hac tertia Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſecunda.

IX. Hoc argumentum, quod *ad hominem* vulgò vocare ſolent, petitum ex ipſamet Moliniſtarum confeſſione, abundè tibi ſufficere debet, ut intelligas, ſibi minimè conſtare iſtos Scholæ noſtræ adverſarios; dùm hanc Thomiſtarum doctrinam de decretis, quibus Deus, independenter à Scientia Media, prædefinit ac prædeterminat omnes noſtros actus liberos, pertendunt eſſe omninò contrariam libertati voluntatis humanæ, & tamen, ipſa rei veritate convicti, fatentur, eamdem Thomiſtarum doctrinam fuiſſe probatam Cenſoribus, qui à Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. præfecti fuerunt celeberrimis Congregationibus

de

de Auxiliis divinæ Gratiæ. Multa quidem alia mihi ſuppetunt valida & compertiſſima momenta, ex genuinis illarum congregationum Actis deprompta, quibus clariſſimè evincere poſſem, omnes doctiſſimos, qui in his congregationibus aderant Cenſores ac judices (uno aut altero, nempè Procuratore Generali Auguſtinianorum, & Regente Carmelitarum exceptis) pronuntiaſſe Scientiam Mediam repugnare *S. Auguſtino*, eoſque in Thomiſtarum doctrinam manibus pedibuſque deſcendiſſe, ſed hæc momenta in præſentiarùm referre ſuperſedeo, quia potior eſt mihi obedientia, quàm victimæ & victoria; nihilque tam curæ ac cordi habeo, quàm parere Pontificiis decretis, quæ vetant Congregationum *De Auxiliis* ſub CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitarum ſcriptam Hiſtoriam ad has controverſias uſurpari; quamvis nullus dubitem, id, quod ſcripſit Sapientiſſimus Rex *Salomon* mihi obventurum: *Vir obediens loquetur victorias*, & mei ſilentii, atque obedientiæ mercedem fore ſperem, cauſæ noſtræ, ſeu Scholæ Thomiſticæ, victoriam.

X. Nec multùm etiam hìc immorabor in diluenda ultima objectione Moliniſtarum, qui, ut probent, Deum non cognoſcere futura conditionata in ſuo decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſui, & conditionatum ex parte objecti (ſicut docent omnes Thomiſtæ) ſed Deum cognoſcere futura conditionata per Scientiam Mediam, quæ (uti volunt Moliniſtæ) antecedit omne Dei decretum abſolutum; id, inquam, ut probent Scholæ Molinianæ Theologi, congerunt plures auctoritates Patrum, qui aſſerunt, futura non ideò eſſe futura, quia Deus ea præſcivit, ſed potiùs quia futura ſunt, ideò præſciri à Deo. Ita *Origenes* in hæc capitis 8. Epiſtolæ ad Romanos verba: *Quos præſcivit*; Martyr *Juſtinus* lib. *Quæſtionum ad Orthodoxos*, Quæſt. 58. *Hieronymus* Dialogo 3. adversùs Pelagium, *Cyrillus Alexandrinus* lib. 9. in *Joannem*, paulò poſt initium.

In hac, inquam, refellenda objectione non immorabor, tum quia in meis ſuperioribus Epiſtolis jam oſtendi ex Sanctis Patribus *Auguſtino*, *Gregorio M.* & *Thoma Aquinate*, futura non cognoſci à Deo, quia futura ſunt, ſed ideò eſſe futura, quia ſciuntur & cognoſcuntur à Deo: Tum quia auctoritas *Origenis* in hac præſertìm controverſia nullius momenti eſſe debet, & liber etiam *Quæſtionum ad Orthodoxos* non eſt genuinus fœtus *S. Juſtini* Martyris: Tum quia denique Sancti Patres iis in locis loquuntur de peccatis, quorum certè Scientia Dei cauſa non eſt niſi permiſſiva, & de quibus ſubindè verè dicitur, non ideò eſſe futura, quia præſciuntur à Deo. Quòd ſi aliquandò Sancti Patres loquuntur de bonis noſtris operibus, hoc unum dumtaxàt volunt, Scientiam Dei non eſſe cauſam illorum per modum neceſſitatis, quaſi illis eſſendi neceſſitatem imponat, ſicut *S. Thomas* horum Patrum, quos Moliniſtæ perperàm ſibi patronos adſciſcunt, auctoritates perdoctè explicat Quæſt. 2. De Veritate Art. 14. ad I. Quò fit, ut nullo negotio concilientur hæc SS. Patrum loca, quæ videntur prima fronte oppoſita. Hi quippè Sancti Patres, qui dicunt, res eſſe futuras, quia ſciuntur & cognoſcuntur à Deo, loquuntur de rebus bonis quæ ſunt vel conditionatè, vel abſolutè futuræ: Illi verò Sancti Patres, qui dicunt, res futuras non ideò eſſe futuras, quia præſciuntur à Deo, ſed ea præſciri à Deo, quia futuræ ſunt, loquuntur de his, quæ malè à nobis ſæpè aguntur, ſeu de peccatis noſtris id intelligunt, & tantummodò intendunt, præſcientiam Dei non eſſe cauſam peccatorum noſtrorum, nec nos cogere ad noſtros actus eliciendos; quod ſanè inconcuſſum Fidei dogma eſt, de quo apud catholicos nulla extat vel minima diſceptatio.

XI. Ex his quatuor Epiſtolis, quas ad impugnandam doctrinam de Scientia Media, à *Fonſeca*, vel *Molina*, nuperrimè excogitatam, hactenùs ad te dedi, hæc Theologica Dogmata, quæ in Schola *S. Thomæ* ſunt certiſſima, quæque ipſe omni argumentorum genere pro-

Digitized by Google

probavi, firmitèr tenere debes, videlicèt, Deum certam & infallibilem habere notitiam rerum abſolutè futurarum in ſuo decreto abſoluto tam ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, quam ex parte objecti voliti à Deo: futura verò conditionata, certò & independentèr à Scientia Media, cognoſci à Deo in decreto, quod eſt abſolutum *ex parte ſubjecti*, ſeu ex parte Dei, & conditionatum *ex parte objecti voliti à Deo*: inſupèr, multis de cauſis explodi debere Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem antecedentèr ad omne decretum Dei abſolutum, nullumque ejuſdem Scientiæ Mediæ reperiri in Scriptura tota veſtigium, nullam in *Sanctis Auguſtino*, & *Thoma*, atque in tota retrò antiquitate Patrum, (fatente ipſomet *Molina*) vel leviſſimam quidem umbram apparere: poſtremò, arcenda, procùlque à Deo eliminanda eſse decreta illa indifferentia, quæ comminiſcuntur Moliniſtæ, quæque pendent à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam expectant à libero hominis arbitrio.

Ex quibus omnibus (ut ſpero) concludes, ad Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* mentem ſententiamque loqui Thomiſtas, qui docent, Deum, independentèr prorsùs à Scientia Media, cognoſcere omnia futura in ſuo Decreto, tanquàm in Medio, ſive, quod idem eſt Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, quæ anterior eſt omni Decreto Dei abſoluto nec *S. Auguſtino*, nec Angelico Doctori (quidquid contrà, à Moliniſtis opponatur) agnitam & uſurpatam fuiſſe; indèque facilè intelliges, quàm injuſtè Moliniſtæ clamitent, & efferantur, in Thomiſtarum doctrinam impotentiùs ſæviant, cujus ipſimet parùm gnari ſunt & cui affingunt atrribuuntque multa cum quibus nihil eidem Angelicæ doctrinæ cognationis eſſe conſtat.

XII. Dùm hæc feſtino calamo ad te ſcriberem, venit ad manus meas tua ad tres priores (quas contra Scientiam Mediam ad te dedi, Litteras) perdocta Reſponſio, in qua mihi ſolito candore ſignificas, te quidèm invictis illis momentis, quæ, ad impugnandum novum iſtud Scientiæ Mediæ commentum, tribus meis Epiſtolis inſerui, confeſſas præbere manus, ac per te non ſtare, quinè Medio penitùs tollatur Scientia Media, cujus beneficiò Moliniſtæ volunt, Deum, antequàm formet decretum ſuum abſolutum, explorare futura conditionata; at, tertiam meam Epiſtolam, in quâ (juxta Thomiſtarum doctrinam) probo, Deum certam & evidentem futurorum conditionatorum, quæ ab humano pendent arbitrio, & ſunt in Sacris Litteris revelata, habere notitiam in decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti voliti à Deo; hanc, inquam, tertiam meam Epiſtolam non ità tibi arriſiſſe declaras eo potiſſimùm nomine, quòd hæc Thomiſtarum doctrina Viris doctiſſimis, qui in doctrina *S. Auguſtini* non impigrè inſudarunt, qnique etiam Scientiam Mediam averſantur & explodunt, minime probetur, præſertìm Clariſſimo Viro *Thomaſſino*, Congregationis Oratorii Jeſu Presbytero, qui Tomo I. *Theologicorum Dogmatum* lib. 7. De Deo, Deique proprietatibus cap. 23. multis argumentis probat, Deum nec decretis ſuis prædefinire, nec præſcientia ſua complecti futura conditionata, quæ non ſunt futura, ideſt, quæ nunquàm evenient; ſed ea dumtaxàt cognoſcere in diſpoſitione, inclinatione, & præparatione cauſarum inferiorum. Omnia argumenta, quibus nititur eruditus *P. Thomaſſinus*, accuratè in tua Epiſtola percenſes, meque obnixè rogas ut his faciam ſatis, ſicque omnes ſcrupulos, qui adhùc animo tuo ſuper hac re inſident, eximam. Votis tuis libentiſſimè annuo, & omnes objectiones, quas, ex hoc inſigni Theologo, & de Eccleſia benè merito exceptas, in tua Epiſtola perſtrinxiſti, ſingillatìm hìc proponam, eaſque pro meo ingenii modulo brevitèr diluere ſatagam.

Objicis itaque primò cum doctiſſimo

Pa-

Digitized by Google

Patre Tomaſſino auctoritate *S. Auguſtini*, qui pluribus in locis innuere videtur, Deum, nec in decretis ſuis prædefinire, nec præſcientia ſua cognoſcere futurà conditionata, quæ non ſunt futura, ſeu quæ nunquàm evenient, ſed eorum dumtaxàt notitiam habere, in diſpoſitione, inclinatione, propenſione, & præparatione cauſarum inferiorum. Sic enim (ait) *S. Auguſtinus* cap. 14. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ubi explicans hæc Scripturæ Sacræ verba: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, mentem ſuam clariſſimè aperit: *Hoc dictum eſt* (inquit S. ille Doctor) *ſecundùm pericula vitæ hujus, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſcivit quod futurum erat; ideſt, quòd illi mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum ſubtraheretur incerto, non quòd peccaturus eſſet, qui in tentatione manſurus non eſſet*. Idem confirmat S. ille Doctor cap. 12. ejuſdem libri, ubi redarguit Semipelagianos, qui docebant parvulos pro ſuis futuris meritis in ipſa infantili ætate baptizari vel non baptizari antequàm ex hac vita migrarent. Nam cùm ea merita minimè futura ſint, ea nec à Deo prævidentur, nec ulla eorum ſive in præmiis, ſive in pænis habenda eſt ratio, ſicut ibi ait *S. Auguſtinus*.

Ejuſdem Scientiæ in Deo futurorum conditionalium ſubtilitates ac cavillationes jam anteà in Pelagianis damnaverat *S. Auguſtinus* tùm in Epiſtola & libris ad *Bonifacium* Papam, tùm in Epiſtola 194. aliàs 105. ad *Sixtum*, ubi hæc leguntur: *Deus* (inquiunt Pelagiani) *in eis, quos hinc aufert, prævidet quemadmodùm victurus eſſet quiſque ſi viveret; & ideò quem nequitèr novit fuiſſe victurum, ſine baptiſmo facit & mori, ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quæ facturus fuit*. Præterea (ais) futura conditionata, quæ *libera* vocantur, & quorum conditio nunquàm ponenda eſt, à Deo nec decerni, nec ullo modò prævideri poſſunt, quia nullo modo ſunt futura, ſed remanent in ſtatu merè poſſibili, & ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus cognoſcit res purè poſſibiles, ſunt referenda. At enim (inquis) illa futura non ſunt, quorum conditio, ſine qua non poſſunt evenire, nunquàm ponenda eſt. Quòd ſi futura non ſunt, nulla eſt eorum veritas, nulla ſcientia, nulla præſcientia, ſicut conceptis verbis docet *S. Auguſtinus* in libro *De Anima & ejus origine*, ubi hæc habet: *Exinanitur præſcientia, ſi quid præſcitur, non erit. Quomodò enim præſcitur futurum, quod non eſt futurum?* Denique *S. Auguſtino* adjungis *S. Proſperum*, fideliſſimum ejus diſcipulum, qui in Epiſtola, quam ad S. illum Doctorem ſcripſit, Semipelagianos arguens, quod Deum futura aliqua conditione præſcire dicerent, illos his verbis perſtringit: *Futura, quæ non ſunt futura, confingunt* (Semipelagiani) *novoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, & præſcita non acta ſunt*. Ex quibus omnibus tandem concludis, *S. Auguſtinum*, & *S. Proſperum* negaſſe, Deum decernere, vel præſcire futura conditionata libera, quorum conditio nunquam ponenda eſt, proindèque perperàm Thomiſtas admittere decreta, quæ ſunt abſoluta ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei volentis, conditionata verò ex parte objecti voliti, in quibus Deus cognoſcat ac præſciat futura conditionata libera.

Reſpondent huic *Patris Thomaſſini* objectioni Thomiſtæ, *S. Auguſtinum*, & *S. Proſperum* non negare ſimplicitèr & abſolutè præſcientiam futurorum conditionatorum, quæ libera vocantur, ſed illos dumtaxàt negare, & optimo jure cum Eccleſia Catholica negare præſcientiam futurorum conditionatorum, quam Semipelagiani ponebant in Deo, & qua præſciret Deus in cujuſque hominis voluntate, quid acturus eſſet, ſi diù viveret, atque indè moveretur ad Baptiſmi gratiam his, potiuſquàm illis, largiendam. Hunc certè præſcientiæ modum & abuſum negant, & in Semipelagianis damnant *S. Auguſtinus*, & *S. Proſper*: nec enim Deus in libero hominis arbitrio conditionatè futuros ejus actus bonos prævidet, ſed in ſua prædeſtinatione, ſeu in ſuo decreto, ſicut fusè

in

in meis ſuperioribus Epiſtolis commonſtravi. Nec etiam ex meritis, aut demeritis, quæ nunquàm futura ſunt, & quæ in pueris comminiſcebantur Semipelagiani, movetur Deus, ut Gratiam concedat, aut neget.

Cæterùm, non negaſſe *S. Auguſtinum*, Deum præſcire futura conditionata libera, eaque in ſua Prædeſtinatione ſeu in decreto ſuo, præſcire, duobus certiſſimis momentis evinco. Primo, quia S. ille Doctor cap. 9. libri *De Dono perſeverantiæ* palàm affirmat, converſionem Tyriorum, & Sidoniorum, quæ erat dumtaxàt conditionatè futura, fuiſſe à Deo præſcitam in ſua prædeſtinatione, ſeu in ſuo decreto: *Numquid poſſumus* (ait S. Auguſtinus) *dicere Tyrios, & Sidonios, talibus virtutibus à ſe factis, credere noluiſſe, cùm ipſe Dominus atteſtetur, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pænitentiam, ſi in eis facta eſſent divinarum illam ſemina virtutum*. Et de eadem Tyriorum, & Sidoniorum converſione, quæ erat tantùm conditionatè futura libera, loquens idem S. Doctor eodem in capite, ait: *In eis* (ſeu in Tyriis & Sidoniis) *cognoſcimus ad eas cauſas Prædeſtinationis, hæc divina judicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præjudicio tunc iſta reſpondere me dixi*. His paria habet *S. Auguſtinus* cap. 9. lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ex quo patet, *S. Auguſtinum* non negaſſe, Deum præſcire & in ſuo decreto cognoſcere futura conditionata libera, qualis eſt converſio Tyriorum & Sidoniorum, ſi Chriſtus fuiſſet apud illos annunciatus, ſed dumtaxat S. illum Doctorem improbaſſe in Semipelagianis modum & abuſum præſcientiæ. Qua in re *S. Auguſtinus* ſecum conſentientes habet omnes Orthodoxos Theologos.

Præstereà conſtat, Deum certam habere notitiam futurorum conditionatorum, quæ libera ſunt, & in Sacris Litteris revelantur. Deus enim (ſicut legimus lib. 3. Regum cap. XI. v. 2.) dixit Iſraelitis: *Non ingrediemini ad eas* (filias ſcilicèt gentium) *certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum*, idest, ſi ad eas ingrediamini: Atquì, ſi Deus non præſciret in ſuo decreto futura conditionata libera, ſed ea dumtaxàt cognoſceret in diſpoſitione, propenſione, & præparatione cauſarum inferiorum, non haberet Deus certam & infallibilem futurorum conditionatorum liberorum cognitionem, ſed haberet dumtaxàt de illis notitiam conjecturalem, quam nos itidèm habemus, dùm crebrò dicimus: *ſi hoc cibo veſcaris, ægrotabis. Si hæc urbs oppugnetur, expugnabitur. Si hoc iter peragas, in Latrones incides*. Hæc enim cum dicimus, nolumus vaticinari aliquid certò futurum vel abſolutè vel hypotheticè; ſed ſolùm de his conjecturam facimus, habita cauſarum diſpoſitione, inclinatione, ac præparatione, ſeu volumus dumtaxàt, hanc cauſarum diſpoſitionem, & propenſionem deſignare, putà iter inſeſſum à latronibus, cibum valetudini exitialem, urbem immunitam, quamvis enim poſita conditione poſſe non conſequi effectum certò ſciamus, conjecturaliter tamen effectum conſequuturum pronunciamus, quia plerùmque conſequitur. Si ergò Deus non præſciret in ſuo decreto futura conditionata libera, ſed ea dumtaxat cognoſceret in diſpoſitione & inclinatione cauſarum inferiorum (ſicut docet *Pater Thomaſſinus*) non haberet Deus certam & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam, ſed tantùm notitiam conjecturalem, qualem nos habemus; quod ſanè Sacris Litteris, & menti *S. Auguſtini* adverſari, copioſè ſatis in meis ſuperioribus Epiſtolis commonſtravi, adeò ut actum agerem, ſi plura hìc dicere vellem.

Ad quam autem Scientiam Dei referenda ſit illa cognitio, quam Deus habet futurorum conditionatorum? an ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus cognoſcit res merè poſſibiles? an ad Scientiam liberam Dei, ſeu ad Scientiam viſionis, quæ innixa eſt decreto? dico, Scientiam, quam Deus habet futurorum conditionatorum eſſe revocandam ad Scientiam Dei liberam, ſeu ad Scientiam viſionis, quæ adjunctum habet divinæ voluntatis De-

cretum; non quòd Deus videat hæc futura conditionata actu exiſtere, ſed quia in ſuo decreto, abſoluto ex parte ſui, & conditionato ex parte objecti, videt Deus connexionem, quam ſtatuit inter illa futura & eorum conditionem. Quocircà falſum eſt, futura conditionata, quæ nunquàm futura ſunt, remanere in ſtatu meræ poſſibilitatis, eorumque Scientiam reduci debere ad Scientiam neceſſariam, ſeu ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ, per quam Deus tantùm cognoſcit res quæ ſunt in ſtatu puræ poſſibilitatis.

XII. Objicis ſecundò cum doctiſſimo *Thomaſſino*: Quandò in Scriptura Sacra enunciantur aliqua futura conditionata, quæ tamen nunquàm futura ſunt, ideſt, quæ nunquàm evenient, hæc tropicè, figuratè, & metaphoricè, vel per exaggerationem dicta cenſeri debent, ſicut V. G. dùm Chriſtus Dominus *Matthæi* cap. XI. v. 21. ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis* (ſcilicet Judæis) *olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent*. His verbis (inquis) noluit Chriſtus certò prædicere conditionatè futuram converſionem Tyriorum & Sidoniorum, ſi apud illos fuiſſet annunciatus, ſed voluit tantummodò Chriſtus per quamdam exaggerationem objurgare duritiem cordis Judæorum comparatè ad Tyrios & Sidonios, qui non fuiſſent ita obdurati: ſicut, ſi amico, quidpiam mihi neganti, dicerem: *id mihi, amice, non concedis, quod vel ab inimico obtinuiſſem*; vel ſi Concionator Chriſtianis, qui ejus verbis non moverentur, diceret per exaggerationem: *ſi prædicarem apud Turcas, dictis meis moverentur, eorumque corda flecterentur ad pænitentiam*, vel ſi diceret: *ſi apud ſaxea & marmorea corda prædicarem, ad has meas lacrymas emollirentur*. In his exaggerationibus non falſitas, ſed venuſtas, non mendacium, ſed tropus eſt ac figura, eoque loquendi modo nihil eſt inter homines uſitatius. Nihil igitur cauſæ eſt (inquis) cur dicamus, Chriſtum his verbis voluiſſe certò prædicere futuram converſionem Tyriorum & Sidoniorum, quæ revera futura non erat; ſed longè veroſimilius eſt, Chriſtum more humano loqui voluiſſe, & hoc uſitato loquendi modo tropico, figurato & metaphorico redarguiſſe per exaggerationem incredulitatem & duritiem Judæorum comparatè ad Tyrios & Sidonios, qui erant infideles.

Reſpondeo breviter ac præcisè, nihil quidèm inter homines uſitatius eſſe eo tropico & figurato loquendi modo, in quo non falſitas, ſed venuſtas, non mendacium, ſed tropus & figura eſt. Fateor etiam, Deum aliquandò in Scriptura Sacra ab hac hominum loquendi conſuetudine non recedere, nec tropis ac figuris parcere, ſicut, Ex. Gr. dùm Chriſtus Lucæ cap. 19. verſ. 40. ait: *ſi hi tacuerint* (nempè ejus diſcipuli) *lapides clamabunt*. In iſto certè loquendi modo, quem hìc uſurpat Chriſtus nec falſitas nec mendacium eſt, ſed tropus & figura, non prædictio futuri lapidum clamoris, etiamſi diſcipuli Chriſti tacuiſſent. Hæc, inquam, non inficior.

At dico, Deum in Sacris Litteris pleraque revelaſſe & certò prædixiſſe futura ſub conditione, ut V. Gr. dùm 3. Regum cap. XI. dixit Iſraelitis: *Non ingrediemini ad illas* (filias ſcilicèt gentium) *certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum*, nempè *ſi ad eas ingrediamini*. Porrò, ſi Chriſtus certò prædixit futura conditionata, profectò ſunt certò futura ſub conditione, aliàs Chriſtus ut certum affirmaret, quod certum non eſſet; non poſſunt autem eſſe certò futura ſub conditione, niſi eorum conditionata futuritio fuerit per decretum Dei determinata; ergò fuit in Deo decretum hæc ſub conditione certò futura determinans, & in quo Deus certam & infallibilem habeat notitiam futurorum conditionatorum, quæ in Sacris Litteris revelavit ac certò prædixit, alioqui dicendum eſſet (juxta ſententiam *Patris Thomaſſini*) Deum certò non prædicere futura ſub conditione, nec certam & infallibilem eorum habere notitiam, ſed cognitionem dumtaxàt

Digitized by Google

taxàt conjecturalem, quam venaretur Deus ex ſola diſpoſitione, inclinatione & præparatione cauſarum inferiorum; qualem itidèm & nos habemus, qui non poſſumus certò prædicere futura conditionata, ſed tantùm de conditionata eorum futuritione conjecturas facimus ex diſpoſitione, & propenſione cauſarum. Aſſerere autem Deum certò non prædixiſſe futura conditionata, quæ ſunt in Sacris Litteris revelata, nec certam & infallibilem eorum habere notitiam, ſed conjecturalem dumtaxat, ſententia quidèm fuit olim aliquot Theologorum, ſed quæ nunc omnium Scholarum calculo rejicitur.

XIII. Poſtremò ſic objicis: quædam in Sacris Litteris dicuntur futura, quæ tamen futura non ſunt, dicuntur autem futura, non quod Deus prædixerit ea eſſe certò futura, aut eorum certam & infallibilem notitiam habeat in ſuo decreto; ſed tantummodò ad proximam cauſarum ſecundarum diſpoſitionem inclinationemve declarandam, vel etiam ad periculum aliquod indigitandum, ut imploretur divina bonitas, & ut ad meliorem frugem ſeſe recipiant peccatores. V. G. lib. 4. *Regum* cap 20. *Ezechiæ*, Regi Juda, dicitur: *Diſpone domui tuæ, quia morieris & non vives*, & tamen ejuſdem Regis vitæ adjecit Deus annos quindecim. Itèm in libro *Jonæ* Prophetæ cap. 3. v. 4. legitur hoc vaticinium: *Adhùc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, quæ tamen non eſt ſubverſa. Hæc igitur (inquis) & alia id genus in Scriptura Sacra ad indicandum periculum, ad excitandam hominum ſocordiam, ad ſuadendam emendationem vitæ, & auxilii divini implorationem, atque etiàm ad proximam cauſarum ſecundarum diſpoſitionem patefaciendam, dicuntur, ſed non ad certò prædicendum aliquod futurum, cujus Deus certam in ſuo decreto notitiam habeat, nullatenùs proferuntur.

Prætereà (inquis) quandò lib. I. *Regum* cap. 23. v. 12. *David* Rex, interrogavit Dominum his verbis: *ſi tradent me viri Ceilæ?* Reſpondit Dominus: *Tradent*: id non denotat futuram *Davidis* proditionem, quæ nulla fuit, ſed tantùm declarat præſentem civium hujus urbis Ceilæ diſpoſitionem, inclinationem, & voluntatem, quippè qui Davidis proditionem meditabantur.

Deniquè (ais) dùm lib 4. *Regum* cap. 13. verſ. 18 & ſequentibus, Rex *Joas*, mandato Prophetæ *Elizæi* obtemperans, percuſſit terram tribus vicibus, poſteàque ſubſtitit; iratuſque Propheta dixit: *Si percuſſiſſes terram quinquiès aut ſexiès, ſive ſeptiès, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem, nunc autem tribus vicibus percuties eam*: His verbis noluit *Elizæus* aliquid futuri prædicere (nihil quippè futurum erat) ſed hìc Propheta tantùm innuit, Regem *Joam*, quò promptiùs, fidentiùs & perſeverantiùs mandato Prophetæ *Elizæi* paruiſſet, hoc frequentiores plenioreſve meriturum fuiſſe de hoſtibus ſuis reportare victorias.

Undè concludis, non ſolùm Moliniſtas perperàm ex his, & aliis ejuſmodi Scripturæ Sacræ locis ſtabilire velle Scientiam Mediam, per quam dicunt, Deum ante decretum ſuum abſolutum cognoſcere futura conditionata; verùm etiam falli Thomiſtas, dùm ex iiſdem Scripturæ Sacræ locis inferunt, Deum certò in Sacris Litteris prædicere futura conditionata, eorumque certam & infallibilem habere notitiam in ſuis decretis, quæ ſunt præſentia, actualia, & abſoluta ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, conditionata verò ex parte objecti voliti à Deo.

Reſpondeo, Prædictiones futurorum, quæ in Sacris Litteris revelantur, poſſe ſub duplici reſpectu & ordine conſiderari. Primò in ordine ad primam cauſam, videlicèt Deum, qui per decretum ſuum eſt cauſa futuritionis ſive abſolutæ, ſive conditionatæ omnium rerum. Secundò, prædictiones futurorum ſpectari poſſunt in ordine ad inclinationem, & diſpoſitionem cauſarum inferiorum tam naturalium, quàm liberarum. Prædictiones futurorum in ordine ad Deum ſunt certæ, quia Deus omnia futura certò præſcit in ſuo decreto. Prædictiones verò futurorum in or-

dine ad diſpoſitionem & propenſionem cauſarum inferiorum non ſunt abſolutè certæ, quia Deus aliquandò immutat diſpoſitionem cauſarum inferiorum, & abſoluta voluntate impedit, ne ea, quæ juxtà curſum ordinarium rerum, ſeu juxta diſpoſitionem, propenſionem, & præparationem cauſarum inferiorum ſunt futura, reverà eveniant.

Atque hoc pacto interpretari oportet has, quas adduxiſti, prædictiones *Iſaiæ* & *Jonæ*, quorum prior ægrotanti Regi *Ezechiæ* prædixit: *Diſpone domui tuæ, quia morieris & non vives*; alter verò Propheta dixit Ninivitis: *Adhùc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Quamvis enim neutrum eorum, quæ ambo illi Prophetæ prædixerunt, evenerit, falſa tamen non ſunt vaticinati, quia id tantùm prædixerunt, quod, juxta ordinarium rerum curſum, & ſecundùm cauſarum inferiorum diſpoſitionem, & præparationem futurum erat. Mors quippè *Ezechiæ* Regis erat futura ſecundùm ordinarium rerum curſum; lethali quippè morbo in lecto decumbebat Rex *Ezechias*. Subverſio itidèm urbis Ninives erat futura juxta ordinarium divinæ juſtitiæ curſum, propter graviſſima peccata, quibus Ninivitæ iram Dei ſibi accerſiverant. At, iſti duo Prophetæ neque mortem *Ezechiæ*, neque urbis Ninives ſubverſionem prædixerunt tanquàm rem abſolutè futuram juxtà ordinem divinæ providentiæ, & velut determinatam abſoluto & poſitivo Dei decreto.

Hinc Rex *Ezechias*, & Ninivitæ (qui Deum per pænitentiam placare ſtuduerunt, eumque, ut abundantia miſericordiæ ſuæ impendentia mala averteret, deprecati ſunt) id intellexerunt, ſibi à Prophetis prędictum non tanquàm futurum ſecundùm ordinem divinæ providentiæ, & determinationem divini alicujus decreti abſoluti & poſitivi; alioquin tam *Ezechiæ*, quàm Ninivitis nulla planè hujus impetrationis à Deo obtinendæ ſpes affulgere potuiſſet, ſi hæc mala eis à duobus iſtis Prophetis prædicta abſolutè futura eſſe, hoc eſt, abſoluto & poſitivo Dei decreto fixa ac ſtatuta eſſe, autumaſſent.

In his ergo prædictionibus *Iſaiæ*, & & *Jonæ*, nulla fuit deceptio, nullum prorsùs mendacium, quia nec mortem *Ezechiæ*, nec exterminium Ninivitarum prædixerunt tanquàm rem abſolutè futuram ſecundùm ordinem divinæ providentiæ & determinationem Divini decreti abſoluti & poſitivi; ſed hæc mala dumtaxàt prædixerunt tanquàm futura juxta diſpoſitionem, propenſionem, & præſentes circumſtantias cauſarum inferiorum, videlicèt mortem Regis *Ezechiæ* futuram prænuntiavit Iſaias juxtà morbum lethalem, quo laborabat, & ſubverſionem urbis Ninives paritèr prædixit Jonas futuram juxtà diſpoſitionem & inclinationem Ninivitarum, qui, in graviſſimis ſceleribus ac flagitiis immerſi, à Deo penitùs exterminari merebantur.

Id egregiè confirmat Doctor Angelicus Secundæ Secundæ Quæſt. 71. Art. 6. ad 2. ubi docet, in hoc Præſcientiam divinam differre à Prophetia, quòd divina futurorum præſcientia bifariàm reſpiciat futura. Primò, quatenùs futura vi decreti Divini ſunt in ſeipſis præſentia æternitati divinæ; Secundò, quatenùs ſunt futura ſecundùm ordinem & diſpoſitionem cauſarum inferiorum. Hoc poſito principio, ait *S. Thomas*, præſcientiam divinam reſpicere futura non ſolùm quatenùs ſunt futura determinata per Divinum decretum, quo in ſe ipſis ſunt æternitati præſentia; ſed etiam reſpicere ea futura, prout futura ſunt juxta ordinem & diſpoſitionem cauſarum inferiorum, ſub quo reſpectu non ſunt decreto Dei abſoluto determinata futura; Aſt Prophetia (inquit *S. Thomas*) quæ eſt impreſſio divinæ præſcientiæ, interdùm illam imitatur quatenùs reſpicit futura, abſoluto Dei decreto determinata, atque ita certò eveniunt, quæ prædicit ac revelat, ſicut Prophetia *Eſaiæ* Capit. 7.: *Ecce Virgo concipiet &c.* & tunc dicitur *Prophetia ſecundùm Præſcientiam & Decretum Dei*. Aliquandò tamen Prophetia præſcientiam Dei, cujus eſt impreſſio, imitatur tantùm quatenùs reſpicit & prædicit

cit futura ſecundùm ordinem & diſpoſitionem cauſarum inferiorum, ſub quo reſpectu non ſunt determinata futura decreto Dei abſoluto; & tunc aliud poteſt evenire, quàm quod revelat & prædicit Prophetia, licèt non ſubſit falſum Prophetiæ, quia ſenſus Prophetiæ eſt; quòd ea ſint tantum futura ſecundùm cauſarum inferiorum, cùm naturalium, tùm liberarum diſpoſitionem, ac propenſionem; non verò, quòd ſint abſolutè futura ſecundùm ordinem divinæ providentiæ & determinationem alicujus abſoluti, & poſitivi decreti Dei, & tunc *Prophetia* dicitur *comminationis* ſi aliqua pœna prædicatur, vel *promiſſionis*, ſi aliquid boni annuncietur.

XIV. Sed hæc, quæ hactenùs dixi in quatuor Epiſtolis, quas ad te dedi, de cognitione, quam Deus habet, omnium futurorum tam abſolutorum, quàm conditionatorum, tibi abundè ſufficere debent; & ex quibus pareſt, ut inferas, ac invictè defendas quatuor Theologica Dogmata, quæ, poſt Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, conſtantèr propugnant omnes Thomiſtæ: Primum eſt: Rejiciendam omninò eſſe Scientiam Mediam, quæ (ut volunt Moliniſtæ) antecedit omne decretum Dei abſolutum, & cujus beneficio, dictitant Deum cognoſcere futura conditionata. Alterum eſt: Deum, independentèr à Scientia Media, certam & infallibilem habere notitiam futurorum conditionatorum, quæ in Sacris Litteris revelantur Tertium eſt: Longè à Deo ableganda eſſe ea, quæ confingunt Moliniſtæ, decreta indifferentia, quæ pendent à conſenſu & determinatione voluntatis creatæ, tanquàm à conditione, quam expectant à ſolo libero hominis arbitrio. Ultimum hoc eſt: Deum, ſicut certò futura abſoluta cognoſcit in ſuo decreto, quod eſt abſolutum tam ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, quàm ex parte objecti voliti à Deo, ità futura conditionata certò cognoſcere in ſuo decreto, quod eſt abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti; ita ut tamen hæc conditio, tenens ſe ex parte objecti voliti à Deo, non pendeat à voluntate creata, ſed à voluntate Dei, quę eſt prima cauſa efficiens rerum omnium, quę ſunt futuræ.

Hæc quatuor Scholæ Thomiſticæ dogmata ſi ſemel tuo animo imbibas, eiſque indivulsè adhæreas, certè de Deo magnificè ſenties, iuſtèque poteris contra omnes Scholæ Thomiſticæ Adverſarios hæc aurea *S. Gregorii Nazianzeni* Oratione 31. (ubi Apoſtoli *Pauli* Oraculum ad Romanos Epiſtolæ cap. 9. verſat: *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*) uſurpare verba, quæ plurimùm ad Scholę Thomiſticæ doctrinam, quam in meis Epiſtolis exponendam ſuſcepi, commendandam conferunt: *Quoniam* (inquit ille Græcæ Eccleſiæ Theologus) *nonnulli ſunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, ut id totum ſibi adſcribant, nec quidquam creatori, & ſapientiæ eorum auctori, & bonorum omnium ſuppeditatori acceptum ferant; his verbis eos docet Apoſtolus, quòd ipſum rectè velle divino auxilio indigeat: immò, ut rectiùs loquar, voluntas quoque ipſa & electio eorum, quæ recta & cum officio conjuncta ſunt, divinum beneficium eſt, atque à Deo benignitate manans. Idcircò ait: Non ſolùm volentis, nec currentis ſolùm, ſed etiam miſerentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipſum à Deo eſt, optimo jure totum Deo aſſignavit.* Vale. Amice dilectiſſime, & pro certo habeto, exciſa ſemel ac penitùs extirpata (ut mihi videtur) doctrinæ Molinianæ radice, ſeu Scientia Media, futurorum conditionatorum, ante omne Dei decretum abſolutum, exploratrice, facillimum mihi fore in aliis, quas ad te deinceps daturus ſum, Epiſtolis, frangere ac comminuere ramos, qui ex eadem Scientia Media, tanquàm è radice, pullulant; videlicèt Gratiam congruam, attemperatam locis, temporibus, circumſtantiis, genio, indoli, & temperamentis eorum, quibus datur; necnon Prædeſtinationem ad gloriam, factam poſt prævifionem meritorum.

EPISTOLA QUINTA

In qua ſtabiliuntur Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ Principia, quibus profligatur Moliniſtarum Gratia congrua.

I. Gratia Moliniſtarum *congrua* eſt Appendix neceſſaria doctrinæ de Scientia Media, quam ipſe in ſuperioribus meis Epiſtolis omni argumentorum genere confutavi. Pertendunt quippè Aſſertores Scientiæ Mediæ, nullo pacto eſſe admittendas Gratias per ſe & ab intrinſeco efficaces, quæ ex ſe ipſis intrinſecam habeant virtutem determinandi liberum hominis arbitrium ad agendum, illudque inflectendi hùc potiùs, quàm illùc; quia (inquiunt) ejuſmodi Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficaces penitùs perimunt humanam libertatem, penès quam eſt jus ſeſe, nullis alienis adminiculis, ſed proprio ſuo marte determinandi, vertendi, & inclinandi quocumque voluerit. Hinc Moliniſtæ primò docent, Deum, antequàm actus noſtros abſolutè futuros decernat, habere dumtaxàt decreta indifferentia & ſubdita (quantùm ad ſpeciem actus, videlicèt boni vel mali) libero hominis arbitrio.

Ajunt inſupèr Moliniſtæ, Deum, priuſquàm actus noſtros abſolutè futuros decernat, explorare per Scientiam Mediam voluntatis humanæ conſenſum conditionatè futurum, adeò ut, ſi Gratias illas verſatiles, indifferentes, & permiſſas libero hominis arbitrio, quas Deus omnibus promiſcuè hominibus offert, noverit Deus fore aliquandò efficaces, non alia ratione Deum id cognoſcere dictitent Moliniſtæ, quàm quia Deus per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, prævidit hominis voluntatem his Gratiis verſatilibus & indifferentibus liberè conſenſuram, eaſque in talibus circumſtantiis, locis, & temporibus per conſenſum ſuum efficaces & congruas reddituram. Hunc autem voluntatis humanæ conſenſum conditionatè futurum, poſtquàm beneficio Scientiæ Mediæ prævidit Deus, aſſerunt Moliniſtæ, Deum tunc ſuum formare decretum abſolutum, quo ſtatuit dare huic homini hanc Gratiam, quam anteà ex ſe verſatilem & indifferentem, iſtius hominis voluntas congenita libertate, proprioque nutu reddidit efficacem, quæque *Gratia congrua* dicitur, quia attemperata eſt genio, indoli, & temperamento hujus hominis, necnon locis, temporibus, & circumſtantiis, in quibus Deus per Scientiam Mediam prævidit hunc hominem per ſuum conſenſum Gratiam verſatilem, ſibi oblatam, redditurum *congruam*, ſeu efficacem. Undè manifeſta conſecutione deducitur, Deum (juxta Moliniſtarum doctrinam) non eſſe auctorem, ſeu cauſam effectricem congruitatis, & efficaciæ iſtius Gratiæ (in ſenſu Moliniſtico) *congruæ*, ſed potiùs congruitatem & efficaciam iſtius Gratiæ Molinianæ ſoli humanæ voluntati, tanquàm cauſæ efficienti, & Gratiam Dei verſatilem per ſuum conſenſum reddenti congruam & efficacem, acceptam referri debere. Quod ſanè Syſtema (ut facilè intelligis) nimiùm tribuit libero hominis arbitrio, quod per primigeniam Protoparentis noſtri labem infirmum eſt, vulneratum ac ſauciatum, plurimùmque elevat ac extenuat omnipotentiam Dei, & internam divinæ ipſius Gratiæ efficaciam.

II. Verùm, iſte ſervandæ libertatis humanæ prætextus, quem obtendunt Moliniſtæ (ut, exploſa Gratia per ſe efficaci, admittant Gratiam verſatilem, & indifferentem, quam hominis voluntas pro ſuo nutu & arbitrio reddit effi-

efficacem ac congruam) eſt planè vanus, futilis, ac falſus. Quamvis enim quotidiana liberi arbitrii conſcientia clamet agere nos ipſos, & voluntatem noſtram ſeſe determinare & eſſe dominam ſuorum actuum: an propterea, quæſo, agi nos à Deo, & noſtræ voluntatis dominium eſſe ſupremo Dei, qui eſt princeps & ſuprema rerum omnium cauſa, dominio ſubditum, negat? Certè, voluntas noſtra ſe ipſam movet ac determinat, ſed utrùm id in nobis abſque Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis ope, perficiatur, nobis profectò minime conſcii ſumus; quin immò ſenſus ipſe intimus dum ſuggerit nobis quid poſſimus, quid valeamus, ſuggerit quid virtutis nobis ab ortu dederit Deus, & quid dare non deſinat. Sed hac ſincera & ingenua liberi arbitrii noſtri conſcientia perperàm abutitur cupiditas, quæ alienum ei vultum, & alienos ſermones affingit.

Voluntatem creatam ſuorum quidèm actuum dominam eſſe, experientia exploratum habemus; ſed animus arrogantior voluntatem creatam eſſe ſupremam ſuorum actuum dominam, nulli alieno, etiam Dei, dominio obnoxiam, ſibi perſuadet. Sumus enim, heu nimium, juris noſtri peramantes, ad amplificandum nos maximè propenſi, ac ſuperbia tumidi, propriæque excellentiæ appetentia elati (quod peſſimum vulnus eſt, nobis per peccatum Originale inflictum) nobis ipſis creſcere, nihil non tranſcendere vehementèr deſideramus, & quoniàm nulla re magis extolli videtur dominium noſtrum, quàm ſi nulli ſuperiori fingatur obnoxium; idcircò non poteſt mens, quin imagine adeò ſpecioſa alliciatur, & allecta decipiatur.

Porrò, id diſcriminis intereſt Syſtema Molinianum de Gratia congrua inter & Syſtema Thomiſticum de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, quòd Syſtema de Gratia congrua faveat ſuperbiæ hominis, cujus voluntatem ita conſtituit ſuorum actuum dominam, ut in ſui determinatione à ſe ſola, & non à Deo, pendeat. Quò fit, ut iſtiuſmodi Syſtema perplaceat homini, ſui dilatandi dominii, ſuprà quàm cogitari poteſt, ſtudioſo: At, Syſtema Thomiſticum de Gratia per ſe efficaci omnem hominis ſuperbiæ aditum præcludit; quia dominium, quod habet voluntas hominis, ita ſubmittit ſupremo Dei dominio, ut ipſa in exordio, in progreſſu, & in fine operis ſui pendeat à Deo, tanquàm à primo principio, cauſa principe, univerſali, & rerum omnium per ſuum prævium & phyſicum influxum effectrice; indèque fit, ut iſtud de Gratia per ſe efficaci Syſtema voluntati humanæ, quæ rerum omnium dominatum ambit, non arrideat, & liberum abitrium conqueratur, ſibi nocere auxilia prædeterminantia.

At, præterquamquòd in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi, hanc querimoniam eſſe omninò injuſtam, quia tantùm abeſt, ut auxilia prædeterminantia libero hominis arbitrio officiant, ut potiùs illud foveant, perficiant, efficiantque, ut citra coactionem & neceſſitatem, liberè & cum dominio in ſuos actus operetur; certum eſt, hanc injuſtam liberi arbitrii querimoniam prodire ex animo ſuperbo, qui humi depreſſus, ſenſuumque præjudiciis infuſcatus, de rebus longè ſupra corporum naturam poſitis judicare præſumit, nec rebus tam ſublimibus, quas prono capite adorare deberet, ſe ſubmittit; ſed præpoſterè eas ad ſuum modulum inflectere audet, iiſque ingenii ſui aciem ac perſpicaciam, pro luce tam vegeta languidiorem, & pro rebus tam ſublimibus nimiùm obtuſam, opponit. Hinc facilè concludes, cariſſime diſcipule, eum, qui propriæ ſuæ infirmitatis conſcius, egenum ſe eſſe ac debilem, multiſque per peccatum originale conſoſſum vulneribus modeſto humilique animo profitetur, & omnipotentis Gratiæ ad benè operandum neceſſitatem agnoſcit atque implorat, ad capeſſendum divinæ Gratiæ dogma eſſe magis idoneum.

III. Quocircà, antequàm legas hanc meam Epiſtolam, in qua Gratiam congruam Moliniſtarum multis argumentis

impugnandi officium ſuſcepi, ſummoperè cavere debes primùm quidem, ut edomes animum tuum, ne adversùs dogma de Gratia ſe ipſa efficaci, humanæ ſuperbiæ inimicum, ferociat; dein, ut medearis menti tuæ, ſi ſenſuum vitio eſset depravata, & anteceptis occupata præjudiciis, à quibus tantò magis cavendum tibi eſt, quantò plus habent periculi, utpotè quæ ementita rationis larva fucum facere ſolent, falſis opinationibus ſpeciem veri affingunt, vera falſis admiſcent, lumini tenebras conſociant, eumque, qui temerè ſeſe illis credit, mirum eſt quò præcipitem ferant. Ut autem argumentorum, quæ deinceps ad expugnandam Moliniſtarum Gratiam congruam adducam, vim penitiùs introſpicere ac penetrare valeas, operæ pretium erit, duo in anteceſsum breviter explicare, primùm, quid ſit in ſenſu Moliniano Gratia congrua, aut incongrua? deindè, quid ſibi velint Moliniſtæ, dùm dicunt, penès Deum eſse dare Gratiam congruam, vel incongruam?

Gratia congrua Moliniſtarum ea dicitur, quæ futuræ voluntatis hominis determinationi, in certa temporum, locorum, & circumſtantiarum conditione ſpectatæ, eſt attemperata, ſivè, ut planiùs loquar, Moliniſtarum Gratia congrua, hæc eſt, qua poſita futurum eſt ut voluntas humana, in tali temporis, loci, & circumſtantiarum ſerie ac conditione conſtituta, ſe ipſam velit ad benè agendum inflectere, & Gratiam verſatilem, ſibi à Deo oblatam, indifferentem, ſuoque liberò permiſsam arbitrio, reddere efficacem per conſenſum ſuum.

Totum iſtud Moliniſtarum de Gratia congrua Syſtema ſequenti exemplo dilucidabo: ſi duo fuerint homines in iiſdem locis, temporibus, ac circumſtantiis conſtituti, eadem planè Gratia verſatili, indifferenti, & libero eorum arbitrio ſubdita, æqualitèr inſtructi, eodem cupiditatis gradu affecti, & in eodem ſtatu poſiti, alter hanc Gratiam verſatilem & indifferentem determinabit per ſuum conſenſum ad benè agendum, alter verò eamdem Gratiam determinabit per ſuum diſsenſum ad malè agendum, atque adeò (juxta Moliniſtas) Gratia, quæ antehàc erat tantùm verſatilis & indifferens, evadet in illo congrua & efficax, in iſto fiet inefficax.

Ex quo exemplo liquidò patet, penès liberum hominis arbitrium eſſe (juxtà Moliniſtarum doctrinam) quòd Gratia verſatilis & indifferens fiat *congrua*, aut *non congrua*; effectu ſuo donetur, aut effectu ſuo careat. Fateor equidèm, docere Moliniſtas certò per Scientiam Mediam prævideri à Deo, nùm hæc Gratia verſatilis & indifferens, ſortitura ſit effectum ſuum, ac proindè nùm congrua ſit futura, an non? quia (inquiunt Moliniſtæ) novit Deus beneficio Scientiæ Mediæ, utrùm humana voluntas hanc Gratiam verſatilem, & indifferentem, ſit per ſuum conſenſum determinatura ad benè agendum, nec ne? intereà verò (ajunt Moliniſtæ) ſtat penès Deum dare Gratiam in his circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus hominis voluntatem non conſenſuram, ac proindè Gratiam *incongruam* fore præſcivit; aut Gratiam dare in aliis circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus Gratiæ verſatili & indifferenti hominem conſenſurum prævidit, ſubindèque *congruam* in hoc homine fore Gratiam prænovit. Fateor, inquam, hanc eſſe Congruiſtarum Moliniſtarum doctrinam, & ex ea rectè inferri, in ipſius Dei voluntate poſitum eſſe, quòd Gratiam congruam nobis dare velit, ideſt, quòd velit Deus nos ponere in his circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus prævidit, nos Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſuros, eamque efficacem ac congruam reddituros; ſimilitèr penès Deum eſſe Gratiam *congruam* nobis denegare, ſi velit, ponendo videlicèt nos in his locis, temporibus, ac circumſtantiis, in quibus prævidit, nos Gratiæ verſatili & indifferenti non conſenſuros, eamque ſubinde *incongruam* & inefficacem reddituros.

Id profectò ex hoc congruiſtarum Moliniſtarum Syſtemate recta conſe-

cutio.

cutione deduci, non inficias eo. Ea de re Thomiſtas inter & Moliniſtas impræſentiarùm non agitur, ſed difficultatis cardo in hoc ſiſtit primò, utrùm Deus offerat hominibus Gratias verſatiles, indifferentes, ſubditas eorum libero arbitrio? ſecundò, utrùm ejuſmodi Gratiæ verſatiles & indifferentes reddantur congruæ & efficaces per conſenſum & determinationem voluntatis humanę? Moliniſtæ utrumque affirmant, & mordicùs defendunt; Thomiſtæ verò utrumque, poſt Sanctos *Auguſtinum & Thomam*, conſtantèr pernegant, ac primò docent, nullo pacto eſſe admittendas Gratias illas Molinianas, quæ ſunt verſatiles, indifferentes & ſubditæ libero hominis arbitrio. Præterea, docent Thomiſtæ, efficaciam divinæ Gratiæ non pendere à determinatione, ſeu conſenſu voluntatis humanæ, ſed eam unicè petendam eſſe ex omnipotentiſſima Dei voluntate, ex ſupremo, quod Deus in omnes creaturas obtinet. dominio, & ex prævio ac phyſico influxu Dei, qui eſt prima & univerſalis cauſa efficiens rerum omnium, ſingulas cauſas ſecundas, tam neceſſarias, quàm liberas, quæ ei ſunt ſubordinatæ, & ab eo eſſentialitèr pendent, determinans ad agendum, neceſſarias quidèm modo neceſſario, liberas verò modo libero, hoc eſt, citrà coactionem, violentiam, ac neceſſitatem. In hoc cardine præſens de Gratia congrua Thomiſtas inter & Moliniſtas vertitur quæſtio. Hic pede pes, Theologus Thomiſta Theologo Moliniſta firmitèr hærere debet, ſi rectà ad ſcopum collimare, & ad ipſa Molinianæ doctrinæ cubilia pervenire velit.

IV. Hac præmiſſa obſervatione, quam ſemper præ oculis habere debes, primum argumentum contra Moliniſtarum Gratiam congruam ſic inſtituo: Spem ſalutis noſtræ in ſolo Deo, optimo Maximo, collocare debemus, nec à creatura, ſeu voluntate creata ſalutis ſpem nos expectare oportet; Atqui, ſi daretur Gratia congrua, in ſenſu Moliniano mox a me explicata, homo in ſolo Deo ſpem ſalutis ſuæ non reponeret, ſed à creatura, ſeu à voluntate creata, ſpem ſalutis ſuæ expectaret, ergò admittenda non eſt Moliniana Gratia congrua. Major hujus Syllogiſmi Propoſitio in dubium revocari haud poteſt, cùm id palàm Catholica Eccleſia ſe credere profiteatur, dùm ſe *in ſola ſpe Gratiæ cæleſtis inniti* quotidianis precationibus clamet. Hoc itidèm Sacri Codices paſsìm docent, dùm Iſraelitarum narrando Geſta, quæ noſtra adumbrabant, ſæpiùs ob oculos exhibent eorum infelicitates ac miſerias, qui frequentiſſimè non in Domino, ſed in ſe ipſis, aut in homine ſpem ac fiduciam ſuam habuere; Itaque, cùm res ſit omnibus exploratiſſima, in dubium vocari minimè poteſt, ſed nobis loco principii eſſe debet. Minor itaque hujus Syllogiſmi Propoſitio, in qua tota volvitur difficultas, multifariàm probari poteſt. Primo ſic: jure ſalus expectari poteſt ab ea re, quæ ſalutem efficit; Atqui in Syſtemate de Gratia Moliniſtarum *congrua* ſalus expectari poteſt partìm à Gratia, partìm à voluntate creata, ergò hoc in Syſtemate jure poteſt homo ſpem ſalutis ſuæ ponere non in ſolo Deo, ſed & in creatura, ſeu in voluntate creata.

Hujus argumenti vìm faciliùs capies, ſi ſedulò obſerves, Gratiam congruam (juxtà Moliniſtarum doctrinam) poſitam eſſe in Dei concurſu ſimultaneo, qui ità offertur voluntati creatæ, ut ipſe non determinet voluntatem, ſed, verſa vice, voluntas creata concurſum Dei, qui eſt indifferens, per ſuum conſenſum determinet, & Gratiam Dei verſatilem & indifferentem, per ſuum itidèm conſenſum reddat efficacem ac congruam. Similitèr, Gratia congrua (ſicut docent Moliniſtæ) conſiſtit in certis quibuſdam illecebris, & invitamentis, voluntatem creatam moralitèr quidèm moventibus, ut ipſa determinet ſeſe; at voluntatem determinare per ſeſe infallibilitèr non valentibus. Undè planè ſequitur, penès voluntatem creatam eſſe determinare oblatum ſibi Dei concurſum, qui de ſe indifferens eſt, & Gratiam Dei verſatilem, quæ paritèr

ex

ex ſe indifferens eſt, reddere congruam, ſeu efficacem; quandò quidèm determinandi vim Gratia verſatilis, & prædicta invitamenta moralia non habent, proindèque, in Syſtemate de Gratia congrua Moliniſtarum, habet voluntas creata non nihil à Gratia, itemque à ſe ipſa nonnihil, nempè determinationem ſuam ipſa ſibi tribuit, quam dare nequeunt concurſus Dei, Gratia verſatilis & indifferens, ſeu illecebræ illæ, & prædicta invitamenta moralia. Ex quo argumentum conficio, cujus (ut candidè dicam) ſolutionem in Moliniſtarum congruiſtarum libris nullam hactenùs inveni: In tantùm ſalutem ab aliqua re ſperare licet, in quantùm ea res in ſalutem influit: Atquì, poſita Gratia, quam Moliniſtæ vocant *congruam*, in ſalutem magis influit voluntas creata, quàm Gratia, quia in hoc Moliniſtarum Syſtemate, penès voluntatem creatam eſt determinare concurſum Dei, qui eſt indifferens, & Gratiam Dei verſatilem reddere efficacem ac congruam; cùm voluntatem creatam determinare ut id faciat, nec concurſus Dei, qui (ut volunt Moliniſtæ) indifferens eſt, nec Gratia verſatilis, nec iſtæ illecebræ, nec prædicta invitamenta moralia poſſunt; ſola quippè voluntas creata (ſi Moliniſtas audiamus) id præſtare potis eſt. Porrò, determinatio eſt totius rei caput, & in negotio ſalutis longè præſtantius quid, quam quodlibet aliud citrà determinationem, igitur (juxta Moliniſtarum Syſtema de Gratia congrua) efficacior eſt voluntas creata, quàm Gratia, ad producendum intra nos id, quod in negotio ſalutis longè potius eſt atque præſtantius, ideòque homini in ſua voluntate magis, quàm in Gratia ſperare ac confidere fas erit.

Præterea, Moliniſtarum Gratia congrua efficax non eſt per ſe & ab intrinſeco, ſed tantùm eſt efficax per voluntatem creatam: Atquì ad ſalutem iſtud profectò magis confert, quod dat efficaciam Gratiæ, quàm id quòd talem efficaciam dare nequit; ergò ad ſalutem magis confert voluntas creata, quàm Moliniana Gratia. Ergò plus homo ſperare debet à viribus voluntatis ſuæ, quàm ab auxilio divinæ Gratiæ.

Tertiò, in cauſa qualibet, duo accuratè diſcernere eſt: videlicèt ſimplicem agendi potentiam, & actus ipſius exiſtentiam ſive præſentem, ſive futuram. Aliud quippè eſt, Exempli gratia, quod aliquid boni tribuere mihi poſſim, aliud quod mihi reipſa aliquid tribuam ſive pro tempore præſenti, ſive pro futuro. Hoc ſemel jacto certiſſimo principio, ſic argumentor: fundamentum ſpei noſtræ ſalutis non conſiſtit in eo, quod nobis dat nudam tantùm & ſimplicem potentiam ſperandi noſtram ſalutem, ſed ſiſtit in eo, quod nobis dat actum formalem ſpei, eamque conſtituit in ſuo eſſe: Atquì, in doctrina Moliniſtarum de Gratia congrua, ſola voluntas creata, quæ per conſenſum ſuum determinat Gratiam verſatilem & indifferentem, eamque reddit congruam, dat nobis actum formalem ſpei ſalutis noſtræ, eamque conſtituit in ſuo eſſe: Gratia ſiquidèm Moliniana in ſe præcisè conſiderata, & abſque conſenſu, ſeu determinatione voluntatis creatæ ſpectata, dat quidèm potentiam nudam & ſimplicem ſperandi, ſed ei non tribuit actum formalem ſpei, nec ſpem ſalutis conſtituit in ſuo eſſe. Cùm igitur (juxtà Moliniſtarum doctrinam) ſola voluntas creata (determinando per ſuum conſenſum Gratiam verſatilem & indifferentem, eamque reddendo congruam) nobis det actum formalem ſpei noſtræ ſalutis, eamque conſtituat in ſuo eſſe, manifeſtò indè ſequi videtur, non à Gratia Dei, ſed à viribus voluntatis humanæ proficiſci noſtræ ſalutis initium, adeò ut ab ipſo homine ſit, quidquid & primò generat ſpem, & actum ſpei ſalutis formalem conſtituit, ac denique ſalutis noſtræ ſpem conſtituit in ſuo eſſe. Quod ſi ita ſit, dicas, amabo, quorſùm Eccleſia in publicis, quas fundit ad Deum, precibus tam ſæpè conteſtetur, *ſe in ſola ſpe cæleſtis Gratiæ inniti*? ut quid etiam Deus per Prophetam *Hieremiam* cap. 9. v. 23. ait: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives*

in

In divitiis ſuis: Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus &c. Et Cap. XVII. v. 7. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine.*

Quartò, ab ea Gratia ſpem ſalutis noſtræ expectare haud debemus, quæ per ſe efficax non eſt, nec actionem infert, nec vim habet determinandi voluntatem creatam, ſed fit tantum efficax ac congrua per conſenſum ac determinationem voluntatis creatæ: Atquì (juxta doctrinam Moliniſtarum) Gratia congrua non eſt per ſe efficax, nec vim habet inferendi actionem, ac determinandi voluntatem, ſed fit congrua & efficax per conſenſum & determinationem voluntatis creatæ, ergò non à Gratia, ſed à voluntate noſtra, quæ Gratiam reddit congruam & efficacem, ſpem ſalutis noſtræ præſtolari debemus.

V. Scio, reſpondere Moliniſtas, nos ſpem ſalutis à voluntate noſtra expectare non debere, ſed à Gratia congrua; quam Deus pro nutu & arbitrio ſuo impertitur ubi vult, & quibuſcumque vult.

At, iſta palmaris Moliniſtarum Reſponſio invictum contra illos mihi ſuppeditat argumentum. Ajunt enim, *Deum largiri Gratiam congruam ubi vult, & quibus vult;* ergò ſupponunt Moliniſtæ Gratiam jam eſſe congruam, antequàm Deus eam largiatur. At unde hujus Gratiæ congruitatem repetunt Moliniſtæ? à Deo? minimè gentium. Sed omnem Gratiæ congruitatem dicunt Moliniſtæ proficiſci à libero hominis arbitrio; idcircò enim congruam appellant Gratiam & cum effectu conjunctam, quòd ad hunc actum, potius quàm ad alium, determinet ſeſe humana voluntas, adeò ut duorum hominum, Gratia æqualium, cupiditate parium, & circumſtantiis ſimilium, alter ſe ad bonum determinare velit, atque adeò per ſuam determinationem & conſenſum Gratiam verſatilem & indifferentem reddat *congruam* & efficacem; alter verò ſe ad bonum determinare nolit, ſubindéque Gratiam verſatilem & indifferentem, per ſuum diſſenſum reddat *incongruam* & inefficacem. Ex qua Moliniſtarum de Gratia congrua expoſitione, hoc argumentum adversùs ipſos propono: Spem ſalutis ſuæ habet homo (juxta Moliniſtas) propter Gratiam congruam, prout congruam, & ratione ſuæ congruitatis ſpectatam; Atquì (fatentibus iiſdem Moliniſtis) Gratiæ congruitas pendet à libero hominis arbitrio, quod per ſuam determinationem & conſenſum determinat Gratiam de ſe verſatilem & indifferentem, eamque reddit congruam & efficacem; ergò Moliniſtæ, velint nolint, fateri debent, (ſi doctrinæ ſuæ de Gratia congrua principiis ſtare velint) homines non niſi propter liberum arbitrium, tanquàm per primum quoddam ac principale mobile, ſalutem ſuam conſecuturos ſe ſperare debere.

Hoc autem ſemel poſito, ruit penitùs totius ſpei Chriſtianæ fundamentum, perit chriſtiana humilitas, quæ eſt baſis omnium chriſtianarum virtutum, indéque occaſionem ſuperbiendi facilè arripiet homo, dicens, ſe quidèm recepiſſe à Deo Gratias verſatiles & indifferentes, quæ ei conferebant nudam potentiam ſperandi ſuam ſalutem, amandi Deum, & eum orandi, aliaque id genus bona opera in ordine ad ſalutem æternam eliciendi; at, ſe per ſuum liberum arbitrium, & bonam ſuam determinationem, Gratias illas verſatiles & indifferentes determinaſſe, eaſque congruas & efficaces reddidiſſe; Deum denique non niſi ſuadendo, invitando, alliciendo ejus voluntatem ſollicitaſſe ut ipſa determinaret ſeſe, ſed ab ipſa voluntate ſua profectum eſſe conſenſum, per quem omnes iſtas divinas ſuaſiones, invitamenta, illecebras, & auxilia moralitèr dumtaxàt moventia, ſubindéque indifferentia, determinavit; eaque liberi ſui arbitrii viribus congrua & efficacia reddidit; undè concludet tandèm homo ſuperbus, ſe de bona ſua determinatione, quam non à Gratia, ſed à ſuo libero arbitrio accepit, grates Deo rependere non debere, & in ſe ipſo gloriari ure poſſe, quòd Gratia verſatili & indifferenti, ſibi à Deo

Deo oblata, benè uſus fuerit, eamque per ſuum conſenſum reddiderit congruam & efficacem.

Falleris (repones fortè mihi) *& rem amplius urges, quàm par ſit. Quid enim prohibet, quominùs homo, etiamſi doctrina Moliniſtarum de Gratia congrua imbutus, intrà modeſtiæ & humilitatis Chriſtianæ cancellos ſeſe contineat, atque ſe coràm Deo penitùs annihilando, quidquid boni habet & agit, totum ei acceptum referat; quandò quidèm nullus homo (etiàm juxtà Moliniſtarum de Gratia congrua ſententiam) habere poteſt abſque Deo facultatem benè operandi, igitur nec bonam quamcumque actionem.*

Id ſi reponas, cariſſime diſcipule, ſcias, non me ipſum, ſed te vehementèr falli. Quamvis enim in doctrina Moliniſtarum de Gratia congrua certum ſit, nullum hominem habere poſſe abſque Deo facultatem & potentiam benè operandi, ex ea tamen Moliniana doctrina minimè ſequitur, hominem ſuam determinationem & actionem à Deo accipere; ſed potiùs ſequitur, hominem ſuam determinationem & actionem habere à ſuo libero arbitrio, ſubindèque in hoc poſſe juſtè gloriari, nec laudem dare Deo, nec ei de bona ſua determinatione gratias agere debere; non ſecùs ac pictor quiſpiam, qui colores, ſine quibus depingere haud poteſt, ab alio accepiſſet, ſi induſtria ſua elegantem picturam facit, certè non omnem picturæ laudem ei tribuere debebit, à quo colores accepit, ſine quibus pingere nunquàm valuiſſet. Ita ſimilitèr (juxtà Moliniſtarum doctrinam) accipit quidèm homo à Deo Gratiam verſatilem, indifferentem, ſuoque libero arbitrio permiſſam, ſine qua non poteſt benè operari, Deum orare, emergentes ſuperare tentationes; at homo eſt, qui (juxta Moliniſtarum doctrinam) Gratiam verſatilem & indifferentem determinat per ſuum conſenſum profectum à ſolo ſuo libero arbitrio, & non à Gratia verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblata, quæ (ut fatentur Moliniſtæ) ſat virium non habet, ut valeat per ſe ipſam voluntatem hominis ad aſſentiendum & ad agendum inclinare ac determinare.

Cùm igitur (juxta intima doctrinæ Molinianæ principia) illa bona hominis determinatio, quæ eſt totius juſtitiæ noſtræ caput, atque in actibus noſtris planè decretorium, non à Gratia, ſed à libero hominis arbitrio originalitèr ac primitùs procedat, planè indè conſequitur, hominem non debere omnem ſuæ bonæ determinationis & operationis laudem & gloriam tribuere Deo, quamvis ab eo acceperit Gratiam verſatilem & indifferentem, quæ homini tantùm dedit nudam & ſimplicem potentiam determinandi ſe, & benè operandi, ſed potiùs hominem laudem & gloriam ſuæ bonæ determinationis & operationis ſibi adſcribere debere, quippè qui per vires liberi arbitrii, & per ſuum conſenſum, hanc Gratiam verſatilem, indifferentem, à Deo ſibi oblatam, determinavit ad benè operandum.

VI. Quaproptèr, ut par eſſe poſſis præcavendis argutiis & cavillationibus, queis Moliniſtæ hujus rei evidentiam totis viribus obſcurare moliuntur, præſtat ut obſerves, hanc voluntatis noſtræ determinationem, ſecundùm ſe ſpectatam, eſſe quid diverſum (etiam fatentibus ipſiſmet Moliniſtis) ab illecebris & invitamentis moralibus, quæ antecedunt humanæ voluntatis determinationem, & à concurſu Dei, qui eamdem voluntatis determinationem comitatur. Differt quidèm humanæ voluntatis determinatio, ab invitamentis moralibus, quæ eam antecedunt, quandò quidèm (ultrò fatentibus Moliniſtis) aliud eſt ſollicitari invitamentis hujuſmodi, & aliud determinare ſe ipſum. Diſcrepat verò humanæ voluntatis determinatio à concurſu Dei, quia (ſicut pertendunt Moliniſtæ) voluntas hominis debet concurſum Dei, ex ſe indifferentem, determinare.

His itaque poſitis, Reſponde, quæſo te, ſed ſine tergiverſatione, ad hanc, quam tibi propono, interrogationem: Aut conſiteris, hanc voluntatis noſtræ determinationem eſſe verè opus Dei, vel

vel negas? ſi confiteris, eam eſſe verè opus Dei, continuò hac tua confeſſione recognoſcis, eam eſſe à Deo per operationem prædeterminatricem, ſeu per Præmotionem phyſicam; quod ſi dicas, hanc voluntatis noſtræ determinationem non eſſe opus Dei, veliſque eam eſſe opus liberi hominis arbitrii, per ſuum conſenſum determinantis Dei concurſum, ejuſque Gratiam verſatilem & indifferentem; tunc, velis nolis, fateri debebis, hominem de bona ſua determinatione poſſe juſta de cauſa in ſe ipſo, & non in Deo, gloriari, ſibique de bono uſu Gratiæ gratias agere debere, & non Deo, qui ei tantùm dedit Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam ejus libero arbitrio, à quo prædicta Gratia fuit determinata ad benè operandum quid ad hanc meam interrogationem reſponſurus ſis, indicabis, ſi placet, in proxima, quam ad me dabis, Epiſtola.

VII. Intereà temporis, aditum tibi in iſta Epiſtola præcludam ad pervulgatam Moliniſtarum reſponſionem, quam legere poſſes in Epiſtola ſeptima, quam *P. Gabriel Daniel* ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*. Ibi quippè laudatus ille Molinianus Scriptor, pro Gratiæ congruæ defenſione acerrimè militans, aſſerit primò, Deum per Gratiam congruam, quam ipſe ex pura liberalitate ac miſericordia largitur quibus vult, efficere ut benè operemur, & per eamdem Gratiam congruam elucere Supremi Numinis omnipotentiam & auctoritatem, qua animos indociles, rebelles, induratos, fœdiſſimis cupiditatibus mancipatos, mutat, & ad docilitatem, obedientiam, tenerum pietatis ſenſum ita flectit, ut fingi ducique poſſint à divino ſpiritu, quocumque liberit: ut latentes in potentiæ ac miſericordiæ ſuæ theſauris depromat Gratias prævenientes, quæ mirabiles illos moliantur effectus, hominiſque libertatem ſuis parere decretis jubeant: Per eamdem Gratiam *congruam* poſſe nos facilè animis noſtris imaginem effingere ſummi illius dominii, quo Deus animis noſtris imperitat, qui meritis non ducitur, ut aliquem in virtutis adducat viam; qui, ſalva creatæ mentis libertate, ſubdere ſibi, & redigere ad obſequium novit; qui cùm intelligat, penès ipſam eſſe ut reſiſtat, edicit nihilominùs pro imperio, & pronunciat: *Volo, ut mihi non reſiſtat*; ac ne reſiſtat porrò, per Gratiæ ſuæ vim efficit.

Ex quibus & aliis ſimilibus totum ſuum ratiocinium *Pater Daniel* claudit his verbis: *Hæc principia ſecuti Jeſuitæ cum Auguſtino* cap. 14. lib. *De correptione & Gratia*, ſic pronunciant: *Volenti Deo ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*. Et rursùm ibidem: *Deus hoc non fecit, niſi per ipſorum hominum voluntates; ſine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam voluntatem*. Et eodem in libro: *Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*. Et cap. 14. lib. *De Gratia & libero arbitrio*, ait idem S. Doctor: *Niſi poſſet iſtam Deus duritiem cordis auferre; non diceret per Prophetam: Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum*. Denique lib. *De Gratia Chriſti* cap. 24. hæc habet idem Aquilinus Doctor: *Legant igitur & intelligant.... interna atque occulta, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*.

His doctrinæ *S. Auguſtini* de efficacia Gratiæ principiis adhærere Moliniſtas, Gratiæ congruæ Aſſertores, poſtquam affirmavit *P. Daniel*, hæc immediatè ſubdit: *Sequitur ex iiſdem Auguſtini Jeſuitarumque principiis, non-fruſtrà pro improbis fundi preces, ac ſæpè ad illos è vitiorum barathro eripiendos neceſſarias eſſe, quia Deus, ſi abeſſent illæ preces, improbos ejuſmodi non traduceret ad virtutem, eoſque oratus non rarò convertit..., ita loquitur Auguſtinus, ad hunc etiam modum loquuntur, ac loqui porrò Jeſuitæ debent, ſi principiis ſuis ſtare volunt, quæ proindè cum principiis Auguſtini ratione nulla pugnant*. Hactenùs *P. Daniel*.

At

At ipſe, ut cordatè fatear, ſatis mirari haud poſſum, *Patrem Danielem*, qui, ut ſuis Lectoribus fucum faciat, non dubitat aſſerere, Moliniſtas, Gratiæ congruæ aſſertores, eodem modo de efficacia Gratiæ (ſi ſuis principiis ſtare velint) loqui ac diſſerere debere, quo *S. Auguſtinus* in libris, quos edidit, efficaciam Divinæ Gratiæ ſtabilivit, aſſeruit, ac vindicavit. Hoc certè, *Patris Danielis* Paradoxum (quod recoxit *P. De Meyer*, ejuſdem Societatis Jeſu Scriptor) neceſſe eſt ut invictis momentis in hacce Epiſtola refellam, & apertè oſtendam, principia, quibus Moliniſtæ ſuam de Gratia congrua doctrinam ſuſſulciunt, eſſe è diametro oppoſita principiis doctrinæ *S. Auguſtini* de interna Gratiæ efficacia, ſubindèque Moliniſtas (ſi ſuis principiis doctrinæ de Gratia congrua adhærere velint) longè aliter de efficacia Gratiæ loqui debere, quàm locutus eſt *S. Auguſtinus*, ſummus Divinæ Gratiæ Doctor.

Id ut, ſemota omni caligine, faciliùs percipere valeas, debes in memoriam tuam revocare eam, quam in iſtius Epiſtolæ exordio præmiſi veram Gratiæ congruæ notionem, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) in hoc ſita eſt, quòd velint, Gratiam non ideò dici *congruam*, quòd ſit voluntati creatæ, in certa locorum, temporum, & circumſtantiarum conditione ſpectatæ, ita attemperata, ut voluntatem in hac rerum conditione poſitam ſuaptè vi & efficacia valeat infallibilitèr inclinare ad agendum; ſed quòd velint Moliniſtæ, Gratiam ideò dici *congruam*, quia licèt ex natura ſua ſit verſatilis, indifferens, & libero hominis permiſſa arbitrio, hanc tamen Gratiam, ſibi à Deo oblatam, homo in tali temporum, locorum ac circumſtantiarum conditione poſitus, per ſuum conſenſum flectit ac determinat ad benè agendum, ſicque Gratiam illam, quæ ex ſe erat tantùm indifferens, reddit homo per vires liberi ſui arbitrii congruam & efficacem. Itaque (juxta hanc Moliniſtarum Gratiæ congruæ notionem) ſi duo homines fuerint in eadem locorum, temporum, & circumſtantiarum conditione poſiti, eadem planè Gratia verſatili & indifferenti à Deo inſtructi, atque iiſdem cupiditatis gradibus affecti, alter eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem determinaturus eſt per ſuum conſenſum ad benè agendum, atque adeò tunc eo in homine Gratia erit *congrua*; alter verò homo eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi in iiſdem locis, temporibus ac circumſtantiis à Deo oblatam, per ſuum diſſenſum determinabit ad malè agendum; ſicque in iſto homine Gratia erit *incongrua*.

Ex qua vera ac genuina Gratiæ *congruæ*, aut *incongruæ*, Moliniſtarum notione, tria colligo conſectaria, quæ ex ea evidenti conſecutione effluunt. Primum eſt: non penès Deum eſſe, ſed penès liberum hominis arbitrium, quòd Gratia Moliniana, quæ eſt ex ſe verſatilis & indifferens, evadat congrua, aut non congrua, effectum ſuum conſequatur, aut eò fruſtretur. Alterum conſectarium iſtud eſt: quòd Gratiam Molinianam congruam nobis dare velit Deus hoc in ipſius poteſtate ac voluntate poſitum eſt: quòd autem Gratia ſit congrua, aut non congrua, id ab humana voluntate, & à liberi arbitrii viribus pendet, & non à Deo. Quapropter obitèr advertere debes, *Gabrielem Danielem*, *Livinum De Meyer*, *Franciſcum Aſſermet*, & *Honoratum Tournely*, alioſque Moliniſtas aerem verberare, nec præſentem attingere difficultatem, dùm dicunt, penès Deum dumtaxàt eſſe nobis dare Gratiam congruam, aut non dare; ſivè nos ponere in his circumſtantiis, in quibus prævidit per Scientiam Mediam, nos Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſuros, aut nos collocare in his circumſtantiis, in quibus prævidit, nos eidem Gratiæ diſſenſuros; de hoc certè impræſentiarùm non eſt quæſtio, ſed tota controverſia, quæ extat Thomiſtas inter & Moliniſtas in hoc potiſſimùm volvitur, quòd Moliniſtæ doceant, non à Deo, ſed ab humana voluntate pendere, quòd Gratia ſit *congrua*, aut *non congrua*, hoc eſt, efficax, aut inefficax. Hic eſt præſentis quæſtionis de Gratia congrua, aut non congrua, ſta-

tus,

Digitized by Google

tus, qui oculis tuis ſemper obverſari debet, ut ſedulò caveas a Moliniſtarum artificio, qui, ut faciliùs elabi poſſint è Thomiſtarum argumentis contra Molinianam Gratiam congruam, de induſtria præſentis, quam verſamus, quæſtionis ſtatum aliò trahere moliuntur, & immutant rotunda quadratis, & quadrata rotundis.

Ultimum conſectarium, quod ex præmiſſa Gratiæ congruæ Moliniſtarum notione colligo, in hoc ſiſtit, quòd, juxtà Molinianæ doctrinæ principia, tota Gratiæ congruæ efficacia ac congruitas non à Deo, ſed à voluntate humana procedat, adeò ut duarum voluntatum, quibus in ſimili prorsùs rerum, temporum, locorum, & circumſtantiarum ſerie ac conditione poſitis, eadem oblata fuerint incitamenta moralia, ſeu eędem Gratiæ verſatiles & indifferentes; altera ſe ſe per vires liberi arbitrii determinatura ſit, altera verò minimè. Quin, & fieri etiam poterit, ut una & eadem creata voluntas iiſdem incitamentis, ſeu Gratiis verſatilibus & indifferentibus, nunc pro ſuo nutu & arbitrio aſſentiatur, nunc non conſentiat. Prævidit quippè Deus ab æterno per Scientiam Mediam (ſicut docent Moliniſtæ) ſingulas ejuſmodi differentias, & quandònam Gratia verſatilis & indifferens, quam offert, evaſura ſit per conſenſum voluntatis humanæ congrua, & effectum ſortitura, quandò verò non, certò prænovit: at, à voluntate humana profecturam eſſe omnem Gratiæ congruitatem & efficaciam ſimùl præſcivit Deus, minimè verò ab his incitamentis moralibus, ſeu Gratiis verſatilibus, & libero hominis permiſſis arbitrio, quippè quæ voluntatem creatam determinare ac certò inclinare atque flectere non poſſunt.

VIII. His poſitis, ſic primùm argumentor: Deus eſt omnipotens, rerum omnium cauſa efficiens ac principium; atquì in hypotheſi Gratiæ congruæ Deus non eſſet omnipotens, rerum omnium cauſa efficiens ac principium, ergò admitti non debet Moliniana Gratia congrua. Probatur minor Propoſitio: in tantùm dicitur Deus omnipotens, cauſa efficiens rerum omnium, ac principium, in quantùm res omnes viſibiles & inviſibiles producit, atque cauſa eſt efficiens totius mentis & voluntatis noſtræ, ſingulorumque actuum, omniumque uniuſcujuſque actionis & determinationis graduum, quandoquidèm & actiones noſtras & determinationes, & quantuloſcumque entis gradus producit, diſponit, determinat: Atquì in ſyſtemate de Gratia congrua Moliniana Deus res omnes non producit, quia Moliniſtæ, Gratiæ congruæ aſſertores, docent, Deum per Gratiam ſuam non determinare voluntatem creatam ad benè agendum, ſed verſa vice, voluntatem creatam determinare Gratiam, quæ ex natura ſua verſatilis eſt ac indifferens, eamque per vires liberi arbitrii, ſeu per conſenſum ſuum, reddere congruam & efficacem; ergò in ſyſtemate de Gratia congrua Deus non efficit noſtræ voluntatis determinationes, quæ tamen (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè probavi) ſunt veræ entitates, ac voluntatis noſtræ perfectiones, ſicut fatentur ipſimet Moliniſtæ, ergò in ſyſtemate de Gratia congrua Deus non eſt omnipotens, nec cauſa efficiens, nec principium rerum omnium.

Secundò, præcipuum eſt hominis officium (ſicut nemo negat) ut quidquid boni habet, Deo tanquàm auctori, referat acceptum, & ratio eſt: quia ſi quis naturam & miſeram conditionem hominis in ſtatu naturæ lapſæ conſideret, ejuſque ad malum propenſionem ſedulò perpendat, actutùm fatebitur, nihil boni homini ineſſe, quod non acceperit à Deo: Atquì in ſyſtemate de Gratia congrua non tenetur homo quidquid boni habet Deo tanquàm auctori referre acceptum, videlicèt bonam determinationem ſuam, quam in hypotheſi de Gratia congrua homo non accipit à Deo, ſed à ſola ſua voluntate, quæ determinat Gratiam Dei verſatilem & indifferentem ad benè agendum, ergò ſyſtema de Gratia congrua de medio tollit præcipuum hominis officium, quo tene-

tenetur quidquid boni habet Deo tanquàm auctori tribuere, juxtà illud Apoſtoli *Pauli* cap. 4. Epiſtolæ primæ ad Corinthios: *Quis te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, cur gloriaris, quaſi non acceperis?* certum quippè eſt, quòd ſi homo non à Deo, ſed à voluntate ſua bonam determinationem accipiat, juſtè poterit in ſemetipſo, & non in Domino, gloriari, atque palàm & audacter profiteri, ſe idcircò non eſſe ſicut cæteros hominum, raptores, injuſtos, adulteros, quòd, poſt acceptam à Deo eamdem cum illis Gratiam verſatilem & indifferentem, ſeipſum per bonam voluntatis determinationem diſcreverit, & Gratiam ex ſe verſatilem & indifferentem per conſenſum ſuum reddiderit congruam & efficacem, alii verò non.

Tertiò, Deus, ut ait Scriptura Sacra, habet ſupremum imperium ac deſpoticum dominium in nos, & in omnes actiones noſtras: *Cor Regis eſt in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud*, proindèque, pro ſupremo illo Dei in nos imperio ac dominio, abſoluta eſſe debet & omnimoda noſtra ergà Deum obedientia, atque tam generalis quoque noſtra à Deo dependentia, ut ea, qua par eſt, humilitate agnoſcamus, opus eſſe divinæ potentiæ, & mentes noſtras, actiones & determinationes, omneſque minutiſſimas, ſi ita loqui fas eſt, entis noſtri, partes, quippè quæ legibus Dei, ſupremi rerum omnium Domini, parere atque ſervire debent: Atqui in ſyſtemate de Gratia *congrua* haud parum decurtatur imperium & dominium Dei in nos & in actiones noſtras, quia Moliniſtæ docent, Deum non determinare voluntates noſtras ad benè agendum, ſed, verſa vice, voluntates noſtras determinare Gratias verſatiles & indifferentes ad rectè operandum.

Volunt itidèm Moliniſtæ, Deum, priuſquam abſolutum ſuum Decretum de futuritione rerum formet, pendere à voluntatis humanæ determinatione, ſeu ab illius conſenſu conditionatè futuro, quem per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, prævidere debet. Quò fit, ut Moliniſtæ, Gratiæ congruæ aſſertores, Deo tribuant dominium dumtaxàt politicum, non verò abſolutum & deſpoticum.

At, ex adversò Thomiſtæ, Gratiæ per ſe efficacis defenſores, Deo, ut par eſt, dominium abſolutum in nos & in omnes operationes noſtras adjudicant, docentque cum Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma*, Deum ita creaturis dominari & imperare, ut eas ſimùl imperiis ſuis, illæſa planè illarum libertate, obſequentes faciat, quandò vult, ubi vult, & quomodòcumque vult. Neque enim credendum eſt, Deum quidpiam efficacitèr velle, & tamen non facere quod abſolutè vult, humana obſiſtente voluntate.

Quòd ſi creaturæ adversùs Dei leges rebellent, & aliquid eorum, quæ Deus per voluntatem antecedentem præcipit, peccando prætergrediantur, (ipſo utique Deo permittente peccatum) non ideò tamen Dei providentiam ſua rebellione fallunt, ſed (ſicut ex Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma* in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi) per peccatrices hominum voluntates exequitur Deus quidquid efficaci & abſoluto ſuo Decreto facere ſtatuit. Deo itaque certiſſimè obtemperatur, quotiès obtemperari ſibi vult efficacitèr, ſubindèque cum Thomiſtis neceſſariò admittenda eſt in Deo ſuprema humanarum voluntatum, Gratia ſe ipſa efficaci, inclinandarum poteſtas. Quod ſanè dici haud poteſt in ſyſtemate de Gratia congrua, quia (ſicut ſæpiùs dixi) Moliniſtæ contendunt, Deum non determinare per Gratiam ſuam voluntatem humanam ad agendum, ſed contrà, voluntatem humanam determinare per conſenſum ſuum Gratias verſatiles & indifferentes, eaſque per vires liberi arbitrii reddere congruas & efficaces.

Quartò, nihil in orationibus noſtris poſtulamus à Deo, niſi quod facit Deus, atqui, in hypotheſi Gratiæ Molinianæ congruæ, Deus non facit ut nos deter-

mine-

minemus ad benè agendum, ſed voluntas humana per ſuum conſenſum determinat Gratiam verſatilem & indifferentem, ergò in Syſtemate de Gratia congrua Deum non rogabimus, ut velit ipſe voluntatem noſtram applicare, determinare, inclinare, & inflectere, ut ipſa ſeſe determinet ad benè operandum. Verùm enim verò, juxtà Syſtema Moliniſtarum de Gratia congrua, in eo fundantur orationes noſtræ, quòd in talibus circumſtantiis, locis, & temporibus facturos nos ſpontè præſcivit Deus per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem.

Porrò, ſi Deum oportuit per Scientiam Mediam explorare, quid in talibus circumſtantiis, locis & temporibus, eſſemus acturi, reſtat ut in operandi negotio primas teneat voluntas noſtra. Reſtat etiam in eo Syſtemate de Gratia congrua, Deum non eſſe rogandum, ut Gratiam largiatur, quæ convertat, flectat, immutet & confirmet corda noſtra, ſed ut impertiatur Gratiam, qua comite convertamus, & confirmemus ipſi nos; non quæ nos determinet, ſed quam ex natura ſua verſatilem & indifferentem, noſmetipſi determinemus, non quidèm ipſius Gratiæ vi, ſed propriæ noſtræ voluntatis determinatione & efficacia. Reſtat denique in Syſtemate Scholæ Molinianæ Congruiſtarum, qui docent Gratiam non ſat virium habere ut ſit per ſe efficax, ſed eam dari putant à Deo in congruis quibuſdam circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus humanam voluntatem prænovit Gratia verſatili & indifferenti benè uſuram: reſtat, inquam, in hoc Syſtemate, ut Deum precemur dumtaxàt, qui velit, in his circumſtantiis, locis, ac temporibus nos collocare, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, nos benè acturos, & Gratiam verſatilem, & ex ſe indifferentem, nos ad benè agendum determinaturos, atque per conſenſum noſtrum reddituros congruam & efficacem; proindèque in hoc Syſtemate de Gratia congrua Deum quidèm rogabimus, ut ens ſummè ſapiens, ac providum in explorandis variis rerum conditionibus, circumſtantiis, locis & temporibus, ſagaciſſimum; ad alliciendas mentes moralibus dumtaxàt invitamentis movens; ad aucupandas noſtrarum voluntatum opportunitates apprimè ſolers; ſed in Syſtemate de Gratia congrua Moliniſtarum fas non eſt rogare Deum tanquàm ens ſummè potens, ac ſupremum omnium dominatorem & arbitrum; fas, inquam, non eſt, rogare Deum, ut duritiam cordis conterat, & rebelles Gratiæ ſuæ virtute ac efficacia compellat voluntates, ut auferat cor lapideum, ſpiritum novum det, in bonis operibus nos creet, ut reformet, ut ſanet, ut inflectat, ut liberet, ut vivificet, poſtremò, ut potentiam ſuam parcendo maximè ac miſerando manifeſtet.

Hæc conſectaria, quæ ex Syſtemate de Gratia congrua ſpontè fluunt, quàm falſa ſint, duobus potiſſimùm invictis momentis demonſtro. Primò, quia, juxtà Summorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, inconcuſſam doctrinam, Chriſtiana oratio nititur ſumma Dei potentia, ac ſupremo dominio, quo Deus mentibus & voluntatibus noſtris dominatur & imperat, atque quemcumque abſolutè & efficacitèr voluerit ſalvat, nulla ſibi obſiſtente mora, nulla impediente humana voluntate, ipſe ſuum conſummans opus, & corda hominum, quandò vult, quomodò vult, & quò vult, fortitèr & ſuavitèr inclinando

Secundò, tenemur in qualibet rerum conditione poſiti Deum orare, hoc eſt, in hilaritate, in anguſtia, in dejectione, in animi recreatione, in adverſa fortuna, in rebus proſperis ac ſecundis, in morbo, in ſanitate, quolibet tempore, quolibet loco, & in omnibus circumſtantiis; neque verò oramus Deum, ut alium nobis ſtatum faciat ſaluti opportuniorem, neque ut nos ſtatuat in his circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus prævidit per Scientiam Mediam (ut volunt Moliniſtæ) nos determinaturos Gratiam verſatilem & indifferentem, noſque eam per conſenſum noſtrum

ſtrum congruam & efficacem reddituros; ſed Deum rogamus, ut hìc & nunc det nobis robur & Gratiam efficacem, quæ ſuapte vi & interna efficacia determinet nos ad benè agendum, quæ cordium noſtrorum pervicaciam vincat, efficiatque ne ullis tentationum procellis ab ejus charitate divellamur. Quod ſanè locum habere non poteſt in Gratiæ congruæ Syſtemate, quod ſupponit eſſe dumtaxàt penès voluntatem noſtram determinare Gratiam nobis à Deo oblatam, quæ eſt ex ſe verſatilis & indifferens, eamque per conſenſum ſuum reddere congruam & efficacem.

Ex precibus itaque Eccleſiæ & præfatum de Gratia congrua Syſtema falſi convincitur, & auxiliorum per ſe efficacium atque prædeterminantium doctrina adſtruitur. Enim verò, juxta illud celebre *S. Auguſtini* dictum, Deus ipſe facit quod ab ipſo in orationibus noſtris poſtulamus, alioquì vana & irriſoria eſſet oratio noſtra, ſi aliquid ab ipſo peteremus, quod ipſe non faceret, ſed eſſet in noſtra poteſtate; atquì in orationibus noſtris omnia petimus à Deo, ſeu bonam voluntatis noſtræ determinationem, actionem noſtram, & bonum Gratiæ uſum, initium, progreſſum, atque conſummationem noſtrarum operationum; igitur hæc omnia Deus per ſuam gratiam ſe ipſa efficacem operatur in nobis, non verò voluntas creata (ſicut dictitant Moliniſtæ) determinat Gratiam Dei, quam ſupponunt verſatilem & indifferentem, nec eam per conſenſum ſuum reddit congruam & efficacem. In hac quippè hypotheſi Gratiæ verſatilis, Deus dat tantùm ut poſſimus agere, non ut agamus; ergò in hoc Syſtemate de Gratia congrua poſtulare à Deo non debemus ut faciat nos facere, ut operetur in nobis, ut voluntatem noſtram determinet & applicet ad benè agendum, ut convertat & re ipſa immutet cor noſtrum, ut vincula noſtra diſſolvat, ut tentationum victores nos præſtet, denique ut ipſam in bono perſeverantiam nobis largiatur, quæ ſingula tamen continuatis gemitibus diu noctuque in ſuis precibus efflagitat à Deo Sancta Mater Eccleſia.

Quintò, in Syſtemate de Gratia congrua non debet homo gratias agere Deo pro bona ſua determinatione, qua benè uſus eſt Gratia verſatili & indifferenti, eamque per conſenſum ſuum reddidit congruam & efficacem. Enim verò cùm in Syſtemate de Gratia congrua, Deus per Gratiam ſuam non determinet voluntatem creatam ad agendum, nec voluntatis creatæ determinationem efficiat vi intrinſeca Gratiæ ſuæ; ſed, verſa vice, voluntas creata determinet per conſenſum ſuum Gratiam verſatilem & indifferentem, eamque reddat congruam & efficacem; manifeſtò ex Syſtemate de Gratia congrua Moliniana ſequitur, hominem non debere gratias Deo agere pro bona ſua determinatione quam non accipit à Deo, ſed eam habet à voluntate ſua. Hinc *S. Auguſtinus* in Epiſtola 217. ad *Vitalem*, ait: *Prorſùs non Deo gratias agimus, ſed nos agere fingimus, ſi undè illi gratias agimus, ipſum facere non putamus*. Et in Libro *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 19. inquit idem Aquilinus Doctor: *Si quis homini gratias ageret pro eo, quod illum non putaret præſtitiſſe, vel noſſet; adulatio veriùs quàm gratiarum actio diceretur*.

Quocircà, quidquid de virtute & efficacia auxiliorum Dei detraxeris, id ipſum gratiarum actioni ſubtraxeris. Si voluntatis humanæ actionem putes non dari à Deo, ſed nudam & ſimplicem potentiam benè operandi, de bona voluntatis humanæ actione, nulla Deo erit reddenda gratiarum actio: Si actionem humanæ voluntatis Deo quidem adſcribas, ejus tamen determinationem minimè; non eſt quòd de voluntatis tuæ determinatione Deo grates rependas. Verbo dicam, niſi plane ſentias, Deum ut cauſam primam operari in nobis & potentiam, & actionem, & determinationem noſtram, & ſi quid ampliùs excogitari poteſt, atque adeò niſi Prædeterminationem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, admiſeris; nunquàm Deo gratias de omnibus, ut par eſt, agere valebis.

Sextò, debemus (ut ait Apoſtolus *Pau-*

Paulus) in timore & tremore operari ſalutem noſtram, atque ſedulò invigilare, ne Gratiam Sanctificantem, quam à Deo accepimus, culpa noſtra amittamus. Hunc ſanctum timorem mirè commendant Sancti Patres, Concilium Tridentinum, & piiſſimi Chriſtianæ vitæ inſtitutores ac Magiſtri, quos inter, unum, inſtar omnium, laudabo, videlicèt Auctorem Operis *De Imitatione Chriſti*, qui lib. 3. c. 14. hæc aurea verba habet: *Domine Deus, intonas ſuper me judicia tua, & timore ac tremore concutis omnia oſſa mea, & expaveſcit anima mea valdè. Sto attonitus & conſidero, quia Cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo. Si in Angelis reperiſti pravitatem, nec tamen pepercisti. Quid fiet de me? Ceciderunt ſtellæ de Cælo, & ego pulvis, quid præſumo? Quorum opera videbantur laudabiliora, ceciderunt ad infima; & qui comedebant panem Angelorum, vidi ſiliquis delectari porcorum. Nulla eſt ergò ſanctitas (ſi manum tuam, Domine, ſubtrahas). Nulla prodeſt ſapientia, ſi gubernare deſiſtas. Nulla juvat fortitudo, ſi conſervare deſinas. Nulla ſecura caſtitas, ſi eam non protegas. Nulla propria prodeſt cuſtodia, ſi tua ſacra non adſit vigilantia. Nam relicti mergimur & perimus: viſitati verò eripimur & vivimus. Inſtabiles quippè ſumus, ſed per te confirmamur: tepeſcimus, ſed à te accendimur. O' quàm humilitèr & abjectè mihi de me ipſo ſentiendum eſt: quàm nihili pendendum, ſi quid boni videar habere! O' quàm profundè ſubmittere me debeo ſub abyſſalibus judiciis tuis, Domine, ubi nihil aliud eſſe me invenio, quàm nihil & nihil! O' pondus immenſum! O' pelagus intranſnatabile! ubi nihil de me reperio, quàm in toto nihil. Ubi ergò eſt latebra gloriæ? ubi confidentia de virtute concepta?*

Hoc, longiuſculum licèt, teſtimonium piiſſimi Auctoris Libri *De Imitatione Chriſti* hìc integrum inſerere neceſſarium duxi, ut indè intelligas, quàm mirificè hæc Sanctorum Patrum, de pia ſollicitudine & vigilantia, quam, ne acceptam Gratiam amittamus, jugitèr habere debemus, perpetua doctrina conſentiat cum doctrina Scholæ Thomiſticæ, quæ docet, ut juſti perſeverent in juſtitia, eamque non amittant peccando, eos opus neceſſariò habere Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice, quam Deus, pro ut vult, largitur, eos itidèm ad ſuperandas tentationes Gratia per ſe efficaci indigere, ſubindèque non debere ſe ultrò tentationibus exponere, ne excidant ex juſtitia, propterea quòd periculis ſe dederint imprudentes; ſed illos conſervandæ juſtitiæ oportere perpetuò invigilare caſtigatione ſenſuum, vitæ ſolitudine, continuis Chriſtianarum virtutum officiis, periculorum fuga, & omni fiducia ſperare fore ut Deus qui cæpit in eis opus bonum, ipſe perficiat, eiſque pro ſingulari ſua miſericordia largiatur *magnum Perſeverantiæ Donum*.

Aſt, ſi ſemel calculo tuo approbes Moliniſtarum Syſtema de Gratia congrua, illicò valere jubebis ſanctum illum timorem, & omnes ejuſmodi pios, caſtos, & ingenuos affectus, quos nobis tantoperè commendarunt Sancti Patres, & piiſſimi Chriſtianæ vitæ Magiſtri. Ecquid enim, amabo, Moliniſtarum Syſtema propugnanti tibi cauſa eſſe poterit cur pertimeſcas, tentationum pericula fugias, & Gratiæ ſanctificanti cuſtodiendæ tam diligentèr advigiles? Eccè enim in hoc Syſtemate ſemper præ manibus habebis (ſponſoribus Moliniſtis) Gratiam omnibus communem, verſatilem, indifferentem, tuo ſubditam libero arbitrio, quam, pro tuo nutu & arbitrio, etiam imminente morte, per proprium tuæ voluntatis conſenſum determinabis, ſi velis, eamque, per bonam determinationem tuam, reddes congruam & efficacem. Determinare quippè te ipſum, & Gratiam verſatilem ac indifferentem reddere congruam & efficacem, tuum eſt (juxtà Moliniſtas) non Dei opus. Licitum quoque tibi erit in Syſtemate de Gratia congrua conſuetas peccandi occaſiones ſecurus, & excuſſo omni timore, adire, mundanis te tradere agitationibus, deliciis, voluptatibus, maximas quaſque appetere dignitates, & ad honores ampliſſimos omni ope atque opera contendere;

G 2 quia

quia hoc Syſtema de Gratia congrua ſecurum te reddit, ſpondetque, ſuum voluntati tuæ ſemper ſervatum iri in qualibet tentatione Æquilibrium, ſive levis illa fuerit, ſive gravior; proindèque te (etiamſi divitiis affluas, choreis & ludis des operam, atque deliciis & voluptatibus indulgeas) eamdem, ad ſuperandas omnes ingruentes tentationes, experturum alacritatem, facilitatem ac promptitudinem; ſicque iſtius Æquilibrii beneficio, te tentationum pondus vel oneroſiſſimum nullo negotio excuſſurum, ſemperque paratum fore ad omne opus bonum aut faciendum ex tuo libero arbitrio, aut pro libitu omittendum. Viden, cariſſime diſcipule, ſanctum illum timorem, & piam hanc ſollicitudinem ac vigilantiam, quam (juxtà Sanctos Patres, & Chriſtianæ Vitæ Magiſtros) continuò habere debent juſti, ne acceptam à Deo juſtitiam ſua culpa amittant, non benè cohærere cum Moliniſtarum Syſtemate de Gratia congrua, quod ſubindè velis remiſque fugere debes.

Septimò, modeſtiæ & humilitatis chriſtianæ eſt, non ſuprà Dei Dona extolli, nec ſuprà cæteros homines inflari; jam verò, ſi (uti afferunt Gratiæ congruæ defenſores) voluntas hominis determinet Gratiam Dei, quam ſupponunt eſſe verſatilem & indifferentem, eamque per conſenſum ſuum reddat congruam & efficacem, poterit homo juſta de cauſa ſeſe ſupra Gratiam Dei extollere: quandoquidèm illud, quod determinat aliud, eò perfectius cenſeri debet. Poſſet etiam homo ſupra alios inflari; quiſquis enim Gratiam Dei (quam Moliniſtæ volunt verſatilem & indifferentem eſſe) reddit congruam & efficacem, ſeipſum diſcernit bonum eligendo, ſeque ſuperiorem facit altero homine, qui eamdem Gratiam verſatilem, & indifferentem determinat ad malum eligendum, ſicque reddit eam incongruam & inefficacem.

At enim, excellentia, ſeu perfectio quælibet ei propriè tribui debet, qui illius cauſa phyſica eſt; hac tamen adhibita prudenti diſtinctione: vel enim ille, qui alicujus perfectionis cauſa phyſica eſt, accipit à cauſa ſuperiori vim & efficaciam producendi iſtam perfectionem, & tunc in ſuperiorem cauſam totus honos revolvitur. Vel ille, qui alicujus perfectionis cauſa phyſica eſt, non accipit à cauſa ſuperiori vim & efficaciam producendi hanc perfectionem, & tunc laudem integram jure optimo ſibimet vindicare poteſt. Quòd ſi verò à ſuperiore cauſa acceperit quidèm non nihil, ipſe verò acceptis aliquid addiderit de ſuo, huic jam profectò iſtius additionis locus eſt, quia illam habet à ſe uno, eamque ſibi non alteri, acceptam refert, ac proindè de illa à ſe facta additione meritò gloriatur.

Cùm igitur (juxta Moliniſtarum de Gratia congrua) non aliud ſit Dei Gratia, quàm motio moralis, communis, generalis, verſatilis, & indifferens, certè in hoc Syſtemate nullo pacto fieri poteſt, ut hac Gratia diſcernatur aliquis homo ab altero homine. Neque enim hæc Gratia verſatilis & indifferens habet virtutem & efficaciam (fatentibus ipſiſmet Moliniſtis) determinandi voluntatem hominis, quia quod ex ſe eſt verſatile, indifferens, & commune omnibus, non habet inſitam virtutem determinandi, ſubindèque diſcernendi unum ab alio, ſicut docet *S. Auguſtinus* cap. 5. Libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*: Atqui (in Syſtemate Moliniſtarum de Gratia congrua) communis eſt Gratia, quam Deus indiſcriminatìm omnibus offert, ex ſe verſatilis, indifferens, & ſubdita eorum libero arbitrio; nec prædicta Moliniſtarum Gratia verſatilis congruitatem & efficaciam accipit à Deo, ſed dumtaxàt à libero arbitrio hominis, qui per proprium ſuum conſenſum hanc Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi à Deo oblatam, determinat, eamque determinatione ſua reddit congruam & efficacem: Ergò fieri non poteſt, ut hæc Gratia verſatilis & indifferens determinationem hominis ad benè operandum faciat, eumque ab alio diſcernat: Ergò determinatio hominis ad benè agendum, ejuſque ab alio diſcretio ſunt quædam bona,

non

non à Deo ſed à libero hominis arbitrio profecta, utpotè à libero arbitrio ad Gratiam verſatilem & indifferentem addita de ſuo: Ergò & de hac bona ſua determinatione, & diſcretione ſua ab alio, gloriari in ſe ipſo juſta de cauſa poteſt liberum hominis arbitrium, nec tenetur homo (in Syſtemate Moliniſtarum de Gratia congrua) laudem referre Deo, quòd ad benè operandum ſeſe determinaverit, cùm ſuæ determinationis cauſam phyſicam non aliam agnoſcat à ſemet ipſo, qui ſibi arroganti ſupercilio tribuit id, quod in decidenda æterna ſua ſorte caput eſt ac princeps. Quiſquis autem ſibi aliquid boni in negotio ſuæ ſalutis ſervat, & non Deo (ut par eſt) refert acceptum, ſuperbiæ ſervat; & qui de ſincera & abſoluta propriæ inanitatis ſuæ profeſſione, quam nos docet Chriſtiana Religio, aliquid detrahit, id profectò Deo non confert, ſed vanitatis & arrogantiæ tumori: vanitatem porrò & arrogantiam deteſtatur Deus, diligit verò modeſtiam & humilitatem, quæ hominem docet modum deprimendi ſe, quantùm ſe ipſum coram Domino deprimere debet, facitque ut homo candidè profiteatur, ſe nihil boni aut entis habere, niſi quod acceperit à Deo, dicens cum Eccleſia: *Sine tuo Numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

Hunc Chriſtianæ modeſtiæ & humilitatis ſenſum altè mentibus noſtris infigit doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice. Ea quippè ſemel imbuti cognoſcimus, Deum in ſingulis rebus nobis præire, & præpotenti Gratia ſua efficere ut nos determinemus & benè operemur, adeòque iniquum fore hominem, ſi vel de bona ſua determinatione, quam accepit à Domino, in ſe ipſo, & non in Deo, gloriaretur; vel ſi præ cæteris hominibus animo extollere tur; nam præterquamquòd, nec quales ſint alii, nec quales ipſi ſimus, certò dignoſcere non valemus, accedit quòd illud ipſum, quo diſcernimur à cæteris, eſt donum Dei, & purè gratuitum, hodiè noſtrum, cras aliorum. Quocircà, ſi aliquem fortè invenias, qui de bona ſua determinatione non in Domino, ſed in ſe ipſo glorietur, debes (juxta principia doctrinæ Scholæ Thomiſticæ) illum cum Apoſtolo *Paulo* interrogare: *O homo tu quis es, qui gloriaris? Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Sic facilè retundes iſtius hominis ſuperbiam, quia eadem lex, quæ omnem prohibet ſuperbiam, nos etiam docet, bonam illam voluntatem, ſanctamque noſtram determinationem, eſſe donum gratuitum Dei, in nos ſpeciali ratione agentis, & per Gratiam ſe ipſa efficacem determinantis voluntatem noſtram ad benè operandum. Hanc argumentationem cæteris omnibus dotibus ac perfectionibus quibus præditus eſt homo, facilè poteris acccomodare; hæc quippè ubique valet, quia ubique quidquid boni habemus, totum Deo acceptum referre debemus, & ut de omnibus bonis, quæ nobis inſunt, veracitèr gratias agamus, & cum Scriptura Sacra gratis animis coràm Deo confiteamur, *omnia eſſe ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, eique ſoli gloriam & honorem tribuendum.*

Octavò, ſyſtema Moliniſtarum de Gratia congrua ruinoſo nititur fundamento, nimirùm Scientia Media, docent quippè Moliniſtæ (Gratiæ congruæ Aſſertores) Deum per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, prævidere, quid homines, in his vel in illis circumſtantiis poſiti, pro ſua contingentia libertate facturi ſint, ſive an gratiam verſatilem, communem, indifferentem, & eorum permiſſam libero arbitrio, per conſenſum ſuum reddituri ſint congruam & efficacem, vel eam, verſa vice, per ſuum diſſenſum reddituri ſint incongruam & inefficacem. Atquì Scientiam Mediam, qua, tanquàm unico fundamento, fulcitur Moliniſtarum ſyſtema de Gratia congrua, exploſi & confutavi in pluribus Epiſtolis, quas ad te dedi, quæque continentur in hac tertia Epiſtolarum mearum Claſſe. Memini etiam, me in Epiſtola, quæ in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſeptima, planè demonſtraſſe, Scien-

tiam Mediam, nec Sanctis Doctoribus, præſertim *Auguſtino*, & *Thomæ*, nec antiquis Theologis Scholaſticis, nec Patribus Concilii Tridentini notam fuiſſe, quantùm ad illius uſum & modum, quo nunc in Schola Moliniana docetur; ſed potiùs doctrinam de Scientia Media novam eſſe, à *Ludovico Molina* (ſicut ipſemet candidè fatetur) poſt celebrationem Concilii Tridentini excogitatam, eamque, ſtatìm ac prodiit in lucem, fuiſſe à celeberrimis Scholis, Auguſtiniana & Thomiſtica, acerrimè oppugnatam; à clariſſimis toto Orbe Academiis, Pariſienſi, Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi, rejectam, immò, & Cenſuris inuſtam; à Doctoribus id temporis Societatis Jeſu Scriptoribus proſcriptam, ac denique in clariſſimis Congregationibus *de Auxiliis Divinæ Gratiæ*, ſub Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitis, diù ventilatam eſſe, ac tandèm repudiatam, tanquàm prorsùs alienam à genuina mente SS. Patrum, potiſſimùm *Auguſtini*, & *Thomæ*. Syſtema igitur Moliniſtarum de Gratia congrua, quod tam caduco ac ruinoſo nititur fundamento, nempè Scientia Media, procùl ab Auguſtiniana, & Thomiſtica Scholis amandari debet.

Nonò, hoc Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtema non refundit in Deum efficaciam Gratiæ, tanquàm in cauſam primam, efficacem, & omnipotentem, ſed potiùs totam Gratiæ congruitatem & efficaciam tribuit conſenſui liberi arbitrii. Volunt enim Moliniſtæ, Deum dumtaxat per Scientiam Mediam explorare, an homo in talibus locis, temporibus & circumſtantiis conſtitutus, Gratiam verſatilem & indifferentem, quam ei offert, per ſuum conſenſum redditurus ſit congruam & efficacem, necne; qua facta præviſione, dicunt Moliniſtæ, Deum, ſi velit illum hominem benè operari, & æternam conſequi ſalutem, ſeligere hanc Gratiam, quam prævidit, fore congruam & efficacem per determinationem & conſenſum ejuſdem hominis in talibus locis, temporibus & circumſtantiis conſtituti. Deus itaque, in ſyſtemate Moliniſtarum de Gratia congrua, non eſt cauſa congruitatis & efficaciæ Gratiæ, ſed è diverſo, tota quanta eſt Gratiæ congruitas & efficacia refunditur in creati arbitrii conſenſum, per quem Gratia verſatilis & indifferens, promiſcuè omnibus oblata, redditur congrua & efficax.

Decimò, iſtud Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtema eo præſertim laborat incommodo, quòd penè his omnibus argumentis obnoxium ſit, quæ Moliniſtæ proponere vulgò ſolent contra Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe efficaci: Nam (Exempli Gratia) homo, cui Deus deſtinat ac ſeligit illas tantummodò Gratias, quas ipſemet per Scientiam Mediam prævidit, ab eodem homine, in talibus locis, temporibus, & circumſtantiis eſſe fruſtrandas & per eius diſſenſum reddendas incongruas & inefficaces; in hac certè hypotheſi (quam ultrò admittunt Gratiæ congruæ, & incongruæ defenſores) nihil ampliùs aut faciet unquàm ille homo, quàm hic, cui Deus denegat Gratiam per ſe efficacem, ac purè Gratiam ſufficientem tribuit, ſicut fatetur *Pater Martinonus*, recens è Societate Jeſu Scriptor, in ſuo *Anti Janſenio*, Diſput. 26. Sect. 3. Num. 25. ubi hanc ſententiam de Gratia congrua (tametſi apud celebriores Societatis Jeſu Theologos pervulgatam) rejicit & improbat, aitque, eam inutilitèr, & eo dumtaxàt nomine fuiſſe à *Suareſio*, Societatis Jeſu Theologo, excogitatam ad emolliendas difficultates, quæ circà auxilia Divinæ Gratiæ occurrunt.

Undecimò, in quodvis latus ſe ſe vertant Gratiæ congruæ defenſores, nunquàm in ſuo ſyſtemate poterunt ſalvare & explicare modum, quo merita & bona opera tradi & effici à Deo affirmant Scriptura, Sancti Patres, & Concilia; nempè ità ut Deus ipſe ſit, qui operatur in nobis velle & perficere ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ; qui facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas, auferendo cor durum, & præbendo cor

doci-

docile; nos ex nolentibus faciendo volentes, & ex diſſentientibus conſentientes &c. Hæc, inquam, & innumera hujuſmodi vera non ſunt in ſyſtemate de Gratia congrua; primò, quia, juxtà illud ſyſtema, Deus (ſicut anteà oſtendi) non operatur noſtrum conſenſum; nec etiam in eo ſyſtemate Deus eſt cauſa congruitatis & efficaciæ Gratiæ, ſed potiùs tota Gratiæ congruitas & efficacia Gratiæ refunditur in hominem, qui per conſenſum ſuum determinat Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi à Deo oblatam, eamque reddit congruam & efficacem Deus autem in hoc Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtemate explorat dumtaxàt per Scientiam Mediam ubi & quandò Gratiæ verſatili & indifferenti, quam nobis offert, conſenſuri ſumus, eamque per conſenſum noſtrum reddituri congruam & efficacem.

Inſuper, Gratiæ congruæ defenſores tenentur, juxta illius ſyſtematis principia, docere, Deum ex duobus hominibus æqualitèr obduratis non poſſe per Gratiam ſuam cor unius præ alio emollire, flectere & inclinare ad benè operandum, ſed tantummodò Deum hoc ſolo titulo ac modo uni homini præ alio favere poſſe, quòd eum in illis ponat circumſtantiis, locis, & temporibus, in quibus prævidit, hunc hominem cor ſuum præ alio emolliturum, conſenſurum, & per ſuum conſenſum Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, determinaturum, eamque redditurum congruam & efficacem. Hæc autem conſectaria, quæ manifeſta conſecutione è ſyſtemate Moliniſtarum de Gratia congrua deducuntur, quantùm Dei omnipotentiam, & ſupremum, quod in corda hominum obtinet, dominium decurtent, deprimant & extenuent, exiſtimo, me jam in hacce Epiſtola ſat ſuperque eviciſſe.

Poſtremò, id palmare incommodum habet hoc Moliniſtarum ſyſtema de Gratia congrua, quòd Deum malorum operum Authorem facere videatur. Enim verò, juxtà hoc ſyſtema, liberum arbitrium omnibus hominibus perindè tribuit Deus, quo Gratiæ verſatili & indifferenti conſentire & diſſentire poſſint, atque per conſenſum ſuum eam reddere congruam & efficacem, vel per diſſenſum ſuum eamdem Gratiam reddere incongruam & inefficacem. Omnibus hominibus (juxtà illud Moliniſtarum de Gratia ſyſtema) æqualitèr offert ſuum concurſum ad conſenſum vel diſſenſum, ad actus bonos, & malos, ſolaque ratio cur aliqui homines præ aliis conſentiant ac benè agant, ex libertate eorum provenit.

Denique, Deus (in hoc Congruiſtarum ſyſtemate) eo tantùm nomine author eſt ac dator conſenſus noſtri ac boni operis, quia ipſe eſt qui conſtituit hominem in iis circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, hominem conſenſurum, & per conſenſum ſuum Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, redditurum congruam & efficacem. In hoc tantùm ſenſu docent Gratiæ congruæ defenſores, Deum eſſe authorem, datorem, & cauſam conſenſus noſtri, & boni operis. Undè ſic argumentor: ideò Deus (juxta Moliniſtarum ſyſtema de Gratia congrua) eſt author, dator, & cauſa conſenſus noſtri, & boni operis, quia ipſe eſt, qui conſtituit hominem in his circumſtantiis, locis & temporibus, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, hominem per conſenſum ſuum Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, redditurum congruam & efficacem, ſubindèque benè operaturum: Atqui, ſimilitèr (juxta idem Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtema) Deus eſt, qui conſtituit hominem in his circumſtantiis, locis, temporibus, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, eum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, diſſenſurum, & per ſuum diſſenſum eamdem Gratiam redditurum incongruam & inefficacem, proindèque illum peccaturum: ergò pari ratione (juxtà Moliniſtarum ſyſtema de Gratia congrua) Deus erit author, dator, & cauſa diſſenſus ſicùt & conſenſus, demeriti ſicut meriti, mali operis ſicut & boni. Quæ certè doctrina, ut

Digitized by Google

ut candidè dicam, non video quì conciliari poſſit cum definitione Concilii Tridentini Seſſione ſexta, canone ſexto: *Si quis dixerit, mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed propriè & per ſe, Anathema ſit.*

IX. Plura hìc non congeram argumenta, quia hoc Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtema iiſdem planè refellitur argumentis, quæ jam expendi in ſuperioribus, quas ad te dedi, Epiſtolis, in quibus latè confutavi Scientiam Mediam, & invictis, ni fallor, momentis probavi, Gratiam eſſe per ſe & ab intrinſeco efficacem, eamque, infallibilitate ordinis & cauſalitatis, effectum ſuum producere. Quocircà, ne hic actum agere videar, conſultius eſt ut te ad meas præcedentes Epiſtolas remittam.

Hoc unum dumtaxàt ſub finem hujuſce Epiſtolæ meæ velim ſedulò obſerves, videlicèt Scholæ Molinianæ Theologis in hoc quidèm convenire cum Janſeniſtis, quòd utrimque dicant, efficaciam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſę ſitam eſſe in quadam congruitate, ſed eos maximè inter ſe diſſidere, ac diſcrepare, dùm explicant, undenàm repetenda ſit hæc Gratiæ congruitas? Moliniſtæ quippè cum *Suareſio*, Societatis Jeſu Theologo, congruitatem Gratiæ repetunt ex conſenſu, quem Deus per Scientiam Mediam prævidet, hominem in talibus circumſtantiis, locis & temporibus conſtitutum, Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, præbiturum, eamque per conſenſum ſuum redditurum congruam & efficacem. Ideò autem Moliniſtæ hanc Gratiam vocant *congruam* quia congruit & temperatur genio, indoli, temperamento, locis, temporibus, & circumſtantiis, in quibus prævidit Deus hominem conſenſurum.

Aſt, *Janſenius*, ejuſque diſcipuli Gratię congruitatem & efficaciam repetunt ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ, quandò eſt relativè victrix, ſeu ſuperior, fortior, & intenſior terrena concupiſcentiæ delectatione, tunc eſt Gratia efficax & congrua, quia attemperata eſt gradibus cupiditatis, quos proindè neceſſariò vincit ac ſuperat, cùm prorsùs neceſſarium ſit, ut major delectatio cæleſtis relativè victrix ſuperet minorem concupiſcentiæ terrenam delectationem, ſicut fatetur ipſemet *Janſenius*: quandò verò indeliberata Gratiæ delectatio cæleſtis eſt inferior, debilior, ac remiſſior terrena concupiſcentiæ delectatione, tunc eſt Gratia incongrua & inefficax, quæ, ut pertendit idem *Janſenius*, neceſſariò à terrena concupiſcentiæ delectatione vincitur ac ſuperatur, quia impoſſibile eſt, inquit *Janſenius*, ut minor delectatio vincat majorem, ſed potiùs minor delectatio neceſſariò cedere debet majori; non ſecùs ac (ſicut ex Mechanicis legibus compertum eſt) ſi in bilance duo ponantur pondera inæqualia, neceſſe omninò eſt eam bilancis partem deprimi, in qua majus eſt, ſeu gravius pondus, nec ullo pacto fieri poteſt, ut majus pondus à minori deorsùm inclinetur, quandò quidèm inter ea duo nulla eſt proportio.

Hæc duo, tam Moliniſtarum, quàm Janſeniſtarum, de Gratia congrua ſyſtemata rejiciunt Thomiſtæ, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Moliniſtarum de Gratia congrua ſyſtema, tanquàm improbabile, & cum SS. Patrum, præſertìm *Auguſtini*, & *Thomæ*, de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci doctrina non cohærens; improbandum eſſe optimo jure cenſeant; at verò, ſyſtema de Gratia congrua, in ſenſu Janſeniano mox a me explicatum, repudient & deteſtentur omnes genuini Thomiſtæ, quia ex eo ſequitur totius libertatis humanæ exterminium, & ineluctabilis inducitur benè vel malè operandi neceſſitas, ſicut invictis momentis, ex intimis principiis doctrinæ Janſenianæ (quam damnavit Eccleſia) petitis, latè probavi in Epiſtolis, quas jam ad te dedi, quæque continentur in ſecunda Epiſtolarum mearum Claſſe.

Vale, cariſſime Diſcipule, & quia me in ultima tua Epiſtola monuiſti, te aſſiduo ſtudio ac famelicis oculis legere quatuor Patris *De Meyer* Diſſertationes *De Mente Concilii Tridentini*, in quibus Mo-

Molinianus ille Scriptor nullum lapidem non movet, ut doctrinam ſuæ Scholæ de Gratia congrua ſtabilire poſſit; rem profectò longè mihi gratiſſimam facies, ſi in proxima, quam ad me daturus es, Epiſtola, proponere non graveris præcipua ſaltem illius acerrimi Gratiæ congruæ defenſoris, ſicut etiam ſui concellitæ P. *Danielis*, argumenta, ſi fortè his diſſolvendis imparem te ſentias; ſanctiſſimèque tibi juro, me, omni abjecta cunctatione, omnibus utriuſque Moliniani Scriptoris argumentis abundè facturum ſatis, & omnes offucias, quas antiquæ de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinæ totis viribus offundere moliuntur, ſupremo adſpirante Numine, facili negotio diſſipaturum.

EPISTOLA SEXTA

In qua referuntur, & eadem opera refelluntur principia, quibus Patres Daniel, & De Meyer, aliique Molinianæ Scholæ Theologi ſententiam de Gratia congrua & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, & in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, ſtabilire moliuntur.

TUam tandèm heſterna die gratiſſimam recepi Epiſtolam, in qua venuſtè ais, penſum, quod à te exegeram, diligentèr te peregiſſe, teque in lectitandis quatuor Patris *De Meyer*, Societatis Jeſu Theologi, *De Mente Concilii Tridentini* Diſſertationibus, necnon Patris *Danielis*, Societatis itidèm Jeſu Theologi, Epiſtolis ad R. P. *Natalem Alexandrum*, Dominicanum, oleum ebibiſſe lucernæ, atque plures continuatas diebus noctes triviſſe. Ais inſupèr, te ægris quidèm oculis vidiſſe, tàm Diſſertationes Patris *De Meyer*, quàm Epiſtolas Patris *Danielis*, verbis atrocioribus & conviciis in Thomiſtas ſcatere, ſed ea (ſicùt virum Chriſtianum, & Deo ſacrum, decet) te contempſiſſe; *quia*, inquis, *ſic ſolent diſputare homines, quibus nihil ſuppetit aliud, quo deteriorem cauſam tueantur. Recidunt hæc in iſtos Authores maledicta & vulnera. Miſer quippè non eſt, qui audit, ſed qui facit convicium*. Prudentèr itaque omnia hæc, quæ duo iſti Moliniani Scriptores tam liberalitèr in Thomiſtas conjiciunt, probra, alto ſilentio in Epiſtola tua prætermittis, ac dumtaxàt proponis argumenta, queis duo illi moderni Scriptores doctrinam ſuæ Molinianæ Scholæ de *Gratia congrua*, & *de partialitate cauſarum*, *Dei ſcilicèt & hominis*, *in producendo ſalutifero voluntatis actu*, totis ſuis viribus adſtruere moliuntur. Denique, horumce argumentorum, quæ, ne exciderent, in commentarium, Epiſtolæ tuæ ad me datæ inſertum, retuliſti, claram & expeditam à me poſtulas ſolutionem.

I. Sanè tibi impensè gratulor, dilectiſſime diſcipule, quòd purioris Chriſtianæ Moralis doctrinam edoctus, jure optimo improbes hoc contumelioſum ſcribendi, diſputandive genus, quo nonnulli Theologi Chriſtiani, Sacerdotes, & Religioſi Deo Sacri, famoſis libellis, ſtylis veneno tinctis, ſeſe confodiunt, injuriis, contumeliis, morſibus, dicteriis, ſalibus ac conviciis ſeſe impetunt ac dilacerant invicèm, atque, Cælum terræ miſcentes, perpetuò inter ſe magno animorum æſtu rixantur, tumultuantur, digladiantur, & in famam (qua nihil ſecundùm Deum prius & antiquius habere debemus) acutiſſima linguarum ſpicula vibrant.

Certè ipſe ab hac ſcribendi, diſceptan-

ptandive methodo me planè alienum eſſe candidè profiteor, tùm quia probè ſcio, Chriſtum, Servatorem noſtrum, frequentiſſimè diſcipulis ſuis commendaſſe & inculcaſſe concordiam, pacem, & charitatem: Tum quia etiam à teneris annis quieti indulſi, à litigiis abhorrui, Satyricorum conſortia & colloquia velis remiſque fugi, mihique hactenùs placuit, & ſemper, benè juvante Deo, placebit Chriſtiana manſuetudo, qua benè precamur malè precantibus, benè meremur de malè merentibus, & vivendo, Jeſu Chriſti, qui manſuetudine & beneficentia mundum vicit, vitam exprimimus. Veniet enim tempus, cùm omnia librorum conflagrabunt monumenta, & charitas (teſte Apoſtolo Paulo) nunquàm excidet, ſed in omni opere humano jugitèr celebrabitur. Hæc obitèr dicta velim, ut duo illi Moliniani Scriptores, *Gabriel Daniel*, & *Livinus De Meyer*, intelligant, Thomiſtas ab Apoſtolo *Paulo*, & ab Angelico Doctore didiciſſe, *non eſſe reddendum malum pro malo, ſed vincendum in bono malum*, eoſque ſumma, qua par eſt, veneratione obtemperare Summorum Pontificum decretis, quibus Theologis diſtrictè præcipitur, ut, ſivè inter ſcribendum, ſivè inter diſputandum, paci & charitati conſulant, atque ab injuriis & conviciis in integrum abſtineant. Lege decretum, quod anno MDCLXXIX. Feria 5. die 2. menſis Martii in Generali Congregatione S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita coràm S. D. N. INNOCENTIO XI conditum eſt, & his verbis conceptum: *Ut autem ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterùm ſe abſtineant & ut paci & charitati conſulant, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, diſputationibus, prædicationibus caveant ab omni* CENSURA, ET NOTA, *necnon à quibuſcumque* CONVITIIS *contra eas Propoſitiones, quæ adhùc inter Catholicos hinc indè* CONTROVERTUNTUR, *donec à SANCTA SEDE ſuper iiſdem Propoſitionibus JUDICIUM proferatur.* Idem die 6. menſis Januarii anni MDCXCI. ſtatuit INNOCENTIUS XII. Pontifex Maximus in ſuo *Brevi* Apoſtolico ad Epiſcopos Belgii.

II. Venio nunc ad argumenta, quæ *P. Livinus De Meyer* obtrudit, ut Molinianæ ſuæ doctrinæ de *Gratia congrua & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu* novum poſſit conciliare robur. Poſſem autem juſta de cauſa hujuſce Moliniani Scriptoris argumenta parvi facere, utpotè quæ jam milliès fuerunt à Thomiſtis eliſa, aut ſaltèm abundè ſufficeret *Livini de Meyer* argumentis generalem illam adhibere reſponſionem, qua ipſemet utitur in Præfatione ſuæ ſecundæ Diſſertationis *De Mente Concilii Tridentini* ad Lectorem, ubi loquens de Opere doctiſſimi noſtri *Antonini Reginaldi de Mente Concilii Tridentini circà Gratiam efficacem*, quod idem *de Meyer* evanido conatu confutandum ſuſcepit, hæc habet: *Si objectiones & impoſturæ ejuſmodi nunquàm fuiſſent detectæ, nunquàm fuiſſent refutatæ, tolerabile profectò foret ut eæ itidèm recoquerentur. Verùm, cùm totiès & tàm dilucidè, atque, ut ita dicam, ad ſolis radios ità diſcuſſæ ſint atque confoſſæ, tùm quoque eas integras intactaſque continuò objectare, id enim verò nihil aliud poteſt arguere, quàm frontem aſperam atque perfrictam;* poſſem, inquam, hac generali Patris *De Meyer* reſponſione, jure in ipſum retorta, exſufflare unico flatu omnia, quæ contra noſtrum *Antoninum Reginaldum* inani ſtudio congeſſit argumenta; ſed liberaliùs cum iſto Scriptore Moliniano agere volo, & ad ſummos juris apices facere ſatis ejus objectionibus, quæ tamen (ſi verum dicere fas ſit) ſunt admodùm frigidæ, obſoletæ, nihil ſolidæ difficultatis habentes, ſed nervis ac viribus planè deſtitutæ. Ne autem longior ſim, & Epiſtolæ modum excedam, in iis dumtaxàt refellendis objectionibus immorabor, quibus *Livinus de Meyer*, & *Gabriel Daniel* adſtruere conantur

ſuam

Digitized by Google

ſuam Molinianam doctrinam de Gratia congrua & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu. Aliis verò argumentis, quæ tam *Livinus De Meyer*, quàm *Gabriel Daniel* proponunt, confutandis ſuperſedebo, tùm quia ad præſentem quæſtionem, quæ Thomiſtas inter & Moliniſtas potiſſimùm controvertitur, minimè ſpectant; tum quia etiam ex his, quæ in meis ſuperioribus Epiſtolis latè tractavi, jam abundè diluta, diſpuncta, diſſlata manent, proindeque ſupervacaneum omninò eſſet eamdem telam hic retexere.

In primis, *Livinus de Meyer*, Societatis Jeſu Theologus Belga, ægrè admodùm ferens, quòd doctiſſimus noſter *Antoninus Reginaldus*, Opus, non minùs mole, quàm eruditione immenſum, edidiſſet, in quo ſexcentis argumentis evicit doctrinam Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci Patribus Concilii Tridentini fuiſſe probatam, id, inquam, concoquere non valens *Livinus de Meyer*, calamum in noſtrum *Antoninum Reginaldum* confeſtim acuit, cujus tamen argumenta de induſtria celat, ſolutiones cautè diſſimulat, Sanctorum Patrum auctoritates alto prætermittit ſilentio, denique, nihil intentatum relinquit, ut Scholæ Thomiſticæ doctrinam, reddat Calvinianam, & ſuam Molinianam doctrinam de Gratia congrua, & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, perſuadeat, fuiſſe contra *Lutherum*, & *Calvinum*, tanquàm doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, in Concilio Tridentino approbatam. Hæc *Livinus de Meyer* potiſſimùm in ſua prima Diſſertatione *De Mente Concilii Tridentini*, quam varia in capita partitur, detonat in Thomiſtas; Quòd certè non feciſſet, ſi, æqui rectique amans, *Antonini Reginaldi*, totiuſque Scholæ Thomiſticæ doctrinam, de qua judicium ferre volebat, ſedato animo, maturo judicio, & abdicatis Molinianæ ſuæ Scholæ præjudiciis, rimari, ac penetrare voluiſſet, atque (quod caput eſt) ſi rationem, non affectum, non iram habuiſſet in conſilio; nec enim judicat livor, nec ſimplices oculos habet odium aut ira. Cùm igitur neceſſitatem reſpondendi, & Scholæ Thomiſticæ doctrinam vindicandi nobis impoſuerint *Livinus De Meyer*, & *Gabriel Daniel*, utrumque Scriptorem Molinianum refellendi, hac in Epiſtola provinciam ſuſcipio, qua, ut cum clara aliqua methodo, facilùs defungi poſſim, ſingula capita, quibus conſtat prima *Livini De Meyer* Diſſertatio percurram ac perſtringam, & omnia argumenta, quæ vel ipſe proprio marte procudit, vel in Epiſtolis ſui concellitæ *Gabrielis Danielis* ad noſtrum *Natalem Alexandrum* expiſcatus eſt, ſemota omni verborum acerbitate, pleniſſimè planiſſimèque, benè adſpirante Deo, confutare ſatagam.

IV. *Livinus De Meyer* capite I. ſuæ primæ Diſſertationis *De Mente Concilii Tridentini circà Gratiam Prædeterminatricem*, totus in id incumbit, ut probet, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci eſſe puram putamque, ſeu ipſiſſimam *Lutheri*, & *Calvini* doctrinam, a Generali Concilio Tridentino proſcriptam. Sed hanc eſſe putidam calumniam, Patribus Concilii Tridentini, ſubindèque toti Eccleſiæ Catholicæ injuriam, jam invictis argumentis oſtendi in Epiſtola, quam ad te dedi, quæque in ſecunda mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine prima. Addam tamen hic breviter quædam alia momenta, quæ hanc inſulſam ac teterrimam *Livini de Meyer* calumniam ſole clariùs falſi convincent.

In primis certiſſimè conſtat, Patres Societatis Jeſu libellum ſupplicem Summo Pontifici CLEMENTI VIII porrexiſſe, in quo octo pacis & unionis capita proponebant, ac in ſecundo capite poſtulabant à Summo illo Pontifice, *ut utriuſque parti* (ideſt, tam Moliniſtarum, quàm Thomiſtarum) *ſententia permitteretur*. In tertio verò capite flagitabant, *ut tolleretur omnis cenſura hæreſis vel erroris, ſive Pelagianiſmi, ſive Calviniſmi*. Hic libellus ſupplex Pa-

trum

trum Societatis Jeſu, octo complectens pacis & concordiæ capita, extat Manuſcriptus Romæ in Bibliotheca Angelica, & integer refertur ac deſcribitur à noſtro doctiſſimo *Hyacintho Serry* c. 11. libri 2. *Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, Editionis, quam Antuerpiæ anno MDCCIX ſecundis curis adornavit. Undè ſic ipſe argumentor: Patres Societatis Jeſu in libello ſupplici, quem CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo porrexerunt, faſſi ſunt, Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Gratia ſeipſa efficaci defendi poſſe, eique Calviniſmi notam non eſſe inurendam; qua fronte ergò *Livinus De Meyer* auſus eſt eamdem Scholæ Thomiſticæ doctrinam Calviniſmi inſimulare, & fidentèr aſſerere, eam cum erroribus *Calvini* à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe damnatam?

Præthereà, *Livinus De Meyer* in ea, quam edidit, *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis* ultrò fatetur, *Ferdinandum de Baſtida* in Congregatione duodecima, quæ ſub PAULO V. Pontifice Maximo, habita eſt die X. Januarii anni MDCVI. probandum ſuſcepiſſe, Prædeterminationem phyſicam convenire cum errore *Calvini*, ſed in decima quarta Congregatione, quæ coràm eodem Pontifice celebrata eſt, ſic fuiſſe deciſum: *Die Mercurii prima menſis Februarii hora 15. anno 1606. celebrata eſt Congregatio ad expendendas rationes productas à Patribus Societatis contrà doctrinam de Gratia Chriſti propriè dicta, hoc eſt, efficaci Divinæ motionis & abſolutæ Dei voluntatis, qua ſcilicèt voluit Petrum hìc & nunc convertere. Rationes autem erant. 1. Quòd tolleretur libertas humana. 2. Quòd tolleretur auxilium ſufficiens. 3. Quòd conſtitueretur ſimilitèr Deus autor mali &c. quibus expenſis reſolvit Congregatio, illis non obſtantibus, perſiſtendum in Decretis* (quæ jam lata fuerant in Congregatione habita die 15. menſis Octobris anni 1605. & in Congregatione celebrata die 29. menſis Novembris anni 1605. in quibus ſtatutum fuerat, non obſtantibus rationibus, quas in prædictis Congregationibus protulerat *Ferdinandus de Baſtida*; doctrinam de Prædeterminatione phyſica, quam defendebant Dominicani, nec tollere libertatem humanam, nec Gratiam ſufficientem, nec Deum conſtituere auctorem peccati) *Et ita cenſuerunt omnes, excepto Regente Collegii Carmelitarum*, videlicèt *Antonio Bovio*. Hæc vera eſſe ultrò profitetur *Livinus De Meyer* in Hiſtoria, quam publicavit, *Congregationum De Auxiliis*, & tamen, ſpreto doctiſſimorum illorum Conſultorum judicio, in prima ſua Diſſertatione *De Mente Concilii Tridentini* contumelioſè aſſerere audet, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci eſſe ipſiſſimam Hæreſiarcharum *Lutheri*, & *Calvini* doctrinam, in Concilio Tridentino damnatam. Sanè, ut obitèr dicam, *Martinus Lutherus* in eo, quod de Thomiſtarum doctrina protulit, judicio, æquiorem ſe præbuit Patre *Livino de Meyer*. Hic enim Hæreſiarcha, poſt homines natos impudentiſſimus, cùm probè ſciret, doctrinam, quam ipſe unà cum Hæreſiarcha *Calvino* de Gratia efficaci neceſſitante, à Concilio Tridentino damnatam, propugnabat, latiſſimè diſcrepare à modo, quo Thomiſtæ Gratiæ efficaciam catholicè ſtabilire & explicare ſolent, ideò in Thomiſtas, (quos primos errorum ſuorum acerrimos impugnatores ſenſerat) petulantèr invehitur in libro, quem adversùs Angliæ Regem *Henricum VIII.* (tum temporis Catholicæ Religionis defenſorem) edidit: *Hæc ſunt* (inquit ſceleſtiſſimus ille Hæreſiarcha) *arma, quibus Hæretici vincuntur hodiè, ignis, & furor inſulſiſſimorum aſinorum, & Thomiſticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & ſi audeant, exurant me. Hìc ſum, & expectabo eos, cineribus ſolis poſt mortem etiam in mille maria projectis, proſequar & fatigabo hoc abominabile vulgus.... Facite porci Thomiſtæ quod poteſtis. Lutherum habebitis urſam in via, & leenam in ſemita, undique vobis occurret, & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras cervices, & æreas frontes contriverit.*

Quæro nunc à *Livino de Meyer*, an Lu-

· *Lutherus* tam atrocitèr in Thomiſtas ſæviſſet, ſi in doctrina ſua, in Concilio Tridentino damnata, illos conſentientes habuiſſet? Credat hoc Judæus Apella. Certè mihi faciliùs perſuadeo, *Livinum De Meyer* non ex animi ſententia Thomiſtas Calvinianæ hæreſeos inſimulaſſe, ſed conſultò hac arte fuiſſe uſum, ut è luto, in quo hærebat, poſſet emergere. Vidit quippè *Livinus de Meyer* ſolidiſſima, quæ ex Concilio Tridentino, & ex Sanctis Patribus *Auguſtino*, & *Thoma* producit argumenta noſter *Antoninus Reginaldus*; vidit quàm nervosè premat Moliniſtas; vidit, ſi omnia propoſita argumenta excutiendi, aut diluendi arduam ſuſciperet provinciam, ſe cauſa caſurum; quarè, nodum iſtum gordium diſſecare maluit, quàm ſolvere, &, contrà omnes æquitatis leges, ex accuſato tranſit in Actorem, accuſando Calvinianæ hæreſeos totius Scholæ Thomiſticæ doctrinam, antequàm ſe ipſum, ſuamque ſententiam purgaret. Plura de hac falſa Calvinianæ hæreſeos accuſatione non addam, quia (ut jam dixi) in ſpeciali Epiſtola, quam ad te dedi, eam invictis momentis abundè confutavi.

V. Poſt iſtam levem velitationem, ſummatim nunc attingam & confutabo præcipua argumenta, quibus *Livinus de Meyer* in ſua prima Diſſertatione *de Mente Concilii Tridentini* omnem ſuam operam & induſtriam confert ut probet, *Ludovici Molinæ* doctrinam *de partialitate cauſarum*, *Dei ſcilicèt & hominis*, *in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, fuiſſe, antè & poſt Concilium Tridentinum, tanquàm veram & Catholicam in Eccleſia probatam atque receptam. Contendit porrò *Livinus de Meyer* cap. 2. primæ ſuæ Diſſertationis *de Mente Concilii Tridentini*, Facultates Theologicas Pariſienſem, & Lovanienſem approbaſſe ante celebrationem Concilii Tridentini doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu. Facultas quippè Theologica Pariſienſis (inquit *Livinus de Meyer*) plures Articulos adverſùs hæreticos anno 1542 edidit, quorum ſecundus ſic habet: *Eadem Fidei conſtantia eſt tenendum, homini ineſſe liberum arbitrium, quo poteſt benè vel malè agere, & per quod, ſi etiam in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad Gratiam reſurgere valet*. Facultas itidèm Lovanienſis anno 1544. Art. 7. ità decernit: *Certa Fide tenendum eſt, hominem habere liberum arbitrium, quo poteſt malè, & cum Dei Gratia benè agere, &, poſt mortale peccatum admiſſum, Deo adjuvante, pænitere, & peccatorum remiſſionem conſequi*. His verbis (inquit Pater *de Meyer*) Facultates Theologicæ, Pariſienſis, & Lovanienſis, palàm approbarunt doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu. Prætereà, *Livinus de Meyer* citat *Pighium*, qui *Calvini* errores confutavit, aitque, prædictum *Pighium*, in refellendis *Calvini* erroribus, obviis ulnis amplexum fuiſſe, & conſtantèr defendiſſe doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, & hanc *Pighii* doctrinam à Patribus Concilii Tridentini probatam & adoptatam fuiſſe. Hæc eſt ſumma totius Capitis ſecundi Diſſertationis primæ, quam *Livinus de Meyer* edidit, *de Mente Concilii Tridentini*.

Verùm, in hac Patris *Livini de Meyer* argumentatione duas inſignes impoſturas offendo, quas hic invictis momentis profligabo. Prima impoſtura in hoc ſiſtit, quòd velit, Facultates Theologicas, Pariſienſem, & Lovanienſem, propugnaſſe contra Hæreticos doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu. Certè faciliùs *Livinus de Meyer* ex ſilice, vel ex pumice oleum extunderet, quàm ſimile paradoxum elicere poſſet ex Articulis, quos contra Hæreticos ediderunt Facultates Theologicæ Pariſienſis, & Lovanienſis. In his quippè Articulis utraque celeberrima Facultas definivit dumtaxàt contra Lutheranos, & Calviniſtas, nobis ineſſe liberum arbitrium,

trium,

Digitized by Google

trium, per quod, *Dei Gratia adjutum*, benè agimus, & *ſine Dei Gratia* ex nobis mala perpetramus; quod ſanè in confeſſo eſt apud omnes Catholicos, & extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe debet. At, in his utriuſque Facultatis Theologicæ Articulis expiſcari velle approbationem Molinianæ doctrinæ de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, nihil profectò aliud eſt, quàm videre in his Articulis ea quæ non ſunt, tanquàm ea quæ ſunt, & ea quæ ſunt, tanquàm ea quæ non ſunt.

Præthereà, Sacram Facultatem Pariſienſem in his, quos contra hæreticos anno 1542. edidit, Articulis, doctrinam *Molinæ* de partialitate cauſarum, Dei & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, non approbaſſe, luculentiſſimè evincit Epiſtola, quam doctiſſimus *Andreas Duvallius*, Doctor ac Regius in Sorbona Profeſſor, ſcripſit ad Dominos *Crellium*, & *Boſſutium*, ejuſdem Facultatis Pariſienſis Doctores, & Romæ *Congregationum de Auxiliis* Conſultores, qui die 5. menſis Decembris anni MDCI. ad ipſum ſcripſerant, & rogaverant, ut eos certiores faceret, an verus eſſet rumor, quem *Antonius Roſa*, Sylvanectenſis Epiſcopus deſignatus, Romæ ſparſerat, in Academia videlicet Pariſienſi florere Moliniſmum? Ad illorum autem Doctorum Pariſienſium Epiſtolam ſic Pariſiis die XX. Januarii anni MDCII. reſpondit *Andreas Duvallius*:

CLARISSIMI DD. AC MAGISTRI.

ÆGrè fero, quempiam Romæ commorantem effutiiſſe, Academiam noſtram aliquid in Molinæ gratiam decernere voluiſſe: hoc etenim falſum eſt, nec quidquam de hiſce Quæſtionibus publicè in eadem Academia agitatum fuit, aut inter Theologos noſtros privatim, niſi cum ſumma cautela diſputatum. Providetur enim, ne noſtri hæretici ex hujuſmodi diſſidiis triumphum agere velint. Æquè verò falſum eſt, quod idem retulit, triginta quinque viros, qui eamdem cum illo Licentiam decurrerent, Molinæ opinionibus aſſentiri. Nullus enim illorum fuit, qui aut non defenderit Prædeterminationem cum SS. Auguſtino & Thoma, aut ſaltèm ei contradixerit: immò, conveni ex eis aliquos, qui cæteris aliquantulùm eminere videntur, atque interrogavi, ſi quid fortè privatìm inter illos accidiſſet. Qui reſponderunt, nihil ſe prorsùs egiſſe, ac etiam acturos, niſi quod ipſis ab Academia juberetur. Cæterùm, quod mea intereſt, ego ſemper Prædeterminationem admiſi, ut potè jura ſua Deo optimo tribuentem, nihilque homini detrahentem, ejuſve libero arbitrio, quo cum bellè cohæret, judicio meo. Academia porrò noſtra Sanctitatis ſuæ judicium, non in hoc dumtaxàt argumento, ſed & in cæteris omnibus expectabit. Providebimus verò per Syndicum noſtrum, ne interim ullus ex Baccalaureis noſtris quidquam de Molinæ opinionibus ſuis in Theſibus defendat. Pariſiis die 20. Januarii 1602.

Andreas Duvallius.

Hanc Epiſtolam, à doctiſſimo *Andrea Duvallio*, gallicè ſcriptam, invenies latinè redditam cap. 26. lib. 2. *Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, quam Antuerpiæ anno MDCCIX. ſecundis curis adornavit clariſſimus noſter *Hyacinthus Serry*.

Tertiò, qui credibile eſt, Sacram Facultatem Pariſienſem, totius Orbis Academiarum facilè Principem, approbaſſe aliquandò doctrinam *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, cùm certiſſimè conſtet, ab hac celeberrima Academia anno MCCCXLVII. tres iſtas Propoſitiones *Joannis de Mercuria*, Ordinis Ciſtercienſis, fuiſſe cenſura proſcriptas, quarum prima hæc eſt: *Propter opera alicujus futura bona Deus prœordinavit aliquem ab æterno.* Secunda eſt: *Aliquis prædeſtinatus eſt ab æterno proptèr bonum uſum liberi arbitrii, quem Deus*

prœ-

præſcivit eum habiturum. Tertia his verbis concepta eſt: *Non ſic gratis & miſericorditèr Deus prædeſtinavit illum quem prædeſtinavit, quin & pro omnibus bonis ipſius futuris, vel alterius*: Extat hæc Sacræ Facultatis Pariſienſis cenſura ſub finem editionis anni 1550. Magiſtri Sententiarum.

Sed ſi iſta, quæ hactenùs perſtrinxi, momenta non ſufficiant Patri *Livino De Meyer*, eum lubens remitto ad Hiſtoriam *Univerſitatis Pariſienſis*, quam publicam in lucem edidit *Egaſſius Bulæus*, & procul omni dubio (ſi hanc Hiſtoriam legere non gravetur) intelliget, Pariſienſem Academiam à patrocinio, ea ſaltem ætate, Jeſuitis impendendo, remotiſſimam fuiſſe. Legat præcipuè *Livinus De Meyer* Acta publica & Inſtrumenta, quibus laudatus *Egaſſius Bulæus* oſtendit, Facultatem Pariſienſem ab anno 1554. ad annum circiter 1612. graviſſimis litibus cum Societate fuiſſe commiſſam, idque ultrò fatetur *Joſephus Jouvenci*, nuperrimus Hiſtoriæ Societatis Jeſu elegantiſſimus Scriptor; ipſe verò, ne obligata jam vulnera de induſtria refricare videar, his impræſentiarùm referendis, ſervandæ pacis amantiſſimus, libens ſuperſedebo.

VI. Paradoxum narrat *Livinus de Meyer*, dùm Lectoribus ſuis perſuadere vellet, Academiam Lovanienſem approbaſſe doctrinam de partialitate cauſarum Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanę voluntatis actu. Ecquis, quæſo, unquàm credat, Academiam Lovanienſem, quæ in doctrinam *Leonardi Leſſii*, Societatis Ieſu Theologi, & *Molinæ* prodromi, gravem, totique orbi notiſſimam Cenſuram die 9. menſis Septembris anni 1587. publicavit, eamque ſæpiùs ad noſtram uſque memoriam confirmavit; quis, inquam, tam bonus ac credulus, ut ſuum in animum inducat, celebrem Academiam Lovanienſem approbaſſe anno 1544. doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, cùm tamen certo certius ſit, hoc principali fundamento doctrinam *Leſſii*, & *Molinę* (tota quanta eſt) inniti? Sed ſimiles apage nugas. Potuiſſet quidèm *Livinus De Meyer* faciliùs ſuis Lectoribus fucum facere, ſi quaſdam Germanicas Academias in auxilium doctrinæ ſuæ de partialitate cauſarum invocaſſet, videlicèt Academias Ingolſtadienſem, Græcenſem, Dilinganam, Wirteburgenſem, Moguntinam, Trevirenſem, Viennenſem, quæ Leſſianam, ac ſubindè Molinianam, doctrinam publicis editis ſuffragiis, comprobarunt. Sed juſtè timuit *Livinus De Meyer*, ne harumce Germanicarum Academiarum publica de doctrina *Leſſii*, & *Molinæ* referendo judicia ac Cenſoria ſuffragia, ſeſe omnibus deridendum propinaret. Sole quippè clariùs demoſtravit noſter doctiſſimus *Hyacinthus Serry* cap. 18. lib. 4. *Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, prætenſas illas Academias Germanicas eſſe reverà Patrum Societatis Jeſu publicas Scholas, ſeu Collegia, quibus ſcilicèt ipſimet præſunt, ubi Cathedras moderantur, Theologicos gradus diſpenſant, Decani, Cancellarii, Syndici, Rectoris, ac Profeſſorum munia obeunt, & omnia pro nutu, atque imperio agunt. Id ibidèm exploratiſſimum facit mox à me laudatus noſter *Hyacinthus Serry* ex illis ſuffragiis & Inſtrumentis publicis, quibus prædictæ Academiæ Germanicæ Leſſianam ac pro ndè Molinianam doctrinam ſuo calculo approbarunt. At enim, è quinquaginta Theologis, quorum nomina iſtarum Academiarum publicis Inſtrumentis inſcribuntur, quadraginta ſunt Societatis Jeſu Profeſſores, qui (quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt) diſſimulato in ſyngraphis, tacitoque Jeſuiticæ Profeſſionis nomine, ſub honeſto Academiarum nomine latitantes, domeſticæ cauſæ, ſeu Leſſianæ ac Molinianæ doctrinæ, patrocinium ſuſceperunt, atque judicium affectarunt. At quis, ſodes, unquàm audivit, poſſe aliquem eſſe judicem in propria cauſa? vel faſ eſſe illis Theologis, in quos intentata lis eſt, pro ſua ipſorum ſententia ſuffragia ferre, & in partem adverſam pronunciare, vibrareque fulmina? id ſanè à ſæculis inauditum,

Digitized by Google

ditum, & Leg. Divinæ, Eccleſiaſticæ, & Civili omninò contrarium eſſe aſſerere nullus dubito.

Sed alia eſt in argumentatione *Livini De Meyer* impoſtura, quam hìc diſſimulare nec poſſum, nec debeo. Ait enim, *Pighium*, qui errores *Calvini* confutavit, approbaſſe doctrinam *de partialitate Cauſarum, Dei ſcilicèt, & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu*, eamdemque *Pighii* doctrinam probatam fuiſſe Patribus Concilii Tridentini. Sed utrumque procul abeſt à vero. Nam primò, *Livinus De Meyer* non profert verba *Pighii*, quibus doctrinam de partialitate cauſarum ad ſenſum *Molinæ* approbaverit. Secundò, etiamſi *Pighius* huic doctrinæ ſuum calculum addidiſſet, indè tamen minimè ſequitur, hanc *Pighii* doctrinam fuiſſe Patribus Concilii Tridentini probatam. Quaſi verò Oecumenicum Concilium Tridentinum ullius privati Theologi adoptaſſet doctrinam, præſertim *Pighii*, quem in multos errores impegiſſe teſtatur *Ruardus Tapperus* in Epiſtola ad *Sotum*, ubi hæc habet: *Nec ego Pighium ſine horrore legere potui in his locis, quæ citas*. Idem ferè judicium de *Pighio* profert *Iudocus Raveſteyn* in Epiſtola ad *Tapperum*, ubi ait: *Mihi videtur Pighius longè aberraſſe ab Auguſtini doctrina*. Quî igitur credibile eſt, doctrinam *Pighii* à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe approbatam? Sed, relege, ſi placet duas, quas jam ad te dedi, Epiſtolas, quarum prior, in prima mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine ſeptima *De mente Concilii Tridentini*; altera verò Epiſtola in ſecunda mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine prima, & in iſtis duabus Epiſtolis liquidò perſpicies, Patres Concilii Tridentini nunquàm approbaſſe doctrinam *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu*, ſed potiùs doctiſſimos illos Patres, in proſcribendis erroribus *Lutheri*, & *Calvini* adhibuiſſe Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, ibidèmque omnes argutias, quibus *Livinus De Meyer* probare conatur, doctrinam de partialitate cauſarum, Dei nimirùm & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, fuiſſe à Patribus Concilii Tridentini receptam, & approbatam; has, inquam, omnes *Livini De Meyer* argutias invenies in iſtis duabus, quas jam ad te ſcripſi, Epiſtolis eliſas, retuſas, atque penitùs convulſas. Hìc dumtaxàt ad probationum cumulum addam Factum hiſtoricum *Joannis Grimani*, Patriarchæ Aquilejenſis, qui Epiſtolam ſcripſerat, in qua durè ſatis expreſſerat ſententiam de Prædeſtinatione & Gratia ſe ipſa efficaci. Hæc autem *Joannis Grimani* Epiſtola fuit diuturno examine in Concilio Tridentino diſcuſſa, tandèm Patres hujus Concilii declararunt, *in prædicta Epiſtola ne verbum quidem eſſe cenſura dignum*: igitur doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci fuit à Patribus Concilii Tridentini ab omni cenſura & affinitate cum damnatis *Lutheri*, & *Calvini* erroribus declarata immunis. De hoc Facto Hiſtorico *Joannis Grimani* ſi plura ſcire deſideres, conſule noſtrum *Reginaldum* in ſuo egregio Opere *De Mente Concilii Tridentini*, & noſtrum itidèm *Hyacinthum Serry* tàm in ſua *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis* quàm in libro, cui hunc inſcripſit titulum: *Auguſtinus Vindicatus*.

VIII. Alterum Patris *Livini De Meyer* argumentum vim ſuam petit ab auctoritate Theologorum, qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt, quoſque ipſe aſſerit propugnaſſe doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanę voluntatis actu. Laudat in primis Molinianus ille Scriptor cap. 3. & 4. primæ ſuæ Diſſertationis *Joannem de Bononia*, qui teſtatur, ſibi relatum fuiſſe à R. D. *Hieronymo De Bononia*, Sedis Apoſtolicæ Nuncio, ſententiam Thomiſtarum *fuiſſe à Patribus Concilii Tridentini ſumma diligentia diſcuſſam, & tanquàm minùs probabilem, optime jure rejectam*. Id confirmat *Livinus De Meyer* teſtimonio Cardinalis *Bellarmini*, Societatis Jeſu, qui Summo Pontifici CLEMENTI VIII. ſcriptum obtulit,

in

In quo doctrinam Prædeterminationis à Concilii Tridentini Theologis exploſam ſignificabat his verbis: *In Actis Concilii* (ſeu Tridentini) *quæ habentur in Arce S. Angeli, refertur quòd, cùm in Diſputatione Theologorum, quæ habebatur ante Seſſionem ſextam, duo Religioſi protuliſſent ſententiam iſtam de Prædeterminatione Liberi Arbitrii, fuit malè acceptum à cæteris, eò quòd non videtur valdè Catholicum; & poſteà Decretum formatum eſt, juxta communem aliorum ſententiam.* Denique, *Livinius de Meyer* cæteros profert Theologos, qui (ut ait) poſt Concilium Tridentinum pro defenſione doctrinæ de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, ſcripſerunt, quos inter percenſet *Thomam Stapletonum, Ruardum Tapperum, Antonium Delphinum, Antonium Cordubam, Franciſcum Carthagenam, Petrum Cunerum, Didacum Payvam, Driedonem &c.*

Ab hoc *Livini De Meyer* argumento facilè me expedire poſſem, remittendo hunc Molinianæ doctrinæ defenſorem ad Hiſtoriam *Congregationum De Auxiliis*, ſcriptam à noſtro *Thoma De Lemos*, qui, graviſſimis nixus momentis, flocci fecit, ac rejecit argumentum iſtud petitum à modernis illis Scriptoribus, ac Theologis, quos *Ferdinandus Baſtida:* in ſubſidium Molinianæ doctrinæ (quam defendebat) Romæ inter diſputandum adduxerat, & quos nunc *Livinus De Meyer* (jam fracta & obſoleta arma recudens) denuò pro defenſione Molinianæ doctrinæ in ſcenam producit. Legeſis in *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis* ea, quæ geſta ſunt in Congregatione decima ſexta, quæ habita eſt coram PAULO V. Pontifice Maximo, die 22. menſis Februarii anni 1606. & in Congregatione decima ſeptima, quæ coràm eodem Summo Pontifice celebrata eſt die 1. menſis Martii ejuſdem anni, & invenies primò, omnes illos Theologos, quos *Livinus de Meyer* citat tanquàm contrarios doctrinæ de prædeterminatione phyſica, fuiſſe itidèm adductos à *Ferdinando de Baſtida* in Congregatione decima ſexta, ſubindéque *Livinum De Meyer* nihil aliud agere, quàm antiquam *Ferdinandi De Baſtida* occinere cantilenam. Secundò, invenies, *Ferdinandum De Baſtida* in eadem Congregatione pertendiſſe, ideò omnes illos, quos pro ſe citabat, Theologos adverſari doctrinæ de Prædeterminatione Phyſica, *quia* inquiebat, *inter illos Theologos quidam ſunt, qui docent, voluntatem noſtram nulla impelli neceſſitate, ſed Divinæ Gratiæ motioni reluctari poſſe; quidam aſſerunt, liberum arbitrium ità à Deo determinari, ut ſuorum tamen actuum dominus maneat, alii tandèm affirmabant, Deum peccati autorem fore, ſi hominem ad peccandum impelleret.* Ex quibus omnibus concludebat *Ferdinandus De Baſtida*, plures illos, quos adducebat Theologos Scholaſticos, palàm doctrinæ de Prædeterminatione phyſica bellum indixiſſe.

Sed hoc *Ferdinandi De Baſtida* argumentum, ex Theologorum Scholaſticorum autoritate petitum, falſa ſuppoſitione nitebatur. Supponebat quippè, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Prædeterminatione phyſica liberum hominis arbitrium tollere, neceſſitatem inducere, & Deum facere autorem peccati. Quod tamen (ſicùt in meis ſuperioribus Epiſtolis manifeſtò oſtendi) eſt putidum mendacium, & tàm falſum, quàm, quod maximè. Undè non mirum, quòd in eadem Congregatione decima ſexta noſter *Thomas De Lemos* tam malè conſarcinatum *Ferdinandi De Baſtida* argumentum contempſerit, eique dumtaxàt oppoſuerit alios primi ſubſellii Theologos, Gratiæ per ſe efficacis, ſeu Auxilii phyſicè prædeterminantis, acerrimos defenſores, videlicèt *S. Thomam*, Angelicum Doctorem, & *Joannem Duns Scotum*, duplicis Scholæ Principes, quos doctrinæ ſuæ contrarios ipſemet agnovit *Ludovicus Molina* Diſput 26. 27. & 50. Iis *Thomas De Lemos* adjunxit *Capreolum, Cajetanum, Ferrarienſem, Conradum, Albertum Magnum, S. Bonaventuram, Magiſtrum ſententiarum S. Antoninum, Andream Vegam, Abulenſem, Perrerium, Henricum Henriques,* deni-

denique adduxit invictum teſtimonium, quod I. part. de primo Symboli Articulo legitur in Catechiſmo Romano, quod ex Decreto Concilii Tridentini elucubratum, à S. Pio V. Pontifice Maximo fuit univerſæ Eccleſiæ propoſitum.

Hæc omnia, quæ in Congregatione XVI. coràm PAULO V. Pontifice Maximo geſta ſunt, altiſſimo ſilentio de induſtria prætermittit *Livinus De Meyer*. Cautè etiam ſilet idem Molinianus Scriptor, doctiſſimum noſtrum *Thomam De Lemos* in eadem Congregatione XVI. oſtendiſſe, perperàm à *Ferdinando Baſtida*, inter Theologos, quos contrà doctrinam de Prædeterminatione phyſica laudaverat, citatos fuiſſe *Alexandrum Alenſem*, *Ægidium Romanum*, *Didacum Payvam*, *Joannem à Bononia*, *Thomam VValdenſem*, qui prævenientis Gratiæ efficaciam intrinſecam, & ab humani arbitrii conſenſu minimè ſuſpenſam, tutantur. Poſtremò, *Livinus De Meyer*, ut Lectoribus ſuis fucum faciat, data opera ſilet Declarationem factam in Congregatione XVII. habita coràm PAULO V. Pontifice Maximo, die 1. menſis Martii anni 1606. in qua ſtatutum eſt, doctrinam de Prædeterminatione phyſica probari auctoritatibus *S. Thomæ*, & Theologorum Scholaſticorum. Hæc momenta, quæ ex Congregationibus XVI. & XVII. coràm PAULO V. habitis, hactenùs delibavi, abundè ſufficere poſſent ad exſufflandum iſtud argumentum, quod ab auctoritatibus Theologorum Scholaſticorum, qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt, petitum, plenis buccis proponit *Livinus De Meyer*, fidentèr aſſerens, omnes illos, quos citat, Theologos, penitùs contrarios fuiſſe Thomiſtarum doctrinæ de Prædeterminatione Phyſica. Profectò, *Davus* ſit oportet, qui non videat, ejuſmodi argumentum, quod, in Congregationibus de Auxiliis à *Ferdinando De Baſtida* propoſitum, clariſſimus noſter *Thomas De Lemos* contrivit, malo livore à *Livino De Meyer* fuiſſe paucis adhinc annis recoctum, ac recantatum.

VIII. Verùm, ut evidentiùs conſtet, quantùm in citandis illis Theologis hallucinetur *Livinus De Meyer*, non abs re erit pauca de illis ſpeciatìm dicere, eorumque teſtimonia breviter expendere. Et primò quidèm, malæ fidei ſpecimen dat Molinianus ille Scriptor, dùm citat *Joannem de Bononia*, dicentem, ſibi relatum fuiſſe à R. D. *Hieronymo de Bononia*, Sedis Apoſtolicæ Nuncio, ſententiam Thomiſtarum de Prædeterminatione phyſica fuiſſe in Concilio Tridentino diſcuſſam, & tanquàm minùs probabilem rejectam. Id, inquam, oppidò falſum eſt, quia *Joannes de Bononia* carpit dumtaxàt quoſdam Theologos, qui docebant, *excitationi admonitionique divinæ reſiſti poſſe, & nunquàm reſiſti*, quorum ſententiam in Concilio Tridentino rejectam ait. Porrò, quis non videt, *Joannem de Bononia* per *excitationem* & *admonitionem* intellexiſſe dumtaxàt *Gratiam ſufficientem*, non verò Gratiam ſe ipſa efficacem?

Non igitur Thomiſtas, Gratiæ ſe ipſa efficacis defenſores, eò loci percellit *Joannes de Bononia*, ſed quoſdam illius ætatis Theologos, qui ſecundæ *Janſenii* Propoſitioni: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*, præludere videbantur, quique liberum hominis arbitrium nulli interiori Gratiæ etiam merè excitanti & admonenti, re ipſa obſiſtere pertendebant; ſicque Gratiam verè ſufficientem à Gratia efficaci diſtinctam, in ſtatu naturæ lapſæ explodebant. Plura ſuper hac re circà hanc *Joannis de Bononia* narrationem, ejuſque doctrinam, legeſis apud noſtrum *Antoninum Reginaldum* pag. 1621. egregii ſui Operis *De Mente Concilii Tridentini*, & apud noſtrum *Hyacinthum Serry* Sectione 7. cap. 2. Lib. V. *Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, pag. 899. & ſeq.

X. Nunc pauca dicam de Scripto, quod *Livinus De Meyer* aſſerit, Cardinalem *Bellarminum* porrexiſſe CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo, in quo ei ſignificabat, phyſicam Prædeterminationem in peculiari Theologorum Tridentinorum conſeſſu fuiſſe

reje-

rejectam atque repudiatam, & primò dico, incertum omninò eſſe, nec ullis indubitatis monumentis evinci poſſe, Cardinalem *Bellarminum* ejuſmodi Scriptum reverà obtuliſſe CLEMENTI VIII. Secundò dico, *Bellarminum*, ſi prædicti illius Scripti verus ſit ac genuinus parens, fuiſſe hac in re deceptum, eumque, immodico partium ſtudio abreptum, errorem Lutheranorum cum Thomiſtarum doctrina de Prædeterminatione phyſica promiſcuè confudiſſe, ſicut luculentiſſimè probant hæc duo, quæ ſubjicio, momenta.

Primum momentum mihi ſuppeditat Cardinalis *Pallavicinus*, Societatis Jeſu, qui cap. 4. libri octavi *Hiſtoriæ* (quam ex ſinceris Actis ac monumentis adornavit) *Concilii Tridentini*, fidem facit, ac disertè teſtatur, non phyſicam Scholæ Thomiſticæ Prædeterminationem (ſicut porrecto libello perperàm olim aſſeruit *Bellarminus*) ſed deteſtandum *Lutheri* commentum de libero hominis arbitrio merè paſſivè ſe habente, ac nullo pacto activè ad juſtificationem concurrente, à Theologis nonnullis temerè productum eſſe, illudque ab aliis Theologis, tanquàm minùs Catholicum, ſummo conſenſu fuiſſe rejectum. Hæc ſunt ipſiſſima hujus Purpurati Scriptoris verba: *Fra Lorenzo Mazzochi, Servita, inſieme con Fra Gregorio da Siena Domenicano, con Fra Gregorio Perfetto da Padoa Agoſtiniano, e con un altro della ſteſſa Religione, ſentirono intorno al ſecondo capo, che il libero arbitrio paſſivamente, e non attivamente concorra all' opera della giuſtificazione*: *La qual ſentenza non fu ſtimata cattolica*. Hoc locupletiſſimum Cardinalis *Pallavicini* teſtimonium oppono teſtimonio Cardinalis *Bellarmini* (ſi tamen Scriptum illud CLEMENTI VIII Pontifici Maximo, porrectum, quod ei tribuit *Livinus de Meyer*, facti veritate nitatur, ac non potiùs, ut vehementèr ſuſpicor, pro arbitrio & obtrectandi prurigine, confictum ſit.)

Alterum momentum eruo ex ipſomet Manuſcripto Codice, qui Romæ in Arce S. Angeli aſſervatur. In eo quippè Prędeterminationis ſententiam à Theologis Tridentinis rejectam fuiſſe non legitur, ſed dumtaxàt purum putumque Lutheranorum errorem, *de Arbitrio p. ſſivè tantum ſe habente*; quem Thomiſtæ, Phyſicæ Prædeterminationis aſſertores, ſummo conſenſu damnant, fuiſſe proſcriptum. Sic in prædicto Manuſcripto Codice legi, teſtantur ipſimet Patres Societatis Jeſu, qui ejuſdem Manuſcripti Codicis verba exſcripſerunt initio Libelli Memorialis, quem anno 1606. PAULO V. Pontifici Maximo exhibuerunt, ubi hæc leguntur: *in Congregatione Theologorum* (Tridenti ſedentium) *die Lunæ 28. Junii, fog. 9. pag. 2.* (ejuſdem Manuſcripti Codicis) *quatuor Doctores, duo Auguſtinienſes, ſcilicèt Magiſter Gregorius & alius; Item Magiſter Gregorius Senenſis Ordinis Prædicatorum, & Magiſter Laurentius Ordinis Servorum, dixerunt, liberum arbitrium ſe habere merè paſſivè, & nullo pacto activè ad juſtificationem*. Deindè ſubjungitur: *Omnes igitur Theologi, præter illos quatuor, qui non videntur ſatis Catholicè locuti, nam quoad liberum arbitrium diſceſſerant a cæteris &c.* Hæc momenta, quæ latè expendit doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry* cap. I. lib. 4. & capit. 3. lib. V. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, ſi *Livinus de Meyer*, abdicatis, ut par erat, omnibus præjudiciis, æqua lance ponderaſſet, profectò non eò fuiſſet progreſſus, ut diceret, Thomiſtarum doctrinam de phyſica Prædeterminatione fuiſſe in Concilio Tridentino damnatam. Sed meliorem mentem *Livino de Meyer* apprecor.

X. Videamus nunc, an felicior ſit *Livinus de Meyer* in citandis aliis Theologis Scholaſticis, qui poſt Concilium Tridentinum floruerunt, quoſque Molinianus ille Diſputator fidentèr aſſerit, Molinianæ doctrinæ *de partialitate cauſarum, Dei ſcil. & hominis in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu*, patronos ac egregios fuiſſe defenſores? Primò *Livinus de Meyer* citat *Antonium de Corduba*, *Ruardum Tapperum*, & *Franciſcum Carthagenam*, Certè, hos

H 2 tres

tres Theologos *Livino de Meyer* non invideo, tum quia (teſte *Gabriele Vaſqueſio*, Societatis Jeſu , I. part. diſput. 109. cap. 5.) *Antonii de Corduba* , *& Ruardi Tapperi ſententia videtur Pelagiana* , *quòd dicat , determinationem noſtram priùs natura eſſe , quàm Gratiæ cooperationem ; & ità Pelagianis conſentiat , qui bonorum operum initium à nobis eſſe dicebant*. Eadem de cauſa noſter *Thomas De Lemos* in Congregationibus *De Auxiliis*, *Carthagenæ*, & *Cordubæ* exſufflavit ſuffragia , ſibi à *Ferdinando de Baſtida* inter diſputandum objecta , eò quòd ambo illi Theologi in hac parte eò uſque ceſpitaſſent, ut in piis operibus divinam conſtitutionem humana voluntate præveniri propugnarint , quo vel uno errore jure ſuffragii exciderant . Addo etiam , *Ruardum Tapperum* Artic. 7. Lib. *De libero Arbitrio* pag. 248. Editionis Lovanienſis anni 1565. exiſtimaſſe , *Fauſtum* , Rejenſem Epiſcopum , & Semipelagianorum coryphæum , catholicè ſcripſiſſe , ejuſque aliqua dogmata incautè approbaſſe , ſicut obſervant *Antoninus Reginaldus* parte 2 cap. 75. ſui Operis *De Mente Concilii Tridentini* , *Sylvius* in 1. 2. Quæſtion. 112. Art. 5. *Bannes* in I. Part. Quæſt. 23. Art. 2. Concluſione ultima & *Hyacinthus Serry* cap. 4. Sect. 2. Lib. V. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis* . Videat ergò *Livinus de Meyer* , quales , & cujus farinæ pro ſe citet Auctores.

In eumdem ſcopulum impingit *Livinus de Meyer* , dùm , inter Theologos , quos ſuæ Molinianæ doctrinæ aſſertores eſſe pertendit, percenſet *Joannem Driedonem* , quem *Sirmondus* , Societatis Jeſu Scriptor, Semipelagianorum *Gennadii* , & *Fauſti* ſectatorem ac laudatorem producit cap. 8. *Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ* , dicens : *Non deſunt hac ætate noſtra , & proximo antè ſæculo non defuerunt viri doctiſſimi exactique judicii , qui in illorum irent ſententiam , atque in his , ne plures commemorem , clariſſimæ Academiæ Lovanienſis duo lumina Joannes Driedo , & Ruardus Tapperus , qui Fauſtum ambo , nec ſine honore Catholicum Eccleſiæ Doctorem nominant* .

Hinc jure optimo Eminentiſſimus Cardinalis *Baronius* Annalium parens ad ann. 490. num. 32. conqueritur de quibuſdam Theologis, qui *Fauſti* , Semipelagianorum coriphæi, doctrinam , ab Eccleſia damnatam , vindicare & ab errore abſolvere tentarunt : *Cùm* (inquit purpuratus ille Scriptor) *Fauſti ſententiæ ubique ab Eccleſia Catholica fuerit contradictum , videant quanto periculo quidam ex recentioribus , dùm in Novatores inſurgunt , ut eos confutent , à S. Auguſtini ſententia de Prædeſtinatione recedunt , cùm alioquin arma non deſint , quibus adverſarii profligentur* . Et Tomo ſexto Annalium ad annum 430. carpit (tacito nomine) alios Theologos , qui *Caſſianum* , alterum Semipelagianæ Hæreſeos Anteſignanum , defendebant fuiſſe omni ex parte Catholicum . De his etiam Apologiis ad *Caſſiani* doctrinæ Vindicias , à quibuſdam recentioribus Theologis in lucem editis , conqueritur doctiſſimus noſter *Thomas Lemoſius* in *Panoplia* Tom. I. Tractatu 9. cap. 2. ubi hæc habet : *Illud ad præſens notandum eſſe putavimus , illo eodem anno , quo* SIXTVS V. *ſilentium in hac parte & Lovanienſibus , & recentioribus Lovanii commorantibus impoſuiſſet , eo , inquam , anno recentiores Romæ curaſſe , & feciſſe typis mandari cum Annotationibus illis Stephani Tucci , de quibus ſupra mentionem fecimus , & eodem illo anno Ludovicum Molinam prædictum Librum* CONCORDIÆ *edidiſſe* . His ſimilia adversùs *Caſſiani* , Semipelagiani , Apologias protulit noſter *Thomas Lemoſius* in ſolemni Congregatione , habita coram CLEMENTE VIII. die X menſis Novembris ann. MDCIII. ad quæ *Ferdinandus Baſtida* , publicus Societatis Jeſu Actor , nihil in oppoſitum hiſcere ac muſſitare potuit , ſicut videre eſt *in Diario Diſputationum Lemoſii* pag. 564. Sed hìc prætermittere haud debeo doctiſſimum Cardinalem *Bellarminum* , qui lib. 6. *de Gratia & libero arbitrio* cap. 4. poſtquàm dixiſſet , *Fauſtum* , Rejenſem Epiſcopum ,

pum, *habitum fuiſſe Semipelagianum hæreticum;* hæc de Ruardo Tappero ſubjungit: *Quod ſi vir doctiſſimus Ruardus Tapperus obſervaſſet, non tam ſæpè Fauſtum Catholicum appellaſſet.*

Hos igitur Theologos *Joannem Driedonem*, *Ruardum Tapperum*, Semipelagiana lue infectos, & *Fauſto*, damnatæ Sectæ primipilo, addictiſſimos, ultrò ac lubens *Livino de Meyer* concedo, nec invideo. Retineat etiam *Livinus de Meyer*, ſi velit, *Thomam Stapletonum*, qui Romæ ſub patribus Societatis ſtuduit, immò Jeſuita ipſe, ut fertur, priùs fuit, ſicùt *Baſtida*; cuique ſubindè hac in cauſa major fides non debetur quàm *Molinæ*, cujus doctrinæ (ipſomet fatente *Livino de Meyer*) ſe adhærere profitetur. Miror tamen quòd *Stapletorum*, alioſque levioris notæ Theologos, qui à capite ad talos ſunt Moliniſtæ, audeat *Livinus de Meyer* contra omnes juris formulas Thomiſtis teſtes objicere, quos conſtat in Thomiſtarum doctrinam, pro ſuæ domeſticæ, ſeu Molinianæ cauſæ defenſione, Actores ſtetiſſe.

XI. Poſtremò, illis Theologis Inferioris ſubſellii, quos in defenſionem Molinianæ doctrinæ laudat *Livinus de Meyer*, quoſque ante ipſum *Leonardus Leſſius* in narratione Cenſurarum Belgicarum, & *Ferdinandus Baſtida* in Congregationibus *de Auxiliis* pro doctrina itidèm *Molinæ* in medium jam adduxerant; his, inquam, *Livini de Meyer* Theologis oppono primò omnes illos primi ſubſellii & omni exceptione majores Theologos, quos (ut paulò antè obſervavi) clariſſimus noſter *Thomas de Lemos* in Congregationibus De Auxiliis pro defenſione doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci objecit *Ferdinando de Baſtida*, eumque ad incitas redegit.

Secundò, his Theologis, quos pro ſe adduxit *Livinus de Meyer*, oppono Theologos, & omnes Patres Tridentinos, quos pro Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci ſtetiſſe, invictis momentis toto ſuo Opere *De Mente Concilii Tridentini* probat noſter *Reginaldus*, quique proindè hac in re, Thomiſtas inter & Moliniſtas controverſa, & in intelligentia Canonum Seſſionis ſextæ ejuſdem Concilii Tridentini, potiſſimùm audiri debent, longèque major illis præſtanda fides eſt, quàm omnibus aliis tam præcedentibus, quàm ſubſequentibus privatis Theologis.

Tertiò, his Theologis, quos pro *Molinæ* doctrina de partialitate cauſarum profert *Livinus de Meyer*, oppono locupletiſſima teſtimonia, quæ contra novellam *Ludovici Molinæ* doctrinam dederunt præſtantiſſimi Theologi Societatis Jeſu *Henricus Henriques*, *Mariana*, & alii, ſicut in alia Epiſtola, quam jam ad te dedi, quæque in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſeptima, latè oſtendi.

His Theologorum Societatis teſtimoniis contra *Molinæ* doctrinam datis, & à me in mox laudata Epiſtola prolatis hoc unum addam teſtimonium *Didaci Bæſæ*, ejuſdem Societatis Theologi, qui, ipſa rei veritate convictus, Theologorum Scholę Thomiſticæ in *Molinam* actiones, diſputationes, ejuſque doctrinæ ad Fidei judicem, Summum Pontificem, delationem laudat, & ardenti tuendæ Fidei zelo tribuit Tomo 3. *Comment. Moralium in Evangelicam Hiſtoriam*, Lib. XV. cap. 2. parag. 7. ubi hæc habet: *Laudo Sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro Fide ſtans, ubi Ludovici Molinæ, Societatis Jeſu Theologi, Concordiam de libero arbitrio ſuſpectam habuit, rem ad Fidei judicem Summum Pontificem detulit; & vel ſuſpecta dogmata aſteriſco notans, coràm tanto judice alacritèr pro Fide certavit.* Utinàm! hoc modeſtiæ ſodalis ſui exemplum æmulatus fuiſſet *Livinus de Meyer*. Sed, proh dolor! ab eo quàm longiſſimè receſſit, quia livore, & æſtu diſputationis abreptus, unam tutandæ domeſticæ cauſæ, ſeu defendendæ Molinianæ doctrinæ, rationem præ oculis habuit, non ſimplicis veritatis ſtudium.

XII. Pergit *Livinus de Meyer*, & à capite V. primæ ſuæ Diſſertationis *De Mente Concilii Tridentini* uſque ad caput decimum ejuſdem Diſſertationis, Pa-

rallelum inſtituit Calvinianam doctrinam inter & Thomiſticam, aitque, Thomiſtis convenire cum *Calvino* in explicatione ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi, eoſque unà cum eodem Hæreſiarcha negare doctrinam *de partialitate cauſarum*, *Dei ſcilicèt & hominis*, *in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, quam tamen doctrinam fuiſſe in Concilio Tridentino contra *Calvinum* declaratam Catholicam pertendit Molinianus ille Diſputator. Sed in his atrocibus *Livini De Meyer* calumniis & impoſturis diſpungendis hìc certè oleum & operam non perdam, præſertìm cùm eas in anteceſſum in duabus, quas jam ad te dedi, Epiſtolis, abundè confutaverim, videlicèt in ea, quæ in prima mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine ſeptima; & in alia, quæ in ſecunda mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine prima.

Ad has duas Epiſtolas (ne actum in præſentia agam) te, cariſſime Diſcipule, lubens remitto, tibique auctor ſum ut attento animo legas doctiſſimum Scriptum, quod noſter *Thomas De Lemos* die 13. menſis Februarii anni 1606. PAULO V. Pontifici Maximo, porrexit adversùs Thomiſticæ & Calvinianę doctrinæ Collationem, à *Ferdinando de Baſtida*, in ſolemni Congregatione recitatam die x. Januarii 1606. Hoc *Thomæ de Lemos* Scriptum (quod ex *Coronelli* Commentariis integrum exhibet clariſſimus noſter *Hyacinthus Serry* ad paginam 411. Appendicis Hiſtoriæ, quam ſecundis curis adornavit, *de Auxiliis Divinæ Gratiæ*) & hunc præfert titulum: *Aperta differentia inter Catholicorum doctrinam, defendentium efficaciam Divinam, & impiam ſententiam Calvini, negantis arbitrii noſtri libertatem. Per F. Thomam de Lemos, contra quemdam Collatorem, qui eos convenire diffamat.* Hoc certè ſi legas Scriptum noſtri *Thomæ De Lemos*, confeſtim ultrò fateberis, *Livinum De Meyer* (dùm eum non pudet Calviniſmi notam doctrinæ Scholæ Thomiſticæ affingere) obſoletam duntaxàt refricare calumniam, quam *Ferdinandus De Baſtida* eidem Thomiſtarum doctrinæ de Gratia ſe ipſa efficaci *in Congregationibus de Auxiliis* impingere auſus eſt, quamque noſter *Thomas de Lemos* tam egregiè confutavit, comminuit, & contrivit, ut nunc *Livino de Meyer*, & aliis, qui hanc tam ſolidè jam retuſam Calviniſmi notam Thomiſtarum doctrinæ per ſummam calumniam inurere præſumunt, ſat ſuperque ſufficiat hæc *Sancti Auguſtini* (cap. I. lib. 2. ad BONIFACIUM, Pontificem Maximum) opponere verba: *Nihil aliud nituntur, niſi ut, horribili hæreſi objecta, lateant inimici Gratiæ in laude naturæ.*

XIII. Ad probandam Moliniſtarum ſententiam de Gratia congrua, & de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, nonnulla *Livinus De Meyer* capitibus decimo & undecimo primæ ſuæ Diſſertationis *De Mente Concilii Tridentini* adducit *S. Auguſtini* teſtimonia, in quibus dilucidandis tres breves præmittam obſervationes, ex quibus facilè intelliges, quàm perperàm Molinianus ille Theologus in doctrinam Scholæ Molinianæ, obtorto (ut ajunt) collo, *S. Auguſtinum* trahere moliatur. Dein, commonſtrabo, *Livinum de Meyer* ex his, quæ profert, *S. Auguſtini* teſtimoniis nihil planè ad adſtruendam Scholæ ſuæ Molinianæ doctrinam extundere poſſe.

In primis obſervare debes, *Livinum De Meyer* in ſua *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis* ultrò fateri, in Congregatione, quæ coràm CLEMENTE VIII. die 18. menſis Novembris anni 1603 habita eſt, fuiſſe ventilatam quæſtionem *de partialitate cauſarum*, *Dei ſcilicèt & hominis*, *in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, & auditis Molinæ & *partialis* concurſus humani arbitrii defenſoribus, necnon Familiæ Dominicanæ Theologo *Thoma Lemoſio*, ſtatutum eſſe in altera Congregatione habita die 19. ejuſdem menſis & anni, *Propoſitionem Molinæ de cauſis partialibus nullo modo deduci poſſe ex Sancti Auguſtini doctrina*, idemque fuiſſe confirmatum in tertia Congregatione, quæ

coram

Digitized by Google

coràm eodem Summo Pontifice CLEMENTE VIII. die 26 menſis Novembris anni 1603. celebrata eſt. Id, inquam, lubens fatetur *Livinus de Meyer*, & hac in re non refragatur Clariſſimo noſtro *Hyacintho Serry*, qui idem narrat in ſua *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis*.

Ex hac autem ingenua *Livini de Meyer* confeſſione hoc argumentum deduco: Concedit *Livinus de Meyer*, ſtatutum eſſe in tribus Congregationibus *De Auxiliis* coràm CLEMENTE VIII habitis, *Propoſitionem Molinæ de cauſis partialibus nullo modo deduci poſſe ex Sancti Auguſtini doctrina*: Atqui Congregationum *De Auxiliis* Conſultores, qui id ſtatuerunt, & inter quos numerantur Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Theologi doctiſſimi; hi, inquam, Congregationum *De Auxiliis*, à CLEMENTE VIII Summo Pontifice, ſelecti Conſultores magis erant verſati in doctrina *S. Auguſtini*, quàm *Livinus de Meyer* in ea fit exercitatus; Ergò Congregationum *De Auxiliis* Conſultoribus peritiſſimis, qui (fatente ipſomet *Livino de Meyer*) ſanxerunt, *Molinæ* ſententiam de *cauſis partialibus* nullo modo ex doctrina *S. Auguſtini* deduci poſſe, fides potiùs habenda eſt, quàm *Livino de Meyer*, qui, Scholæ ſuæ Molinianæ doctrinæ præjudiciis infuſcatus, pertendit in prima ſua Diſſertatione *De Mente Concilii Tridentini*, ſententiam *Molinæ* de cauſis partialibus facilè deduci ex doctrina *S. Auguſtini*. Majorem hujuſce argumenti Propoſitionem libens dat *Livinus de Meyer*, minorem verò Propoſitionem inficiari non poteſt, aut ſi eam infícias eat, debet publicè profiteri, ſe eſſe in doctrina Sancti *Auguſtini* magis verſatum, quàm fuerint Conſultores Congregationum *De Auxiliis*. Quòd ſi id ſemel præſtet Molinianus ille diſputator, nullus profectò dubito, quin ſe ſe omnibus deridendum propinet, & thraſonicam ipſius jactantiam ac philautiam magnis cachinnis ac ludis excipiant viri eruditi. Quocumque igitur ſe vertat *Livinus de Meyer*, inſtàr muris in pice captus eſt, nec effugere poteſt.

Præterea, obſervare debes, tantùm abeſſe, ut *S. Auguſtinus* doctrinæ Moliniſtarum de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, faverit unquàm (ſicut falsò aſſerit *Livinus de Meyer*) ut potiùs Aquilinus ille Doctor pluribus in locis hanc doctrinam data opera oppugnaverit. Quid enim (ut breviter dicam) luculentius his verbis quæ *S. Auguſtinus* contrà ſuæ doctrinæ de Gratia Adverſarios profert cap. 2. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, dicens: *Quaſi homo componit cum Deo, ut* PARTEM *Fidei ſibi vindicet, atque illi* PARTEM *relinquat, &, quod elatius eſt, primam tollit ipſe* (videlicet homo per ſuum conſenſum Gratiam Dei verſatilem & indifferentem determinando) *ſequentem dat illi; & in eo, quod dicit eſſe amborum*, PRIOREM *ſe facit, poſteriorem Deum*. Idem inculcat S. ille Doctor cap. 6. lib. de *Dono Perſeverantiæ* ubi ait: *Tutiores vivimus, ſi* TOTUM *Deo demus; non autem nos illi ex* PARTE *committamus*, idque ibidèm ex *S. Cypriano* probat.

Deniq..., *S. Auguſtinus* hanc doctrinam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu (quam totis ſuis viribus propugnat *Livinus de Meyer*) inſectatur cap. 32. libri *Enchiridii*, dicens: *ſi propterea dictum eſt*: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, *quia ex utroque fit, id eſt, ex voluntate hominis & miſericordia Dei* (ſeu ex libero hominis arbitrio & Gratia Dei *partialiter* operantibus).... *cur non & è contrario rectè dicitur*, non miſerentis *Dei*, *ſed volentis* eſt hominis; *quia & miſericordia Dei* ſola *non implet? Porrò, ſi nullus Chriſtianus dicere audebit*, non miſerentis Dei, ſed volentis eſt hominis, *ne contradicat Apoſtolo, reſtat ut propterea rectè intellectum dicatur*, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei *ut* TOTUM *detur Deo, qui hominis voluntatem bonam &* PRÆPARAT *adjuvandam, & adjuvat* PRÆPARATAM.

Hanc Sancti ſui Magiſtri *Auguſtini* doctrinam in omnium oculis ponit *S. Tho-*

Thomæ, fidiſſimus ejus Interpres, Opuſculo I. cap. 23. ubi agens de modo, quo creatura cooperatur creatori, hæc habet: *Sciendum, quòd aliquid dicitur cooperari alteri dupliciter: uno modo, quia operatur ad eumdem effectum, ſicut miniſter Domino .... alio modo in quantùm operatur eamdem actionem cum ipſo, ſicut ſi diceretur de duobus portantibus aliquod pondus, vel de pluribus trahentibus navim; quòd unum alteri cooperatur; Secundum igitur primum modum* (quem tenent omnes Thomiſtæ) *creatura poteſt dici* (inquit S. Thomas) *cooperari Creatori, quantùm ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura: Secundo autem modo* (quem *Ludovicus Molina*, & *Livinus de Meyer* tenent) *creatura creatori non cooperatur*. Idem docet *Sanctus Thomas* I. Part. Quæſt. 23. Art. 5. & libri 3. contrà Gentes cap. 70. Hæc diſertiſſima Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* teſtimonia, ſi tantiſpèr expendas, cariſſime Diſcipule, nullo negotio intelliges, *Livinum de Meyer* omni procùl dubio dormitaſſe, dùm, ad ſuam probandam Molinianam de partialitate cauſarum doctrinam, *S. Auguſtinum* ſibi patronum adſcivit.

X Poſtremò, velim accuratè obſerves, Moliniſtarum doctrinam de partialitate cauſarum in hoc ſitam eſſe, quòd unà cum *Molina* velint, Deum eſſe cauſam *partialem* operationis humanæ, quia Gratiam homini offert verſatilem, indifferentem, & permiſſam libero hominis arbitrio; hominem verò eſſe cauſam partialem ſuæ operationis, quatenùs per conſenſum ſuum determinat eandem gratiam verſatilem & indifferentem ſibi oblatam à Deo, eamque reddit efficacem. Hoc autem *Molinæ*, & Moliniſtarum Syſtema in pluribus, quas jam ad te dedi, Epiſtolis confutavi non ſolùm quia admitti non debet hæc Moliniana Gratia verſatilis, indifferens, & ſubdita libero hominis arbitrio, verùm etiam, quia Deus & creatura libera non concurrunt tanquàm cauſæ *partiales* ad actiones voluntatis humanæ, ſed concurrunt tanquàm cauſæ *totales & adæquatæ*; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Deus ad omnes operationes voluntatis humanæ concurrat tanquàm cauſa prima, totalis, adæquata, univerſaliſſima, & efficaciſſima; at creatura libera concurrat ad omnes ſuas operationes tanquàm cauſa totalis & adæquata, ſed ſubordinata Deo, ſicut primæ cauſæ, quæ in eam plenum habet dominium, eamque per influxum prævium ac phyſicum determinat & applicat ad agendum. Plura in hanc rem doctiſſimus noſter *Reginaldus* in ſuo Opere *De Mente Concilii Tridentini* ex Scriptura Sacra, ex Concilio Tridentino, ex Catechiſmo Romano, ex Sanctis Patribus, præſertim *Auguſtino*, & *Thoma*, adducit argumenta, ad quæ nec hiſcere, nec muſſitare auſus eſt *Livinus De Meyer*, de quo ſubindè jure dicere poſſum, quod Poeta *Virgilius* libro primo *Æneidos* ait de *Hectore* præliante cum Achille: *Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli*.

His præmiſſis Obſervationibus, nunc pauliſpèr expendamus ea *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ *Livinus De Meyer* magno quidèm, ſed irrito conatu, congerit, ut ſuæ de partialitate cauſarum, & de Moliniana Gratia congrua ſententiæ aliquam auctoritatem & veri ſpeciem conciliare valeat. Et primò citat Molinianus ille Scriptor *S. Auguſtinum*, qui cap. V. libri *de Gratia & libero arbitrio* hæc de Apoſtolo *Paulo* dicit: *Nec Gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed Gratia Dei cum illo*. Ex quibus *S. Auguſtini* verbis infert *Livinus De Meyer*, Deum, & creaturam liberam concurrere *tanquàm cauſas partiales* in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu.

Sed, ut candidè dicam, faciliùs iſte Molinianus Diſputator Tiberis, & Nili aquas conjungeret, vel oleum ex pumice extunderet, quàm ſimilem, & tam peregrinam conſecutionem ex laudatis *S. Auguſtini* verbis elicere poſſet. Ibi quippè Aquilinus ille Doctor agit de Gratia cooperante, qua Deus, & creatura libera, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, con-

concurrunt tanquàm duæ cauſæ (non *partiales* , ſicut , poſt *Molinam* , falsò pertendit *De Meyer*) ſed *totales* , & *adæquatæ* , quarum una , ſeu creatura libera , eſſentialitèr ſubordinatur alteri , ſcilicèt Deo , qui , ut prima & efficientiſſima rerum omnium cauſa , efficit ut cauſa ſecunda , ſeu creatura libera , per prævium & phyſicum influxum , quem recipit à Deo , ſe ſe determinet liberè , & , tanquàm cauſa ſecunda *totalis* , & *adæquata* , à Deo dependens , producat ſimul cum Deo omnes ſuas operationes . Tantùm autem abeſt , ut *S. Auguſtinus* , loco citato à *Livino De Meyer* , vel levitèr innuat, Deum & hominem concurrere tanquàm duas cauſas *partiales* in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, ut potiùs ibidèm S. ille Doctor apertè contrarium evincat his verbis ſequentibus (quæ de induſtria *Livinus De Meyer* tacuit , vel legere noluit) *ut autem* (eò loci proſequitur *S Auguſtinus*) *de cælo vocaretur* (Paulus) *& tam MAGNA , ET EFFICACISSIMA vocatione converteretur , Gratia Dei erat SOLA , quia merita ejus erant magna , ſed mala*.

Expendat nunc, quæſo, *Livinus de Meyer* (ſed ſedato animo , & abdicatis , ut par eſt, anteceptis Scholæ ſuæ Molinianæ præjudiciis) & clarè nobis oſtendat , hanc Sancti *Auguſtini* doctrinam cohærere poſſe cum Moliniana ſententia de partialitate cauſarum , Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu ? *Molina* , ejuſque Diſcipulus *Livinus de Meyer* , ſententiæ *de partialitate cauſarum* , *Dei ſcilicèt & hominis* , acerrimi defenſores, docent, quantitatem Gratiæ nihil facere ad majorem *intenſionem* actus contritionis, ſed id à *majori* liberi humani arbitrii *conatu* eſſe deſumendum: *Auguſtinus* majorem intenſionem actus contritionis ad excellentiam Divinæ Poteſtatis reducit lib. 2. *De Peccatorum meritis & remiſſione* cap. V. ubi hæc habet : *Cur autem* (Deus) *illum adjuvet , illum non adjuvet , illum tantùm* (ſeu tam intensè) *illum non tantum* , (ſeu remiſſè) *iſtum illo , illum iſto modo ? penès ipſum eſt , & æquitatis tam ſecretæ ratio eſt excellentia poteſtatis* .

Efficaciam auxilii *ab effectu* ſumenda eſſe docent *Molina*, & *Livinus de Meyer* , ſententiæ *de partialitate* cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis , defenſores : *Auguſtinus* efficaciam effectus ex efficacia divinæ Gratiæ petendam eſſe diſertè profitetur . Auxilia omnia Gratiæ ut *efficacia ſint* , & inefficacia non reddantur , pendere ex humanæ voluntatis conſenſu , per quem Gratia Dei, quæ eſt de ſe verſatilis & indifferens , determinatur & redditur efficax , per diſſenſum verò evadit ineſficax; affirmant *Ludovicus Molina*, & *Livinus de Meyer*, ſententiæ *de partialitate* cauſarum , Dei ſcilicèt & hominis , vindices & Aſſertores : *Auguſtinus* verò Divinæ Gratiæ efficaciam , quæ facit ut infallibilitèr benè operemur , deſumit ex omnipotentiſſimâ Dei poteſtate , cui nullum humanum reſiſtit arbitrium . *Ludovicus Molina* , & *Livinus de Meyer* docent, à *ſola hominis libertate* evenire cur unus conſentiat peccato, & non alter ; ſicque facillimè rationem aſſignant , cur hunc Deus adjuvet, non illum. At, *S. Auguſtinus*, cur iſte peccato conſentiat, alter non conſentiat ? *cur Deus hunc trahat, & illum non trahat* ? altum cenſet eſſe *Myſterium*, quod penetrare non audet, quodque omnes fideles prono capite adorare debent: *Noli judicare , ſi non vis errare*,

Ex ſententia *Ludovici Molinæ* , & *Livini De Meyer* de partialitate cauſarum, *Dei ſcilicèt & hominis*, *in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, abſurdæ illæ (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè oſtendi) deducuntur conſecutiones, videlicèt, quòd homo, partialiter concurrendo cum Deo, & determinando per ſui liberi arbitrii conſenſum Gratiam verſatilem & indifferentem, inſuperbire poſſit, quòd propriis liberi ſui arbitrii viribus benè uſus fuerit Gratia verſatili, eam per conſenſum ſuum reddendo efficacem; quòd locum gloriandi habeat , ſe ſe diſcernen-

Digitized by Google

nendo ab alio, qui eadem Gratia verſatili, ſibi à Deo oblata, malè uſus eſt, eamque per ſuum diſſenſum reddidit inefficacem; quòd non debeat homo orare Deum ut divina Gratia benè utatur, cùm bonus uſus Gratiæ (in hac *Molinæ*, & *Livini De Meyer* ſententia) non ſit à Gratia, ſed à libero hominis arbitrio; quòd itidèm non debeat homo pro bono uſu Gratiæ Deo rependere grates, quia (in hac Moliniſtarum ſententia de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis) bonum uſum Gratiæ non à Deo acciperet homo, ſed à ſe ipſo; quòd denique Deus non eſſet omnipotens, quia (in hac Moliniſtarum de partialitate cauſarum ſententia) Deus nec bonam hominis determinationem, nec ejus conſenſum, nec bonum uſum Gratiæ faceret, ſed ſolus homo, qui tanquam cauſa partialis concurreret cum Deo in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, & per peculiarem liberi ſui arbitrii influxum eſſet ſola cauſæ ſuæ bonæ determinationis, & boni uſus Gratiæ. Porrò, omnes iſtæ conſecutiones, quæ effluunt ex iſta Moliniſtarum ſententia *de partialitate cauſarum, Dei, ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, ſunt è diametro oppoſitæ principiis doctrinæ *S. Auguſtini*, ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis memini multis argumentis me demonſtraſſe.

Ex hac igitur collatione principiorum Molinianæ doctrinæ cum principiis doctrinæ Sancti *Auguſtini*, facilè intelligere potes, nullum planè in Operibus Aquilini illius Doctoris (quidquid contra obſtrepat *Livinus De Meyer*) extare vel minimum veſtigium iſtius peregrinæ ſententiæ *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*.

XI. Sed inquit *Livinus de Meyer*: Pluribus in locis docet *S. Auguſtinus*, Gratiam ex conſenſu noſtro habere quòd ſit efficax, & conſenſum, quem Gratiæ præſtat homo, eſſe cauſam cur convertatur, alio homine per ſuum diſſenſum in malitia perſeverante, ergò ex *S. Auguſtino*, Gratiam ex conſenſu noſtro habere quòd ſit efficax, & conſenſum, quem Gratiæ præſtat homo, eſſe cauſam cur convertatur, alio homine per ſuum diſſenſum in malitia perſeverante, ergò ex *S. Auguſtino*, Deus in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu concurrit ut cauſa partialis, offerendo videlicèt homini Gratiam verſatilem & indifferentem; homo etiam concurrit tanquàm cauſa partialis, determinando per ſuum conſenſum Gratiam verſatilem & indifferentem, eamque reddendo efficacem. Antecedens probat *Livinus De Meyer* variis *S. Auguſtini* teſtimoniis, quæ collegit ex ſuo Concellita Patre *Annato* Diſput. I. *De Scientia Media* cap 4 Parag. 3. In primis, Sanctus *Auguſtinus* lib. I. ad *Simplicianum*, Quæſt. 2 hæc habet: *Ut velimus, & ſuum voluit Deus & noſtrum: Suum vocando, noſtrum ſequendo*. Et cap. 33. libri *De Spiritu & Littera* ſic ſcribit Sanctus ille Doctor: *Viſorum ſuaſionibus agit Deus ſive extrinſecùs ſive intrinſecùs; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*. Poſtremò, *S. Auguſtinus* cap. 6. lib. 12. *De Civitate Dei* diſertè docet, Deum homines ſuo libero permittere arbitrio, & ideò aliquos homines non converti, quia nolunt, alios verò converti, quia volunt. Rem totam illuſtrat ibidèm S. ille Doctor exemplo duorum hominum, qui, æqualiter corpore & animo affecti eamdem mulierem reſpiciunt, & quorum unus concupiſcit, alter verò eam non concupiſcit. Hanc iſtius in utroque homine diſcriminis cauſam refert *S. Auguſtinus* ad liberum hominis arbitrium, videlicèt quia hic tentationi conſentire voluit, alter conſentire noluit. Eodem collimant varia alia Sancti *Auguſtini* loca, à *Livino de Meyer* relata, in quibus Aquilinus ille Doctor conſenſum, quem divinæ Gratiæ præbet humana voluntas affert tanquàm cauſam cur credamus & Deum vocantem ſequamur.

In his, & aliis ſimilibus *S. Auguſtini* congerendis teſtimoniis fruſtrà laborat *Livinus de Meyer*. Vult enim *S. Augu-*

ſtinus

Digitized by Google

ſtinus vocationem ita eſſe Dei, ut ab eo ſolo ſit, non à nobis; conſenſum autem eſſe à nobis, & reverà dici noſtrum, quia fit per noſtram voluntatem tanquàm per cauſam ſecundam, quæ à Deo (cui, velut primæ rerum omnium cauſæ, eſt ſubordinata) præparatur, & inclinatur, ut vocationem Dei ſequatur eique conſentiat: *Intelligant, ſi filii Dei ſunt* (ait S. Auguſtinus) *ſpiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant*. Deus enim & creatura libera (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis jam contra *Livinum de Meyer* commonſtravi) non concurrunt in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu tanquàm cauſæ partiales, ſed tanquàm cauſæ totales & adæquatæ, ita ut Deus, velùt prima cauſa, per ſuum prævium & phyſicum influxum determinet & applicet creaturam liberam ad agendum; creatura verò libera, ut cauſa ſecunda, à Deo cui ſubordinatur, applicata ac determinata, ſe ſe liberè determinet, omneſque ſuas operationes, tanquàm cauſa totalis & adæquata, producat.

Similitèr, quandò *S. Auguſtinus* ait, cauſam cur ex duobus hominibus, eamdem mulierem adſpicientibus, unus eam concupiſcat, alter non concupiſcat, eſſe liberum utriuſque arbitrium; aſſignat ibi dumtaxàt S. ille Doctor cauſam proximam, cur unus concupiſcat objectum vetitum, alter non concupiſcat. Fatentur porrò omnes Thomiſtæ cum *S Auguſtino*, cauſam proximam cur unus concupiſcat objectum vetitum, alter non concupiſcat, eſſe liberum utriuſque arbitrium, ita tamen ut reſpectu conſentientis ad malum, non ſit ulterior cauſa quærenda, quàm liberum hominis arbitrium, & illius conſenſus; qui, in quantùm malus & defectivus eſt, non poteſt refundi, ut talis niſi in voluntatem hominis defectibilem, utpotè creatam ex nihilo, non verò in divinam voluntatem, quæ eſt planè indefectibilis, ſicut pluribus in locis docet *S. Auguſtinus*: At verò reſpectu illius hominis, qui non conſentit, ſed reſiſtit tentationi, aſſerunt Thomiſtæ cum *S. Auguſtino*, hujus reſiſtentiæ, quæ habet rationem boni, tametſi etiam cauſa proxima ſit ejus voluntas, primam tamen illius reſiſtentiæ cauſam ajunt Thomiſtæ cum *S. Auguſtino*, eſſe divinam voluntatem, quæ ſic movet & determinat hominis voluntatem, ut tentationi non ſuccumbat. Voluntas quippè hominis (ut centiès ait S ille Doctor) ideò reſiſtit tentationi, & benè operatur, quia ipſius voluntas *à Domino præparatur, & præparata adjuvatur*. Verbo dicam, vult *S. Auguſtinus*, & cum ipſo docent omnes Thomiſtæ, *Vocari* noſtrum non eſſe, ſed Dei tantùm; at verò *conſentire vocationi*, noſtrum eſſe, ita tamen, ut ſit etiam Dei, qui in nobis, tanquàm cauſa prima, cauſa totalis & adæquata, bonam illam voluntatem producit; juxtà illud Apoſtoli: *Quid habes, quod non accepiſti? Et Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*.

Jam verò, vide nunc, ſi placet, quantùm *Molinæ* ſententia, *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu*, abhorret à genuina *S. Auguſtini* doctrina. In primis, S. ille Doctor paſſim in ſuis Operibus ait, *reſiſtere tentationi*, & *converti ad Fidem* eſſe donum Dei, *voluntatem hominis præparantis*, *& præparatam adjuvantis*. Aſt, *Molina* pertendit, cum æquali auxilio Gratiæ ex parte Dei, pro ſola humani arbitrii libertate, unum reſiſtere tentationi, alterum ei ſuccumbere; unum converti ad Fidem, non alterum. Sic enim *Molina* mentem ſuam clarè aperit in *Concordia* Quæſt. 14. Art. 13. Diſp. 12. Parag. *Ex dictis*: SI DUO ÆQUALES (inquit) PER OMNIA ET IN OMNIBUS *concupiſcant eamdem mulierem pulchram, evenire poteſt à* SOLA LIBERTATE UTRIUSQUE, *ut unus conſentiat in peccatum, eam concupiſcendo, alter non item. Eademque eſt ratio de eodem modo affectis, æqualitèrque à Deo ad Fidem vocatis. Pro ſola namque eorum libertate poteſt evenire, ut unus complectatur Fidem, alter verò eamdem contemnat.* Idem docet *Molina* Quæſt.

23. Art. 4. & 5. Diſput. I. Memb xi. Parag. *Denique*. Undè patet, *Ludovicum Molinam* converſionem unius hominis præ altero, atque victoriam de tentatione reportatam *in ſola hominis innatam libertatem*, ſeu in ingenitas naturæ vires reſudiſſe, ſubindèque illum Moliniſtarum coryphæum, à doctrina *S. Auguſtini* quàm longiſſimè deſciviſſe.

Prætereà, *S. Auguſtinus* majorem intenſionem actus contritionis, ad Dei Gratiam, ſeu *ad excellentiam Divinæ poteſtatis* reducit (ſicut paulò antè oſtendi) *Molina* verò Quæſt. 14. Art. 13. Diſput. 39. Parag. *Illud prætereà*, majorem intenſionem actus contritionis non in Gratiam Dei, ſed in ſolam hominis innatam libertatem, ſeu in congenitas naturæ vires refundit. Hæc ſunt loco mox à me laudato ipſiſſima *Molinæ* verba: *Illud prætereà vehementèr diſplicet, quod ſubjungunt adverſarii, videlicet pro* QUANTITATE AUXILII GRATIÆ COOPERANTIS *ſpectandam eſſe quantitatem actus, quem liberum arbitrium, tali auxilio adjutum, producit: quaſi exiſtente æquali auxilio Dei, non poſſit eſſe intenſior aut ferventior actus contritionis aut dilectionis in homine uno, quàm in alio, quamdiù in via ſunt: aut exiſtente auxilio inæquali, non poſſit eſſe æqualis actus in duobus, aut major in eo, qui minori auxilio adjuvatur. Etenim cùm liberum arbitrium unà cum auxilio Dei efficienter in actum, quo ſe ad juſtificationem diſponit, influat, ſitque cauſa libera, potens majori aut minori conatu pro ſua libertate influere; utiquè ab inæquali conatu & influxu liberi arbitrii evenire poteſt*, UT CONFERENTE DEO DUOBUS HOMINIBUS ÆQUALE AUXILIUM GRATIÆ *adjuvantis, unus eorum intenſiùs operetur, meliùſque ſe diſponat ad Gratiam juſtificantem, quam alius; & ut, conferente eiſdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdùm plus, qui minori ſuffultus eſt auxilio*. Sic *Ludovicus Molina*, ſententiæ *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis*, acerrimus defenſor, majorem minoremve ſupernaturalium actuum intenſionem ingenitis naturæ viribus tribuit, non Gratiæ; nec advertit, liberum arbitrium in actus, quibus ad juſtificationem diſponitur, influere quidèm, ſed non ut cauſa naturalis eſt, ſed quatenùs per Gratiam ſuper naturæ ſortem evectum eſt. Quò fit, ut major minorve contritionis intenſio, non ex majori minorive naturæ conatu penſandus ſit, ſed ex majori minorive Gratiæ, naturam ſublimantis ad ordinem ſupernaturalem, elevatione.

XII. Vidit quidèm *Livinus De Meyer* quò eum duceret ſententia *Molinæ*, aſſerentis, concurſum *partialem* liberi arbitrii in productione actuum ſupernaturalium eſſe *naturalem*, & ideò profitetur, ſe hac in re *Molinam* deſerere, & exiſtimare, concurſum *partialem* liberi arbitrii in productione actuum ſupernaturalium non eſſe *naturalem*, ſed *ſupernaturalem*. Verùm, verba tantùm & voces dat *Livinus De Meyer*, & reapsè à *Molinæ* ſententia non diſcedit, quippè qui cum *Suareſio* admittit in homine *potentiam obedientialem, naturalem, congenitam, activam, & proximè elicitivam actuum ſupernaturalium*. Undè ſic primò argumentor: Vel hæc potentia obedientalis naturalis, congenita, activa, & proximè elicitiva actuum ſupernaturalium, quam in homine admittit *Livinus De Meyer*, poteſt ex ſe ipſa exire in actum ſupernaturalem, vel non? ſi reſpondeat *Livinus de Meyer*, non poſſe; ergò (ipſe inferam) hæc potentia obedientialis, naturalis, congenita, & activa, eſt planè Chymerica, quia (juxta ejuſdem *Livini De Meyer* principia) ideò chymerica eſt potentia in ſenſu diviſo *Thomiſtico*, quam dat Gratia ſufficiens *Thomiſticè*, quia hæc potentia (inquit Molinianus ille Scriptor) non poteſt in ſenſu compoſito (id eſt, ſtante in homine Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci) prodire in actum.

Quòd ſi affirmet *Livinus De Meyer*, hanc potentiam obedientialem, naturalem, & proximè elicitivam actuum ſupernaturalium (quam ipſe una cum

Sua-

Suarezio in homine admittit) poſſe ex ſe ſola exire in actum; igitur (inferam ipſe) habet liberum hominis arbitrium *ex natura ſua*, quod poſſit activè & immediatè producere per potentiam illam obedientialem, activam, naturalem, ſibique innatam, actus ſupernaturales; igitur *Livinus De Meyer* in ipſa natura, ſeu in congenitis liberi arbitrii viribus conſtituit virtutem, ſeu potentiam, quam habet homo, producendi actus ſupernaturales, ſubindèque *partialis* ille liberi arbitrii concurſus, quem in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu admittit *Livinus De Meyer*, eſt *naturalis*, nec filo diſcedit a *partiali* illo liberi arbitrii concurſu, quem in productionem actuum ſupernaturalium *naturalem* eſſe, & ex congenitis liberi arbitrii viribus profectum, luculentiſſimè docet *Molina*.

Præterea, ſic argumentor: Vel hæc potentia obedientialis activa, & proximè elicitiva actuum ſupernaturalium (quam *Livinus de Meyer* pertendit eſſe naturalem, homini innatam & congenitam) præcontinet actus ſupernaturales, vel non præcontinet? ſi illos præcontineat, ergò hæc potentia obedientialis activa, quæ (juxta *Livinum de Meyer*) eſt homini naturalis, innata & congenita, poterit ex ſe producere actus ſupernaturales, & ſic *Livinus de Meyer* planè conſentiet cum *Molina*, qui congenitis liberi arbitrii viribus tribuit potentiam, activam, ſeu virtutem producendi activè & phyſicè actus ſupernaturales. Quòd ſi verò hæc potentia obedientalis activa in ſe non præcontineat actus ſupernaturales, igitùr perperàm à *Suareſio*, & à *Livino de Meyer* vocitatur *activa*, & *proximè elicitiva actuum ſupernaturalium*, cum notum ſit omnibus tam Theologis, quàm philoſophis, cauſam illam non poſſe dici *activam*, & *proximè elicitivam eorum actuum*, quos in potentia, ſeu in virtute, non præcontinet.

Videat ergò *Livinus de Meyer*, quo pacto ab utroque argumento, quod illum utrinquè ferit, ſeſe expedire valeat? tu verò, ſi plura ſcire deſideres tàm de hac *Molinæ* ſententia de partialitate cauſarum in producendis actibus ſupernaturalibus, quàm de potentia obedientiali activa, quam homini eſſe innatam, & proximè elicitivam actuum ſupernaturalium, cum *Suareſio* contendit *Livinus de Meyer*, legeſis noſtrum *Vincentium Ferre* in ſuo Tract. IV. *de Charitate*, ubi utramque ſententiam invictis argumentis oppugnat. Adeas etiam *Gonetum & Contenſonum*, doctiſſimos Familiæ Dominicanæ Theologos, in *Tractatu de Viſione Beatifica*, ubi improbant primò ſententiam quorumdam Theologorum (quibus nuperrimè aſſentitur *Livinus de Meyer*) qui aſſerebant, lumen gloriæ *partialitèr* concurrere cum intellectu beatifico ad viſionem divinæ eſſentiæ, atque intellectum hominis beati, quò perſpicacior ac perfectior eſt, cum æquali lumine gloriæ perfectiorem & intenſiorem divinæ eſſentiæ viſionem producere. Secundò, doctiſſimi illi Theologi ibidèm ſententiam *Suareſii* (quam obviis ulnis amplectitur *Livinus de Meyer*) de potentia obedientiali activa, homini congenita, & proximè elicitiva actuum ſupernaturalium, eo potiſſimùm nomine rejiciunt, quòd ipſis Pelagianiſmum redolere videatur. Digitum ad fontem intendiſſe ſat ſuperque in præſentia ſufficiat.

XIII. Supereſt nunc ut brevitèr exponam præcipuum *S. Auguſtini* teſtimonium, quod adducit *Livinus de Meyer*, ut probet, S. illum Doctorem apertè faviſſe doctrinæ de *Gratia congrua*, qualis nunc in Schola Moliniana docetur, quæque admittit partialitatem cauſarum, Dei ſcilicèt & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu. Hoc autem *S. Auguſtini* teſtimonium deſumit *Livinus de Meyer* ex Libro I. Quæſtionum ad *Simplicianum* Qu. 2. ubi ſummus ille Gratiæ Doctor mentem ſuam his verbis apertè declarat: *Verum eſt ergò: multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi qui congruentèr vocati, illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſequuti, quamvis vocati. Iterùm, verum eſt: Non volentis, neque currentis*,

tis, ſed miſerentis eſt Dei, quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodò eis vocari aptum eſt, ut ſequantur...... Cujus ergò miſeretur, ſic eum vocat, quomodò ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat.... Videmus enim alios alitèr iiſdem rebus demonſtratis vel ſignificatis ad credendum moveri. Ergò (infert *Livinus de Meyer*) disertè eò loci docet *S. Auguſtinus*, Deum per Scientiam Mediam prævidere, qui modi, quæ circumſtantiæ congruant ad obtinendum conſenſum hominis, *partialitèr* cum Gratia concurrentis in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, illoſque homines, quos prædeſtinavit, collocare in his circumſtantiis congruis, in quibus prænovit Deus, illos Gratiæ verſatili & indifferenti aſſenſum præbituros, ſubindéque credituros; aliis verò hominibus, quos non prædeſtinavit, & quibus Fidei Donum, & gloriam æternam largiri non voluit, has congruas & commodas circumſtantias denegaturum, eoſque in his locis, temporibus ac circumſtantiis repoſiturum, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, illos Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, diſſenſuros, eamque per ſuum diſſenſum reddituros incongruam & inefficacem.

Idem *S. Auguſtini* teſtimonium objicit Thomiſtis *Gabriel Daniel*, alter Molinianæ Scholæ Theologus, in Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, ubi hæc habet: *Ponderandæ ſunt attentiùs hæ S. Auguſtini voces*: Eum ſic vocat, quomodò ſcit congruere, ut vocantem non reſpuat. *Neque enim hanc vim & ſententiam præ ſe ferunt, ut Deus in indole ac natura ipſius Gratiæ per ſe ſpectatæ cognoſcere intelligatur effectum, quem eſt habitura, quin paritèr cognoſcat, quomodò ſit hujus hominis libertati congruens & accomodata ..... Iſta Gratiæ convenientia, proportio, & quædam quaſi συμπαθεια, exprimitur hac voce* congruere: *cujus ea vis eſt, ut ſignificet, Deum accommodare Gratiam libertati hominis & aptare, ita ut ejus conſenſum impetret, cognoſcit ex eo modo, quo eamdem Gratiam aptat, componit, accommodat*, quomodò ſcit congruere: *conſiſtitque ille modus in bonis, quas illi ſubjicit, cogitationibus, appoſitis ad circumſtantias, in quibus eum colluſtrat ac movet. Verbi cauſa, cum adverſo aliquo caſu, repentina calamitate perculſus res terrenas faſtidire incipit: cùm luctuoſa contubernalis alicujus & earumdem libidinum Socii morte attonitus ac defixus trepidat: cùm leviùs urunt animum impotentem cupiditatum faces, aut etiàm penitùs reſtinctæ ſunt. Si Gratiam hanc alio tempore, loco, rerum ſtatu alio, impertiret, careret iſta congruitate, convenientia & proportione, ex qua ſuſpenſum aptumque illius effectum eſſe Deus per ſcientiam conditionalium*, (ſeu per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem) *comperit. Patet igitùr* (concludit Gabriel Daniel) *quæ ſit Sancti Auguſtini mens, ac facilè intelligitur, eum efficaciam Gratiæ nequaquàm poſuiſſe in Prædeterminatione Phyſica, ſed in Gratiæ convenientia & conſenſu cum libero arbitrio, quem certis in circumſtantiis futurum Deus novit, in aliis non futurum.*

Certè mirari vehementèr ſubit, quòd Moliniani iſti Theologi *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* ſuam Molinianam Gratiam *Congruam*, attemperatam conſenſui, genio, & indoli hominis, atque locis, temporibus & circumſtantiis accomodatam, velint iiſdem *S. Auguſtini* comprobare teſtimoniis, quibus *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli ſuam itidèm Gratiam *congruam*, gradibus oppoſitæ terrenæ concupiſcentiæ attemperatam, & humanæ voluntati benè operandi antecedentem neceſſitatem inferentem, totis viribus adſtruere moliuntur. Et tamen reverà ſic eſt: *Janſenius* quippè, ejuſque Diſcipuli, ad ſtabiliendam ſuam Gratiam, quam vocant *congruam*, ſemper laudant, & in ore habent eadem prorsùs loca & teſtimonia *S. Auguſtini*, quibus ipſimet Moliniani Theologi *Livinus de Meyer*, & *Gabriel Daniel* ſuam pariter Molinianam Gratiam *congruam* fulcire conantur.

Mirum ſanè, quòd Janſeniani, & Moliniani ad oppugnandos Thomiſtas iiſdem

iiſdem armis utantur, ſed fruſtrà omninò; cùm jam in meis ſuperioribus Epiſtolis plenè planèque evicerim, *S. Auguſtinum*, ſummum Gratiæ Doctorem, Gratiam *congruam* Moliniſtarum prorsùs repudiaſſe, à Gratia verò *congrua* Janſenii, ejuſque Diſcipulorum penitùs abhorruiſſe. Attamen, quia *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer*, Gratiæ *congruæ* Molinianæ acerrimi defenſores, audent *S. Auguſtini* patrocinio gloriari, in rem tuam facturum me eſſe exiſtimo, ſi, ad retundendam inanem illorum jactantiam, breviter hìc oſtendam, quàm perperàm duo illi Moliniani Scriptores, in præſidium ſuæ Gratiæ *congruæ*, *S. Auguſtinum*, invitum ac reluctantem, in ſuas partes trahere pertentent.

Et primò quidèm dico, veram & genuinam mentem *S. Auguſtini*, circà doctrinam Gratiæ, potiſſimùm hauriri debere ex libris, quos S. ille Doctor ſcripſit poſt exortam Pelagianorum hæreſim. Porrò conſtat, duos libros Quæſtionum ad *Simplicianum* fuiſſe à *S. Auguſtino* anno Epiſcopatus ſui ſecundo, ideſt, ſexennio antequàm pullularet hæc Hæreſis, conſcriptos. Teſtatur autem ipſemet *S. Auguſtinus*, Sanctos Doctores, qui contra hoſtes Gratiæ Chriſti Pelagianos & Semipelagianos dimicare coacti ſunt, accuratiùs Eccleſiæ doctrinam circa Gratiam & Prædeſtinationem expreſſiſſe, quàm anteriores Patres, & Eccleſiæ Doctores, qui, etiamſi in eadem ſententia, quam hauſerant ab Apoſtolo *Paulo*, verſarentur, cùm tamen à nullis premerentur Adverſariis, minùs accuratè, in ſermonibus præſertim, quos habebant ad populum, de hoc argumento diſputabant. De *S. Chryſoſtomo* ſic Lib I. contra *Julianum* num. 22. aliàs cap. 6. ſcribit Aquilinus Doctor: *Vobis* (ideſt Pelagianis) *nondùm litigantibus, ſecuriùs loquebatur*. Et lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 14. ait. *Certè enim, ſi de divinarum ſcripturarum Tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defenſionem hujus ſententiæ, quam nunc ſolito diligentiùs atque copioſiùs contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem ... Profectò hi Fratres, pro quibus nunc agimus, adquieſcerent ..... Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur Opuſcula, qui, priuſquàm iſta Hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari: quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur*.

Non igitur doctrina *S. Auguſtini* de Gratia, & de Prædeſtinatione hauriri debet ex libris, quos edidit antè obortam Pelagianorum Hæreſim, ſed ex libris, quibus data opera hanc hæreſim oppugnavit, quique extant in Tomo decimo illius Operum Editionis Monachorum Benedictinorum Congregationis *S. Mauri*; inter quos *S. Auguſtini* libros potiſſimùm iſti conſuli debent, *De Gratia Chriſti*: *De perfectione juſtitiæ*: *De Correptione & Gratia*: *De Prædeſtinatione Sanctorum*: *De Dono Perſeverantiæ*. Quibus addi debent Epiſtola 217. aliàs 107. ad *Vitalem*, & Epiſtola 194 aliàs 105. ad *Sixtum*. Hinc eſt, quòd S. Doctor cap. 2. lib. I. *Retractationum* candidè fateatur, ſe quidèm in hiſce duobus libris ad *Simplicianum* tribuiſſe multùm libero hominis arbitrio, ita tamen ut in fine omnia retulerit ad Gratiam divinam: *In hujus* (inquit) *Quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidèm pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed tandèm vicit Gratia Dei, nec niſi ad illud perveniri potuit, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus; Quis enim te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Quod volens etiam Martyr Cyprianus attendere, hoc totum ipſo titulo definivit, in nullo eſſe gloriandum, quandò noſtrum nihil eſt*. Atqui, in ſententia defenſorum Molinianæ Gratiæ *congruæ* poſſet homo juſtè gloriari in ſe ipſo, quòd videlicèt, in his circumſtantiis, locis & temporibus conſtitutus, Gratiam verſatilem, & indifferentem, ſibi oblatam à Deo, per ſuum conſenſum, reddiderit congruam & efficacem, dùm alter homo in iiſdem circumſtantiis, locis & temporibus collocatus, eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem reddidit, per ſuum diſſen-

Digitized by Google

diſſe[illegible]um, incongruam & inefficacem.

Nulla igitur ratione dici poteſt, *S. Auguſtinum* voluiſſe in hiſce duobus ad *Simplicianum* libris ſtabilire Gratiam *congruam*, quam modò defendit Schola Moliniana, ſed potiùs dicendum eſt cum noſtro *Thoma de Lemos* (cui in ſecundâ Congregatione *De Auxiliis*, coràm PAULO V. Summo Pontifice, die 20. menſis Septembris anni 1605. habitæ, *Ferdinandus de Baſtida* eadem *S. Auguſtini* teſtimonia, petita ex Libro 1. ad *Simplicianum*, Quæſtione 2. ad probandam Gratiam *congruam* Molinianam propoſuit) dicendum eſt, inquam, hæc *S. Auguſtini* teſtimonia (quæ nunc, poſt *Ferdinandum de Baſtida*, recantant *Daniel*, & *De Meyer*) eſſe exponenda de *congruitate*, non à natura, non à conſenſu, genio, & indole hominis, non à circumſtantiis, locis, & temporibus profecta, ſicut docent Moliniſtæ; ſed de *congruitate*, quam ipſamet facit Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax, ita ut Deus unumquemque eo modo vocet, quem aptum & congruum novit ut ſequatur & credat, quatenùs apprimè novit vim & efficaciam Gratiæ ſuæ, quæ illum, ad ſequendum & credendum, aptum & congruum facit, ſicut profitentur omnes Thomiſtæ.

Præterea dico, *S. Auguſtinum*, dùm ait, ex his, qui vocantur à Deo, alios ſequi, alios non ſequi, quia vocatio illis congruit; loqui dumtaxàt de vocatione externa, idque à S. illo Doctore aſſeri abſque ullo præjudicio Gratiæ interioris, per ſe & ab intrinſeco efficacis, cujus beneficio, poſita illa externa vocatione, Deus operatur in cordibus ipſum conſenſum, & efficaciter voluntatem inclinat ad benè operandum. Hanc autem *S. Auguſtini* doctrinam, tanquàm veriſſimam, tutantur omnes Thomiſtæ, acerrimi Gratiæ ſe ipſa & ab intrinſeco efficacis vindices & aſſertores. Ajunt enim cum *S. Auguſtino* Thomiſtæ, Deum (dùm ſecundùm ordinarium ſuæ providentiæ curſum ad Gratiæ interioris per ſe efficacis ſuſceptionem hominem diſponit) uti nonnullis adminiculis, ſeu Gratiis externis, quarum quædam quibuſdam hominibus commovendis, ſunt aptiores, & magis congruæ. Cùm enim non una ſit omnium hominum diſpoſitio, contingit ſæpiùs, idque ipſa experientia conſtat, *alios aliter* (ut ait *S. Auguſtinus* ibidèm) *iiſdem rebus* (ideſt, iiſdem Gratiis & adminiculis externis) *demonſtratis vel ſignificatis*, *ad credendum moveri*, ſeu diſponi. Id, inquam, ultrò cum *Sancto Auguſtino* docent Thomiſtæ.

Sed quòd, prætèr illas Gratias externas, aliæ interiores Gratiæ non dentur, vel quòd (excluſa Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci) ea dumtaxàt admitti debeat Gratia interior, quæ (ſicut docent Moliniſtæ) cùm ſit ex ſe verſatilis, indifferens, & libero hominis permiſſa arbitrio, nos ad conſenſum non flectit & inclinat, ſed illum à nobis expectat, eumque, mediis illis externarum Gratiarum adminiculis, à voluntate humana obtinet; abſit ut unquàm Thomiſtæ id cenſeant, abſit ut dicant, id ne per ſomnium quidèm veniſſe in mentem *S. Auguſtini*, cùm certum ſit, S. illum Doctorem, contra Pelagianos, & Semipelagianos diſputantem, totum in id incubuiſſe, præſertim in Libro *De Correptione & Gratia*, ut adversùs illos probaret, non ſufficere ad benè operandum externa illa & congrua hortationum, correptionum, & Gratiarum adminicula, ſed inſupèr neceſſariam eſſe Gratiam interiorem, quæ a nullo duro corde reſpuitur, & per quam Deus interiùs conſenſum noſtrum, velle & perficere, miro & ineffabili modo operatur, efficacitèr corda noſtra flectendo & inclinando in bonum divinum.

Hæc autem *S. Auguſtini* doctrina planè funditùſque evertit Syſtema Moliniſtarum de Gratia *congrua*. Tantùm enim abeſt, ut hæc Gratia congrua interiùs operetur in nobis conſenſum, velle & perficere, ut potiùs Gratia congrua (ſicut fatentur ipſimet Moliniſtæ) nihil aliud ſit quàm Gratia verſatilis, indifferens, & libero hominis arbitrio ſub-

ſubdita, quam homo, in talibus locis temporibus, & circumſtantiis conſtitutus, per ſuum conſenſum reddit congruam & efficacem; non igitur Gratia Dei (in Syſtemate Moliniſtarum) operatur interiùs conſenſum noſtrum, velle & perficere; nec à Deo datur, ut primitùs cordis durities auferatur; nec denique ſuapte virtute corda noſtra flectit & inclinat in bonum divinum, ſed potiùs Gratia Dei, quæ (ut volunt Moliniſtæ) eſt ex ſe dumtaxàt verſatilis & indifferens, ut fiat in talibus locis, temporibus, & circumſtantiis *congrua* & efficax, pendet unicè à conſenſu voluntatis humanæ. Has interioris Gratiæ *congruæ* Molinianæ dotes, ſi quis Moliniſta conciliare velit cum his dotibus, quas *S. Auguſtinus* tribuit Gratiæ interiori efficaci, cujus neceſſitatem ad omnes exerendos pietatis actus invictis momentis contra Pelagianos & Semipelagianos probavit; ſciat ille Moliniſta, ſe *aut album corvum, aut teſtudinem volucrem priùs inventurum*, quàm poſſit unquàm ſimilem inire concordiam. Certè, alium judicem non volo quam *S. Auguſtinum* in eodem Libro I. ad *Simplicianum*, Epiſcopum Mediolanenſem, *Quæſtione* 2. ubi apertiſſimè docet, vocationem, qua Deus vult aliquem convertere ad Fidem, eſſe effectricem bonæ voluntatis, eamque, per modum cauſæ efficientis, applicare & conjungere cum effectu. Sic enim ibidèm loquitur Aquilinus ille Doctor: *Quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam Fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret cum effectu?* Porrò, modus, quo Deus aliquem vocat vocatione effectrici, ejuſque mentem ad Fidem applicat voluntatemque conjungit cum effectu, nihil aliud eſt, quàm Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax, & phyſicè prædeterminatrix. Igitur *Sanctus Auguſtinus* Lib. I. ad *Simplicianum*, Quæſtione ſecunda, admittit neceſſitatem Gratiæ ſe ipſa efficacis ad credendum, ac ſubindè ad omnes pietatis actus.

XIV. Ad calcem iſtius Epiſtolæ addam, nec addidiſſe pigebit brevem confutationem calumniæ, quam *Livinus de Meyer* cap. 13. primæ ſuæ Diſſertationis *De Mente Concilii Tridentini* affingit univerſæ Scholæ Thomiſticæ, dicens, Thomiſtas cum *Janſenio*, in hoc conſentire, quòd velint, *juſtis*, Gratia ſe ipſa efficaci deſtitutis, *præcepta Dei eſſe impoſſibilia*. Sed hanc putidam calumniam diſpungo duplici momento; & primò quidèm ex ipſamet confeſſione *Janſenii*, qui Cap. I. Lib. 8. *De Gratia Christi* candidè profitetur, *ſe ex integro cum neutra ſententia* (ideſt Thomiſtica aut Moliniſtica) *convenire, ſed aliquid ab utraque ſumere*. Et cap. 2. ejuſdem libri *Janſenius* ſeptem ponit diſcrimina inter *Gratiam Medicinalem*, quam ſe defendere pertendit, & *Phyſicam Prædeterminationem*, prout à Thomiſtis propugnatur. Hinc idem *Janſenius* in Epiſtola, quam ad Abbatem *Sancyranum* (cui mentis ſuæ arcana credere ſolebat) ſcripſit die 5. menſis Martii anni 1621. ait: *Immotis principiis compertum eſt, DOMINICANOS & JESUITAS, etiamſi ad finem ſæculorum diſputarent, quamdiù cœpto itinere pergent, ſemper magis ac magis à recta via aberraturos*.

Præterea, *Janſenius* docet, præcepta Dei quadrupliciter eſſe homini *poſſibilia*. Primò, *remotiſſimè* per *ſolam* liberi arbitrii facultatem *naturalem*. Secundò, *paulò propinquiùs* per ſolam Fidem. Tertiò, *multò pleniùs, propinquiuſque* per charitatem, qua juſtificatur homo. Quartò *completiſſimè*, cùm Spiritus Sanctus actualitèr movet, ut homo ſimul poſſit & velit agere *potentia cum actu conjuncta*.

A' quatuor illis *Janſenii*, & Janſeniſtarum modis explicandi poſſibilitatem præceptorum Dei quàm longiſſimè recedunt Thomiſtæ. Primam poſſibilitatem activam, etſi *remotiſſimam*, obſervandi præcepta Dei, quam *Janſenius* attribuit *ſoli* facultati *naturali* liberi arbitrii, rejiciunt omninò Thomiſtæ, quia redolet Pelagianiſmum. Duos alios ſequentes *Janſenii* modos explicandi poſſibilitatem, quam habet homo, obſervandi præcepta Dei, tanquàm *inſufficientes* paritèr explodunt Tho-

Thomiſtæ, quia per illos duos modos, quos admittit *Janſenius*, ponuntur *præcepta Dei* tantùm *poſſibilia* per habitus *Fidei*, & *Charitatis*, qui manent in dormiente, nec plùs quàm *habitualitèr* hominem reddunt potentem. Præterquàm quòd certiſſimè conſtat, plurimos habitibus Fidei, & Charitatis carere, quibus tamen per Gratiam actualem *ſufficientem* (in ſenſu Thomiſtico intellectam) præcepta Dei, ſunt verè poſſibilia, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè commonſtravi. Quartum denique poſſibilitatis modum, quem *Janſenius* appellat *completiſſimum*, quemque reponit in potentia conjuncta cum actu, per quam homo actualitèr operatur, & non solùm *poteſt*, ſed etiam *vult* obſervare præcepta Dei; hunc, inquam, *Janſenii* quartum *poſſibilitatis* modum, quem *completiſſimum* appellat, repudiant omnes Thomiſtæ, quia (juxta intima doctrinæ *Janſenii* principia, quæ lato calamo in meis ſuperioribus Epiſtolis expoſui) homo, etiam juſtus, qui caret Gratia efficaci (ideſt, ut vult Janſenius) qui caret indeliberata cæleſti delectatione relativè victrice, quæ ſit ſuperior, major, & fortior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, habet, inquam, tunc dumtaxàt ille juſtus (juxtà *Janſenii* doctrinam) Gratiam, quam ille vocitat *parvam*, quæ, cum ſita ſit (juxta eumdem *Janſenium*) in indeliberata cæleſti delectatione, quæ minor eſt ac debilior indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatione relativè victrice, non dat potentiam proximam, completam, expeditam, & relativam vincendi ac ſuperandi hanc oppoſitam concupiſcentiæ ſuperiorem delectationem, ſed ei neceſſariò cedere debet. Quò fit, ut in Syſtemate *Janſenii* ſola Gratia efficax ſit *verè ſufficiens*, quæ ſimul dat *& poſſe & agere*, nullaque alia, prætèr hanc Gratiam efficacem, detur in ſtatu naturæ lapſæ Gratia, quæ ſit verè ſufficiens, & quæ conferat homini veram, completam, proximam, & expeditam potentiam obſervandi mandata Dei, & ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus. Ab hoc capitali *Janſenii* errore abhorrent omnes Thomiſtæ, quippè qui (ut ſæpiùs dixi) docent, dari in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam *verè ſufficientem*, à Gratia per ſe efficaci ex natura ſua diſtinctam, quam Deus omnibus vel confert, vel offert, & per quam homines (independentèr à Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci) habent poteſtatem veram, completam, proximam, & expeditam obſervandi præcepta Dei, & ſuperandi omnes cupiditatis gradus, qui reperiuntur in ſubjecto, quamvis tamen ad actu obſervanda mandata Dei, & ad vincendos omnes cupiditatis gradus, qui ſunt in ſubjecto, neceſſaria omninò ſit Gratia efficax, in ſenſu Thomiſtico intellecta, cujus beneficio homines actu obſervant mandata Dei, & ſuperant omnes oppoſitos terrenæ concupiſcentiæ gradus.

Plura contra *Livinum De Meyer* non addam, ſed eum dumtaxàt obſecro & obteſtor, ut tandèm aliquandò ſui, ut par eſt, officii memor, omnium calumniarum, quibus in ſuis Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini*, & in ſua *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis* Thomiſtas oneravit, palinodiam recantet, quia (ſicut appoſitè ait S. Auguſtinus) *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Vale, dilectiſſime diſcipule, &, ut pro malo bonum reddas, omnibus Scholæ Thomiſticæ adverſariis meliorem mentem apprecare, eiſque (cum Apoſtolo *Paulo* Cap. I Epiſtolæ ad Epheſios) dicas: *Non ceſſo memoriam veſtri faciens in Orationibus meis, ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri &c.*

EPI-

EPISTOLA SEPTIMA

In qua Prædeſtinationem Electorum ad gloriam eſſe purè gratuitam, & independentem à præviſione meritorum, ex indubitatis Thomiſtarum principiis demonſtratur.

NON is certè ego ſum, qui in hacce Epiſtola velim indiſſolubilem Prædeſtinationis ſolvere nodum, & hærere veſtigiis recentioris Scriptoris *Cæleſtini Sfondrati*, Authoris libri, qui inſcribitur: *Nodus Prædeſtinationis diſſolutus*; ſed potiùs aggredienti mihi hanc celebrem quæſtionem, aut, ut veriùs dicam, profundiſſimum Myſterium, humanæ menti omninò impervium, ſtatim occurrit iſtud Apoſtoli *Pauli* tam tritum, ſed nunquàm in hac materia ſatis ponderatum Oraculum: *O altitudo Scientiæ, & Sapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim novit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; Epiſtola ad Rom. Cap. X. Quæ Apoſtoli verba, cæleſtis Sapientiæ, & gravitatis pleniſſima, damnant quidèm temeritatem illorum, qui ratiunculis humanis, & facili aliquo excogitato Syſtemate, ad ſublimitatem tanti Myſterii, ſe aſſurgere poſſe exiſtimant, ſed nos tamen ab humili, ut par eſt, & ſobria hujus myſterii conſideratione minimè deterrere debent, dummodò mentis noſtræ tenuitatem ſemper præ oculis habentes, non Fidem rationi, ſed rationem Fidei accommodemus, & ſi quid in his, quæ de electione ac prædeſtinatione ad gloriam latè in prædicta Epiſtola ediſſerit Apoſtolus, nobis occurrerit, ad quod capiendum minùs idonei ſimus, non ideò illud inficiemur, quòd incomprehenſibile videatur, ſed potiùs illud cum admiratione ſuſcipiamus ut Deo dignum, cujus ſenſibus ac judiciis penetrandis impar omninò eſt humana ratio. Certè, qui ab hac regula vel latum quidèm unguem deſciſcit, cum in explicatione hujuſce Myſterii, & in Prædeſtinationis concordia cum ſuavitate Providentiæ, & humani arbitrii libertate errare, neceſſe eſt, ut patet ex multis erroribus, quos hic ſummatim perſtringam, & in quos hæretici, altiſſimum iſtud Prædeſtinationis Myſterium, ſuis viribus plus æquo confiſi, penitiùs rimari ac perſcrutari præſumentes, proruperunt.

I. Fuerunt Veteres hæretici, videlicèt *Baſilides*, *Valentinus*, Manichæi &c. qui cenſebant, quoſdam homines eſſe naturalitèr bonos, alios verò naturalitèr malos, atque ex ipſa cujuſque hominis natura Prædeſtinationem aut reprobationem eſſe repetendam. Ab hoc prædictorum hæreticorum errore abhorruit quidèm *Origenes*, ſed in alium impegit errorem, quo prælusit hæreſi *Pelagii*. Finxit etenim hominum animas, priuſquàm corporibus unirentur, jam fuiſſe à Deo creatas, atque ex ſuperiori vita ſibi per liberum arbitrium comparaſſe merita aut demerita, quæ, à Deo cum hujus vitæ bonis vel malis operibus præviſa, verè & propriè dici debent cauſa hominum Prædeſtinationis vel reprobationis, ſeu cur quidam homines à divina Gratia rejiciantur, quidam præveniantur; aliis parciùs, alii uberiùs adjuventur; iſti ad gloriam eligantur, illi ab ea arceantur. *Origenem* errorem *Pelagii*, præſertìm circà neceſſitatem Gratiæ, præformaſſe, teſtatur *S. Hieronymus* in Epiſtola ad *Cteſiphontem*, in qua ſic Hæreſiarcham *Pelagium* alloquitur: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*. Vocat etiam ibidèm S. ille Doctor *Origenem*, *Pelagiani erroris Principem*. Legeſis illuſtriſſimum Abrincenſem Epiſcopum *Danielem Huetium*

Digitized by Google

Lib. 2. *Origenianorum* Quæſt. 7. ubi data opera oſtendit, *Origenem* docere, quidquid gratiæ nobis largitur Deus, totum id noſtræ voluntatis arbitrio acceptum eſſe referendum.

Alios Pelagiani erroris præformatores *S. Hieronymus* in laudata Epiſtola ad *Cteſiphontem* percenſet, videlicèt *Evagrium*, Ponticum, *Sextum*, Philoſophum, *Palladium*, Galatam, quibus jure optimo doctiſſimus P. *Garnerius*, Societatis Jeſu, Operum *Marii Mercatoris* editor, duos alios adjungit, nempe *Theodorum*, Mopſveſtiæ Epiſcopum, & *Rufinum*, Presbyterum, quem putat eſſe natione Syrum, & à *Rufino*, Aquilejenſi Presbytero, planè diſtinctum. Idem cum *Garnerio* ſentiunt PP. Benedictini Cong. S. *Mauri* in Præfatione, quæ decimo Sancti *Auguſtini* Tomo præfixa eſt. His tamen reclamat Eminentiſſimus Cardinalis *Noriſius*, qui probabiliùs (mea quidem ſententia) in ſua *Hiſtoria Pelagiana* lib. 1. cap. 2. cenſet cum doctiſſimis aliis Critices Diſciplinæ peritis, illum *Rufinum*, qui Pelagianæ hæreſeos extitit prodromus, fuiſſe *Rufinum*, Presbyterum Aquilejenſem, qui famoſus evaſit, tum quia Sanctæ mulieris *Melaniæ*, peregrinantis, fuit individuus comes; tùm quia etiam multos edidit libros, & Græcorum Scriptorum Opera latinè vertit; tùm quia denique graves cum *S. Hieronymo* contentiones habuit, ſicut commonſtravi Tom. 2. pagin. 141. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, quam paucis abhinc annis Romæ publicavi.

Hi omnes Scriptores, qui Pelagianæ Hæreſeos tempora anteverterunt, ova poſuerunt, quæ poſteà ineunte quinto Eccleſiæ Sæculo *Pelagius*, ex majori Britannia, ſeu Anglia, oriundus, profeſſione Monachus, excluſit. Non ferunt certè hujuſce Epiſtolæ anguſti limites, ut hic deſcribam mores *Pelagii*, & artes ac fraudes, quas in ſuis diſſeminandis erroribus adhibuit. De his meminì, me ſat copioſè diſſeruiſſe in ſecundo Tomo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam adornavi, & ſi plura ea de re ſcire deſideres, adire poteris Eminentiſſimum Cardinalem *Noriſium* in *Hiſtoria Pelagiana*, doctiſſimos Patres Benedictinos Congregationis *S. Mauri* in ampla Præfatione Operum *S. Auguſtini* Tomo decimo præfixa, & Patrem *Garnerium*, commentatorem *Marii Mercatoris*, Diſſertatione I. quæ eſt de primis auctoribus & deſenſoribus Hæreſis Pelagianæ, & in aliis ſequentibus Diſſertationibus, ubi ſitim tuam ad ſatietatem uſque extinguere poteris. Mihi verò ſatis in præſentia erit Pelagianorum errorem circà Electorum Prædeſtinationem paucis aperire.

Pelagius itaque in hoc quidèm ab *Origene* diſcrepabat, quòd ipſius commentum de præexiſtentia animarum repudiaret, in hoc tamen cum *Origene* conſentiebat *Pelagius*, quòd doceret, merita vel demerita propriis liberi arbitrii viribus in hac vita comparata, eſſe cauſam prædeſtinationis & reprobationis hominum, ita ut prædeſtinatio tam ad Gratiam, quàm ad Gloriam propriis humani liberi arbitrii viribus accepta referri deberet.

Ex hac *Pelagii* Hæreſi pullulavit, tanquàm malus ſurculus, Hæreſis Semipelagianorum, qui licèt deteſtarentur hunc errorem *Pelagii* aſſerentis, liberum hominis arbitrium poſſe ſuis propriis viribus, abſque divinæ Gratiæ adjutorio, ſibi meritum vitæ æternæ comparare; cenſebant tamen initium Fidei prodire ex ſolis liberi arbitrii viribus, Deumque his præ aliis Gratiam conferre, quos prævidit habere per vires liberi arbitrii initium Fidei, & primum ſalutis deſiderium, quo à natura ipſa ad orandum, pulſandum, quærendum & commoverentur. Deum verò his gloriam æternam deſtinare, quos prævidit in Gratia verſatili & indifferenti jam accepta, & per vires liberi arbitrii determinata ad credendum, & benè operandum, perſeveraturos uſque in finem abſque ullo ſpeciali Gratiæ dono. Huic ergò Fidei initio, deſiderio ſalutis, & perſeverantiæ uſque ad finem vitæ, ex proprio cujuſcumque voluntatis fundo prodeuntibus, cauſam electionis ac prædeſtinationis aſſignabant Semipelagiani,

giani, & Fidem, atque in ea perſeverantiam negabant eſſe dona Dei, ſicut videre eſt in libris *De Prædeſtinatione Sanctorum*, & *De Dono Perſeverantiæ*, quos *S. Auguſtinus* edidit contra Semipelagianos. Hunc etiam fuiſſe capitalem Semipelagianorum errorem teſtatur *S. Proſper* in Epiſtola ad *S. Auguſtinum*.

II. Huc uſque Hæreticorum circà Electorum Prædeſtinationem, tàm ad Gratiam, quàm ad Gloriam, errores, quos in pluribus Conciliis damnavit Eccleſia, percenſui; nunc quid Molinianæ Scholæ Theologi de Prædeſtinatione, ſivè ad Gratiam, ſivè ad Gloriam, cenſeant, paucis explicabo. Duas in partes diſtrahuntur Moliniſtæ. Alii, *Leſſium*, & *Molinam* ſecuti, licèt adversùs Semipelagianos doceant, initium converſionis, ſeu ſalutis, & perſeverantiam eſſe à Gratia Dei, ſubindèque prædeſtinationem ad gratiam eſſe gratuitam, contendunt attamen, prædeſtinationem Electorum ad gloriam eſſe ex meritis per Scientiam Mediam prævifis, quatenùs videlicèt Deus, quantùm eſt de ſe, gloriam omnibus omninò hominibus æqualitèr dare intendit, ſi ea dignos ſe præſtiterint, & idcircò omnibus indiſcriminatim auxilia ſufficientia (in ſenſu Moliniano verſatilia, indifferentia, & eorum libero permiſſa arbitrio) æqualitèr decernit, quibus ad eam pervenire poſſint, nec unum præ alio diligit aut eligit reſpectu gloriæ, donec per Scientiam Mediam præviderit, quinam ſint Gratiis verſatilibus & indifferentibus per propriam libertatem, ſeu per conſenſum ſuum, benè uſuri, ſeque per proprium liberum arbitrium (his tamen Gratiis verſatilibus & indifferentibus adjutum) diſcreturi ſint ab aliis, qui per ſuum diſſenſum abuſuri ſunt iiſdem Gratiis, ſibi à Deo æqualitèr oblatis. Hanc porrò diſcretionem præſcitam à Deo volunt iſti Moliniſtæ eſſe motivum, quo inducitur & determinatur Deus, ut his præ aliis gloriam decernat, indeque inferunt, prædeſtinationem electorum ad Gloriam pendere ex prævifione meritorum.

Sunt alii Scholæ Molinianæ Theologi, qui *Franciſci Suareſii* Syſtema de Gratia congrua & de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam ſectantes, docent, Prædeſtinationem tam ad Gratiam, quàm ad Gloriam, eſſe gratuitam. Ajunt quippè, Deum per Scientiam Mediam, antequàm quemquam prædeſtinaret, prævidiſſe ac exploraſſe, quo pacto quiſque Gratiis verſatilibus & indifferentibus, ſibi à Deo oblatis, uteretur, ſi eas in his aut in illis haberet circumſtantiis, ſi in hac vel illa rerum ſerie conſtitueretur. Dein, aſſerunt, hac ſemel ſuppoſita conditionata prævifione, Deum communitèr omnes quidèm homines ordinaſſe ad Gloriam & ſalutem æternam, quoſdam tamen præ aliis, ſpecialiori & gratuita dilectione decreviſſe collocare in his circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, eos Gratia verſatili & indifferenti benè uſuros, eamque per ſuum liberi arbitrii conſenſum reddituros efficacem ac congruam, atque illos uſque in finem perſeveraturos, cujus perſeverantiæ intuitu, dicunt iſti Moliniſtæ, Gratiæ congruæ defenſores, Deum illis hominibus voluiſſe decreto abſoluto & efficaci Gloriam conferre, illoſque per Gratias efficaces congruas infallibilitèr ſalvare; cæteros verò homines ſtatuiſſe in iis conſtituere circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, illos, Gratiis efficacibus congruis deſtitutos, non perſeveraturos, ſubindèque Gloriam æternam nunquàm conſecuturos; undè inferunt prædicti Theologi, hanc diſcretionem, electionem ac prædeſtinationem ad gloriam ex mera Dei voluntate, miſericordia ac liberalitate eſſe profectam, adeòque merè gratuitam.

III. Hoc *Franciſci Suarezii* de Gratia congrua, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam Syſtema maximè commendat & extollit *Gabriel Daniel* in Epiſtola VI. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, magnoque verborum apparatu fidentèr aſſerit, Quæſtionem de Prædeſtinatione Gratuita, Thomiſtas inter & Moliniſtas controverſam, eſſe

quæſtionem de nomine tantùm, cùm Moliniſtæ, qui Syſtema de Gratia congrua amplectuntur, doceant, perindè ac Thomiſtæ, Prædeſtinationem eſſe gratuitam. Verùm, quàm graviter hallucinetur *Gabriel Daniel*, & quàm parùm in doctrina Thomiſtarum de Prædeſtinatione gratuita verſatum ſeſe prodat, ſequenti Aſſertione declarabo.

Aſſertio prima: Moliniſtarum, Gratiæ congruæ defenſorum, ſententia de Prædeſtinatione gratuita maximè diſcrepat à principiis doctrinæ Thomiſtarum de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam, ſubindèque falsò dictitat Gabriel Daniel, Quæſtionem de Prædeſtinatione gratuita, Thomiſtas inter & Moliniſtas, Gratiæ congruæ defenſores, controverſam, eſſe dumtaxàt quæſtionem de nomine.

Hujus Aſſertionis veritatem extrà omnem dubitationis aleam ponunt benè multa, eaque ſummi momenti, diſcrimina, quibus Thomiſtarum doctrina de Prædeſtinatione gratuita differt à ſententia de Prædeſtinatione gratuita, quam nunc defendunt plures Scholæ Molinianæ Theologi, Gratiæ congruæ aſſertores.

In primis, Thomiſtarum doctrina de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam de medio penitùs tollit Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem: At, verſa vice, Moliniſtarum, Gratiæ congruæ defenſorum, ſententia de Prædeſtinatione Gratuita ruinoſo nititur fundamento, nempè Scientia Media, quam ipſe in meis ſuperioribus Epiſtolis ſat ſuperque, pro eo ac meretur, expugnavi.

Prætereà, Thomiſtæ, doctrinæ de Electorum gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam defenſores, non repetunt efficaciam Gratiæ ex conſenſu, genio, indole, temperamento & conſenſu hominis, vel ex locis, temporibus ac circumſtantiis; ſed unanimitèr divinæ Gratiæ efficaciam deſumunt ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo, quod Deus in omnes creaturas obtinet, dominio: Sed contrà, Moliniſtæ, qui Gratiam congruam, & Prædeſtinationem gratuitam ſe admittere profitentur, Gratiam volunt eſſe verſatilem, indifferentem, & libero hominis permiſſam arbitrio, eamque fieri congruam & efficacem per determinationem & conſenſum voluntatis humanæ. Quò fit, ut iſti Moliniſtæ, qui *congruiſtæ* appellantur, Deo tantùm tribuant, ut per Scientiam Mediam exploret, quam Gratiam, ex ſe verſatilem & indifferentem, homo, in talibus circumſtantiis, locis & temporibus conſtitutus, per ſuum conſenſum redditurus eſt congruam & efficacem; vel eam per ſuum diſſenſum redditurus eſt incongruam, inefficacem & infructuoſam. Non igitur Gratiæ efficaciam Deo tribuunt iſti congruiſtæ, ſed potiùs aſſerunt, Deum his, quos vult benè operari, & æternam conſequi ſalutem, deſtinare eas Gratias, quæ licèt ex natura ſua verſatiles, & indifferentes ſint, & libero hominum ſubditæ arbitrio, prævidit tamen Deus per Scientiam Mediam, illas per conſenſum eorum evaſuras congruas & efficaces.

Tertiò, Prædeſtinationem Electorum in eo ſenſu merè gratuitam eſſe propugnant Thomiſtæ, ut dicant, Deum incipere Electorum prædeſtinationem ab intentione, ſeu à decreto abſoluto illis dandæ ex pura ſua miſericordia & liberalitate Gloriæ; deindè, Deum decernere ac ſeligere media, ſeu auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quorum ope Electi infallibiliter perſeverabunt, & Gloriam æternam conſequentur: At, Scholæ Molinianæ Theologi, qui cum *Suareſio*, & *Gabriele Daniele* admittunt gratuitam Prędeſtinationem, pertendunt, Deum non inchoare prædeſtinationem Electorum ab intentione finis, ſeu à Decreto abſoluto illis conferendæ Gloriæ æternę; ſed ajunr, Deum, eorum prædeſtinationem incipere à Decreto abſoluto, quo Deus gratis vult aliquot hominibus præ aliis conferre Gratias *congruas*, ſeu Gratias illas, quas Deus per Scientiam Mediam prævidit, fore per proprium voluntatis eorum conſenſum *congruas*, & efficaces, quarum ope, hi, quos gratis ele-

elegit Deus, quoſque diſcrevit ab aliis, quibus ejuſmodi Gratias *congruas* denegare decrevit, infallibiliter perſeverabunt, & æternam Gloriam adipiſcentur.

Qua in re (ut obiter dicam) non recto, ſed præpoſtero ordine procedunt iſti Moliniſtæ, Gratiæ congruæ Aſſertores, dùm ajunt, Deum incipere præ deſtinationem ab electione Mediorum, & non ab intentione finis. Hic autem procedendi modus eſt omninò præpoſterus, qui ſubindè nullo pacto tribui debet Deo; quia (ſicut docent tam Theologi, quàm Philoſophi) omnis provi ſor, prudentèr & ordinatè procedens, incipit ab intentione finis, quæ eſt primum principium in agibilibus, & ex ea intentione finis procedit ad electionem, ſeu præparationem mediorum; hinc illud pervulgatum Effatum, in Scholis conſecratum: *Finis eſt primum in intentione*: Atquì, opera meritoria viæ comparantur ad æternam Gloriam, ſicut media ad finem; igitur Deus, qui eſt proviſor prudentiſſimus, Electorum prædeſtinationem auſpicatur ab intentione Gloriæ, atque ex ea procedit ad eligenda, ſeu præparanda Media, quibus adjuti Electi ad æternam gloriam certò & infallibilitèr pervenient. Vide nunc (quæſo te) dilectiſſime Diſcipule, qua veri ſpecie potuerit *Gabriel Daniel* tam fidentèr aſſeverare, Quæſtionem De Prædeſtinatione gratuita, Thomiſtas inter & Moliniſtas, Gratiæ congruæ aſſertores, controverſam, eſſe puram putamque logomachiam, ſeu quæſtionem de nomine?

Sed audi, obſecro te, aliud ratiocinium, quo iſtud Parallelum (quod *Gabriel Daniel* inſtituit ſententiam Moliniſtarum, Gratiæ congruæ defenſorum, de prædeſtinatione gratuita inter & Thomiſtarum doctrinam) ſtatim exſufflabitur. Thomiſtæ quippè dicunt, ideò prædeſtinationem Electorum ad gloriam, eſſe merè gratuitam, quia nec ex præviſo hominis conſenſu, nec locis, temporibus, nec ex circumſtantiarum ſerie dependet, ſed unicè pendet ex voluntate, ac pura libertate, & miſericordia Dei. Aſt Moliniſtæ, Gratiæ congruæ aſſertores, ideò volunt, prædeſtinationem eſſe gratuitam, quia (inquiunt) Deus illos, quos vult eligere & prædeſtinare ad gloriam, ex ſola ſua voluntate, miſericordia ac liberalitate collocat in illis circumſtantiis, in quibus prævidit, ipſos Gratiis verſatilibus & indifferentibus, ſibi oblatis, conſenſuros, eaſque reddituros per conſenſum ſuum congruas, & efficaces. Hoc autem ſemel poſito de Gratia congrua, & de prædeſtinatione gratuita Moliniano Syſtemate, facilè evinco, Scholæ Molinianæ Theologos, qui iſtud de Gratia congrua Syſtema amplectuntur, non poſſe doctrinam de Prædeſtinatione gratuita eodem in ſenſu adſtruere, quo Thomiſtæ (poſt SS. *Auguſtinum*, & *Thomam*) Electorum Prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam, eamque juxta ordinem intentionis unicè ex ſola voluntate Dei, & ex pura ejus miſericordia atque liberalitate pendere, hactenùs in ſuis Scholis catholicè defenderunt.

Id autem antequàm probem, velim ut in anteceſſum ſedulò obſerves, Prædeſtinationem gratuitam (qualem admittunt Scholæ Molinianæ Theologi, Gratiæ congruæ aſſertores (petitam videlicèt ex congruitate internorum auxiliorum, quæ Deus dat (quibus vult) in his circumſtantiis, in quibus per ſcientiam Mediam prævidit, illos Gratiis verſatilibus & indifferentibus conſenſuros, eoſque per ſuum conſenſum prædictas illas Gratias reddituros congruas & efficaces; obſervare (inquam) debes, hanc prædeſtinationem gratuitam (quam admittunt Scholæ Molinianæ Theologi) poſſe etiam ſtare cum doctrina illorum, qui repudiatis omnibus interioribus Gratiis, ſolas admitterent Gratias externas, poſitas in lege & doctrina. Cave tamen, ne putes me confundere velle Syſtema iſtud, quod Gratiæ interioris neceſſitatem profitetur, cum doctrina illorum, qui exteriora tantummodò auxilia ſive pro operibus bonis, ſivè pro operum bonorum initio admitterent, rejecta omni Gratia interiori. Abſit,

ut id cogitare, nedùm affirmare velim. Hoc unum dumtaxàt hìc probandum ſuſcipio, prædeſtinationem gratuitam, petitam ex congruitate auxiliorum (qualem *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* cum benè multis Scholæ Molinianæ Theologis profitentur ac propugnant) poſſe nullo negotio admitti etiam ab iis, qui, exploſis omnibus Gratiis interioribus, ſolas vel ad benè operandum, vel ad initium bonorum operum, Gratias dumtaxàt exteriores neceſſarias eſſe pertenderent.

Id totum breviter hoc unico conficio argumento: Aſſerunt primò Moliniſtæ, Gratiam interiorem, quæ à Deo oblata hominibus in his vel illis circumſtantiis verſatiiis & indifferens eſt, eorumque ſubdita libero arbitrio, fieri congruam & efficacem per conſenſum humanæ voluntatis. Secundò, dicunt Moliniſtæ, ideò prædeſtinationem in ſuo Syſtemate de Gratia congrua eſſe gratuitam, quia Deus ex ſola ſua voluntate, ſeu ex pura liberalitate ac miſericordia, quoſdam homines in his circumſtantiis collocat, in quibus certò prævidit, illos conſenſuros Gratiæ verſatili & indifferenti, eamque per conſenſum ſuum reddituros congruam & efficacem; alios verò homines, quos prædeſtinare non vult, collocat Deus in his circumſtantiis, in quibus itidèm certò prævidit, illos Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi æqualitèr oblatæ, diſſenſuros, eamque per ſuum diſſenſum incongruam & inefficacem reddituros: Atqui, ſimilitèr hi, qui, ſive ad benè operandum, ſive ad initium bonorum operum, rejecta omni Gratia interiori, ſolas Gratias exteriores admitterent, idem planè docere poſſent, & aſſerere, Deum (nulla alia admiſſa Gratia, pratèr exteriorem) potuiſſe ab æterno varias prævidere circumſtantias, in quibus hæ Gratiæ externæ per conſenſum humanæ voluntatis fierent *congruæ*, & effectum eſſent habituræ, vel per humanæ voluntatis diſſenſum eædem Gratiæ exteriores forent *incongruæ*, & effectum non eſſent ſortituræ. Hoc autem ſemèl præviſo, potuiſſet paritèr Deus illos homines, quos prædeſtinare voluiſſet, conſtituere ex ſola ſua voluntate, ſeu ex pura ſua liberalitate ac miſericordia, in his circumſtantiis, in quibus ab æterno prævidiſſet, illos Gratiis merè exterioribus conſenſuros, & per conſenſum ſuum illas reddituros *incongruas*; illos verò homines, quos prædeſtinare noluiſſet, collocare in his circumſtantiis, in quibus prævidiſſet, eos per ſuum diſſenſum Gratiis exterioribus, ſibi oblatis, diſſenſuros, eaſque reddituros per ſuum diſſenſum *incongruas* & inefficaces. Poſſent igitur etiam illi, qui abiegatis omnibus Gratiis Interioribus, ſolas Gratias exteriores, ſive ad benè operandum, ſive ad initium bonorum operum admitterent, poſſent, inquam, illi aſſerere, prædeſtinationem eſſe gratuitam, eo videlicèt ſenſu, quòd penès ſolum Deum eſſet, quoſdam homines ex pura ſua voluntate ac miſericordia conſtituere in his circumſtantiis, in quibus prævidiſſet, illos Gratiis exterioribus conſenſuros, eaſque per ſuum conſenſum reddituros congruas, & efficaces.

Verùm, iſta Gratuita prædeſtinatio, quæ deſumitur ſivè ex congruitate exteriorum Gratiarum, ſivè ex congruitate Gratiarum interiorum, longè differt ab illa Prædeſtinatione gratuita, quam *Sanctus Auguſtinus* uſque ad extremam ſuæ vitæ periodum conſtantèr totis ſui ingenii viribus adversùs Pelagianos & Semipelagianos propugnavit. Prędeſtinatio quippè gratuita Electorum, quam docebat, & defendebat *S. Auguſtinus*, talis erat, ut omnem omninò locum & occaſionem adimeret Electis gloriandi in ſuis liberi arbitrii viribus, & in eis ſpem ac fiduciam ſuam collocandi. At, quemadmodùm hæc prædeſtinatio gratuita, quæ ſumeretur ex congruitate Gratiarum exteriorum, relinqueret locum Electis gloriandi in ſuis liberi arbitrii viribus, & in eis ſpem ſuam collocandi, quandò quidèm auxilia exteriora quælibet, & quantumvis congrua, non alitèr fierent congrua, quàm quia iiſdem auxiliis exterioribus aſſentiri vellet homo, eaque per aſſenſum ſuum reddere

dere congrua; Ita pariter illa Prædeſtinatio gratuita, quam *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer*, aliique Scholæ Molinianæ Theologi deſumunt ex congruitate auxiliorum internorum, relinquit Electis locum gloriandi in ſuis liberi arbitrii viribus, & in eis ſpem ſuam collocandi, quia, non obſtante congruitate illa auxiliorum internorum, conſtat, illa auxilia interna (quę Moliniſtę volunt eſſe dumtaxàt verſatilia, indifferentia, & permiſſa libero humanæ voluntatis arbitrio) idcircò fieri *congrua* & efficacia, quia libero hominis arbitrio placet iiſdem præbere aſſenſum, eaque per ſuum conſenſum reddere *congrua*.

Prætereà, Prædeſtinatio gratuita, quam *S. Auguſtinus* contra Pelagianos & Semipelagianos propugnabat, eſt *præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*, ſeu eſt præparatio Auxiliorum, quæ ex natura ſua & ab intrinſeco ſunt efficacia, & quibus habet Deus (ut ait Aquilinus ille Doctor) cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, & ſupremum in ea imperium ac dominium. At, *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer*, aliique, qui eos ſequuntur, Scholæ Molinianæ Theologi, docent, Auxilia ejuſmodi interna, quæ Deus hominibus ſuppeditat, eſſe verſatilia, & planè indifferentia, eaque non à voluntate & omnipotentia Dei reddi *congrua* & efficacia, ſed à conſenſu liberi hominis arbitrii. Quì igitur, amabo, fieri poteſt, ut Deus, per Moliniana illa auxilia interna, quæ ex ſe ſunt dumtaxàt verſatilia & indifferentia, quæque non à Deo, ſed à ſolo conſenſu voluntatis humanæ *congrua* & efficacia redduntur; quì, inquam, fieri poteſt, ut Deus per ejuſmodi intrinſeca Moliniana auxilia habeat (ſicut ſæpiùs aſſerit S. Auguſtinus) *cordium inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem, & ſupremum in omnium hominum voluntates imperium ac dominium*? Prædeſtinatio itaque gratuita, quam contra Pelagianos, & Semipelagianos magno animi æſtu propugnabat *S. Auguſtinus*, quamque ipſe repetebat ex præparatione beneficiorum, ſeu Auxiliorum, quæ ſuapte vi & efficacia efficiunt ut homines conſentiant, benè operentur, & *inſuperabilitèr*, *invincibiliter*, atque *indeclinabiliter* æternam ſalutem conſequantur; hæc (inquam) prædeſtinatio gratuita Electorum ad gloriam, quam aſſeruit, vindicavitque *S. Auguſtinus*, & quam omnes Thomiſtæ pro aris ac focis etiamnùm defendunt, immenſo intervallo diſtat à prædeſtinatione illa gratuita, quàm *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* repetunt ex congruitate internorum Dei auxiliorum, quæ, licèt ex ſe, ſeu ex natura ſua, ſint dumtaxat verſatilia & indifferentia, redduntur congrua, & efficacia non à Deo, ſed à ſolo conſenſu & libero hominis arbitrio.

IV. Sed, inquiunt Moliniſtæ, qui prædeſtinationem gratuitam deſumunt ex congruitate internorum Dei auxiliorum: *Prævidit Deus ab æterno varias rerum ac circumſtantiarum ſeries; prævidit per Scientiam Mediam quid faceret homo, ſi in tali circumſtantiarum ſerie poneretur; quid verò è contra faceret idem homo, ſi in alia circumſtantiarum ſerie conſtitueretur, hoc eſt, prævidit Deus ab æterno, hunc hominem conſenſurum Gratiæ verſatili & indifferenti, eamque per conſenſum ſuum redditurum congruam & efficacem, atque eum ſubindè ſalvandum, ſi in tali circumſtantiarum ſerie collocaretur; ſed, verſa vice, prævidit ab æterno Deus, eumdem hominem Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, diſſenſurum, eamque per ſuum diſſenſum redditurum incongruam & inefficacem, proindèque illum damnatum iri, ſi in alia circumſtantiarum ſerie reponeretur; Hoc poſito* (inquiunt Moliniſtæ) *penès ſolum Deum eſt, & in libera ipſius diſpoſitione, hunc hominem vel collocare in his circumſtantiis, in quibus prævidit, illum Gratiæ interiori, verſatili & indifferenti conſenſurum, & per conſenſum ſuum illam redditurum congruam, & efficacem, adeòque ſalvandum; vel eumdem hominem in his cir-*

cum-

Digitized by Google

cumſtantiis ponere, in quibus prævidit, illum Gratiæ verſatili & indifferenti diſſenſurum, & per ſuum diſſenſum illam redditur incongruam & inefficacem: hoc, inquiunt Moliniſtæ, *penès ſolum Deum eſt, & ex ſola ac libera ipſius diſpoſitione pendet, quia nullum meritum præcedere potuit, quod moveret Deum, ut hunc hominem potiùs in his circumſtantiis ad ſalutem ducentibus, quàm in aliis circumſtantiis, quæ ad perditionem ducunt, collocaret. Quod ergò Deus hunc hominem in his ſalutis circumſtantiis potiùs collocet, quàm in aliis perditionis circumſtantiis, ſolius Dei & gratuitæ ipſius voluntati, miſericordiæ ac liberalitati adſcribi debet.* Iiſdem penè verbis mentem ſuam circa prædeſtinationem gratuitam aperit *Gabriel Daniel* in Epiſtola VI. quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, ubi hæc habet: *Videt ſexcentas Deus, vias, per quas mortalium quemlibet ipſius providentia poteſt ducere. Certas quaſdam ex illis cernit, quas ſi quiſpiam inſiſtat, terminum ſine ulla dubitatione conſequetur: alias proſpicit, quæ ipſum eo rectà deducerent, niſi ſuo vitio aberraret. Pro ſua ergà hunc hominem bonitate decernit illi aliquam ex iis, quæ certiſſimè ducent eumdem ad ſalutem: Jam tùm intelligitur Deus, ut Auguſtinus cenſet, hunc hominem prædeſtinare.*

Sed, cum bona venia *Gabrielis Danielis*, & aliorum, qui ei adhærent, Scholæ Molinianæ Theologorum, dixerim, Prædeſtinationem eo in ſenſu Moliniano explicatam, non poſſe verè, propriè, & juxta Sanctorum *Auguſtini*, ac *Thomæ* doctrinam, appellari *gratuitam*. Ratio in promptu eſt, quia ſi ſemel Prædeſtinatio dicatur *gratuita*, eò quòd (ſicut docet *Gabriel Daniel*) penès ſolum Deum ſit conſtituere hominem in his circumſtantiis, in quibus ab æterno prævidit, illum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, conſenſurum, eamque per conſenſum ſuum redditurum *congruam*: eodem pari modo Prædeſtinatio poſſet dici & appellari *gratuita* in hypotheſi illorum, qui, repudiatis Gratiis interioribus, ſolas admitterent Gratias exteriores.

Hi quippe, quibus ſola Gratia exterior ſatis eſſe videretur, dicere itidèm poſſent: Primò, Gratiam exteriorem, à Deo hominibus oblatam, reddi *congruam* per conſenſum voluntatis humanæ. Secundò, Prædeſtinationem eſſe *gratuitam*, quia Deus ab æterno prævidit varias circumſtantias, in quibus aliqui homines Gratias exteriores redderent per ſuum conſenſum *congruas*; alias verò prævidit circumſtantias, in quibus iidem homines Gratias exteriores redderent per diſſenſum ſuum *incongruas*; quibus prævisis, Deus ex gratuita voluntate, & ex mera liberalitate ac miſericordia ſua illos homines conſtituit in his circumſtantiis, in quibus prævidit, eos Gratiis exterioribus benè uſuros, illaſque per ſuum conſenſum *congruas* reddituros, ex quo ſequitur, illorum Prædeſtinationem eſſe gratuitam.

Reponent fortaſſe hi, qui *Gabrielis Danielis* ſententiam de Prædeſtinatione gratuita ſectantur, non parem eſſe utrobique rationem. Illi namque, qui Gratias dumtaxàt exteriores admitterent, aſſerere non poſſent, Prædeſtinationem eſſe gratuitam, quia in eorum hypotheſi Prædeſtinatio penderet à congenitis liberi arbitrii viribus, quandò quidèm illæ externæ Gratiæ non aliter fierent *congruæ*, quàm quia iiſdem aſſentiri vellet homo propriis ac naturalibus liberi ſui arbitrii viribus. Id autem dici non poteſt in ſententia *Gabrielis Danielis*, qui conceptis verbis aſſerit, penès ſolum Deum eſſe dare Gratiam *congruam*, quò ſit, ut in ſententia *Gabrielis Danielis* Prædeſtinatio ſit verè gratuita.

Verùm, hæc Reſponſio laborat æquivocatione, quam mihi proclive erit hìc detegere & exſufflare. At enim, licèt ultrò fatear, *Gabrielem Danielem* reverà docere, penès ſolum Deum eſſe Gratiam *congruam* dare quibus vult, aut eam denegare; certum tamen eſt, eumdem Molinianum Theologum acritèr pertendere, Gratiam, quæ eſt natura ſua verſatilis, indifferens,

rens, & libero hominis permiſſa arbitrio, fieri *congruam* non à Deo, ſed à ſolo conſenſu voluntatis humanæ, undè ſic argumentor: Ideò illi qui Gratias dumtaxàt exteriores admitterent, affirmare non poſſent (fatentibus ipſiſmet *Gabrielis Danielis* doctrinæ defenſoribus) Prædeſtinationem eſſe gratuitam, quia in eorum hypotheſi prædeſtinatio penderet à propriis liberi arbitrii viribus, quandò quidèm illæ externæ Gratiæ non alitèr fierent *congruæ*, quàm quia homo propriis & naturalibus ſui liberi arbitrii viribus vult iiſdem Gratiis externis ſuum præbere aſſenſum: Atquì in Syſtemate *Gabrielis Danielis* Prædeſtinatio itidèm penderet à liberi arbitrii viribus, quia (ſicut ipſe docet) Gratia verſatilis & indifferens, quam Deus omnibus omninò hominibus promiſcuè & æqualitèr offert ad ſalutem æternam, non fit *congrua* ex voluntate Dei, ſed ex ſolo voluntatis hominis conſenſu. Ex quo *Gabrielis Danielis* principio planè conſequitur, illos, qui Gratiis verſatilibus & indifferentibus, à Deo in certis quibuſdam circumſtantiis ſibi oblatis, aſſentiuntur, eaſque per conſenſum ſuum reddunt *congruas* & efficaces, poſſe jure optimo in ſuis liberi arbitrii viribus gloriari, ſeque reverà diſcernere ab aliis hominibus, qui iiſdem Gratiis verſatilibus & indifferentibus, in iiſdem circumſtantiis ſibi à Deo oblatis, diſſentiunt, & per ſuum diſſenſum eaſdem Gratias reddunt *incongruas* & inefficaces.

Hanc conſecutionem naturali fluxu promanare ex hoc *Gabrielis Danielis* principio de Gratia verſatili & indifferenti, omnibus indiſcriminatìm hominibus à Deo oblata, quæ non à Deo, ſed à ſolo hominis conſenſu redditur *congrua* & efficax, vel *incongrua* & inefficax per humanæ voluntatis diſſenſum; jam in meis ſuperioribus Epiſtolis ſat prolixè ac benè multis argumentis, me eviciſſe exiſtimo, præſertim ea in Epiſtola, quæ in prima mearum Epiſtolarum Claſſe eſt ordine tertia, ad quam nunc te lubens remitto, ut clarè perſpicias, Prædeſtinationem illam gratuitam, quam *Gabriel Daniel*, ad fucum ſuis Lectoribus faciendum, in ſua Epiſtola VI. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* ſtabilire pro ingenii ſui modulo conatus eſt, nullo pacto cohærere & conciliari poſſe cum principiis doctrinæ de Prædeſtinatione gratuita, quam *S. Auguſtinus* defendit, quamque, poſt Sanctum illum Doctorem, ejuſque fideliſſimum diſcipulum Sanctum *Thomam Aquinatem*, omnes ad unum invictè hactenus propugnarunt Thomiſtæ, ſicut liquidò patebit ex ſequenti, quam pono, Aſſertione.

V. Aſſertio ſecunda: *Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam eſt purè gratuita, nihilque aliud eſt, quàm æternum Dei Propoſitum, quo aliquos præ aliis eligit ad Gloriam, illoſque certiſſimè ad eam perducit, non ex prævisis ex parte creaturæ meritis aut abſolutis, aut conditionatis, nec ex conſenſu voluntatis humanæ per Scientiam Mediam priùs exploratо, ſed ex mera liberalitate, ſeu ex gratuita Dei miſericordia illos præ aliis ſpecialiùs dilectos eligentis ad Gloriam.*

Hanc Aſſertionem tenent omnes ad unum Thomiſtæ primò contrà Hæreticos Pelagianos, qui aſſerebant, Prædeſtinationem non eſſe gratuitam, ſed hominem ſuam mereri electionem, quia bona opera non à Deo dari, ſed ex liberi arbitrii hominis fundo naſci pertendebant.

Secundò, adversùs Hæreticos Semipelagianos, qui, licèt faterentur, bona opera eſſe à Deo, docebant attamen, initium Fidei, à Deo præſcitum, ac perſeverantiam, fuiſſe noſtræ motivum electionis, ſeu Prædeſtinationis.

Denique contra *Gabrielem Danielem*, *Livinum de Meyer*, alioſque Molinianæ Scholæ Theologos, Gratiæ congruæ Aſſertores, qui, etſi ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum, ſe omninò alienos eſſe, profiteantur, velintque, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe gratuitam in eo ſenſu, quòd penès ſolum Deum ſit ex ſua pura miſericordia, & gratuita voluntate aliquos homines collocare in his circumſtantiis, in quibus per Scien-

tiam

tiam Mediam prævidit, illos benè uſuros Gratiis verſatilibus & indifferentibus, ſibi oblatis, eaſque per conſenſum ſuum reddituros *congruas*; cenſent nihilominùs, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam pendere ex præviſo à Deo per Scientiam Mediam conſenſu, quem homo Gratiis verſatilibus & indifferentibus in talibus circumſtantiis præſtiturus eſt, eaſque per conſenſum ſuum *congruas* redditurus.

Thomiſtæ autèm, veri Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* diſcipuli, conſtantèr docent, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam non pendere ex præviſione bonorum operum, nec ex præviſione initii Fidei, aut perſeverantiæ, nec denique ex præviſione conſenſus, quem homo in certis quibuſdam circumſtantiis, locis ac temporibus præbiturus eſt Gratiis verſatilibus & indifferentibus, ſibi a Deo oblatis, eaſque per conſenſum ſuum *congruas* redditurus; ab iſtorum, inquam, præviſione independentem omninò eſſe Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam ſentiunt omnes Thomiſtæ, eamque, utpotè purè gratuitam, unicè pendere volunt ex ſola gratuita Dei voluntate, ex mera ipſius liberalitate ac miſericordia, qua aliquos præ aliis, ſpecialiori amore ac benevolentia dilectos, eligit ad Gloriam, eiſque præparat media, ſeu auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quorum ope ad eam certiſſimè pervenient.

Confer, quæſo te, dilectiſſime Diſcipule, hanc omnium Thomiſtarum de Gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam cum ſententia *Gabrielis Danielis*, aliorumque Scholæ Molinianæ Theologorum, Gratiæ congruæ defenſorum; & ultrò fateberis, *Gabrielem Danielem* (ut ſuos Lectores luderet) perperàm aſſerere, quæſtionem de gratuita prædeſtinatione ad gloriam, Thomiſtas inter & Moliniſtas controverſam, eſſe dumtaxàt quæſtionem de nomine. Certe hujus, inauditi hactenus paradoxi defenſionem in ſua Epiſtola ſexta ad noſtrum *Natalem Alexandrum* non ſuſcepiſſet *Gabriel Daniel*, niſi immodica Scholæ ſuæ Molinianæ φιλαυτια illum decepiſſet & ad bonas horas malè collocandas impuliſſet.

VI. Sed age, expendamus nunc principia, ſeu argumenta, quibus Thomiſtæ probant; prædeſtinationem Electorum ad gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem à præviſione conſenſus voluntatis humanæ & à locis, temporibus ac circumſtantiis, in quibus (ſicut pertendunt Moliniſtæ) Deus illos, quos vult prædeſtinare, ſeu eligere ad gloriam, prævidit per Scientiam Mediam benè uſuros Gratia verſatili & indifferenti, eamque per ſuum conſenſum reddituros *congruam* & efficacem.

Primum argumentum ſic proponunt Thomiſtæ: Ea prædeſtinatio eſt purè gratuita, & prorsùs independens à præviſione conſenſus voluntatis humanæ in certis locis, temporibus atque circumſtantiis; quæ pendet dumtaxàt ex *Propoſito Dei*, ſeu ex æterno, firmoque Decreto, quo Deus ex ſola ſua gratuita voluntate, ex pura ſua miſericordia ac liberalitate vult aliquos præ aliis eligere ad gloriam, & ex quo *Propoſito*, ſeu firmo & abſoluto Dei Decreto ſalvandi aliquos, profluunt in Electos auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quibus adjuti prædeſtinati infallibilitèr perſeverabunt in charitate, & æternam ſalutem conſequentur: Atqui talis eſt Electorum ad gloriam prædeſtinatio, quam docent Scriptura Sacra, & Sancti Patres, præſertìm *Auguſtinus*, & *Thomas*; ergo prædeſtinatio Electorum ad gloriam eſt purè gratuita, & prorsùs independens a præviſione conſenſus voluntatis humanæ, & à locis, temporibus, & circumſtantiis in quibus (ſicut dictitant *Gabriel Daniel*, *Livinus de Meyer*, & alii Scholæ Molinianæ Theologi) Deus prævidit, illos, quos vult eligere ad gloriam, Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros *congruam* & efficacem. Minorem hujus argumenti Propoſitionem, quam negant iſti Moliniani Scriptores, multifariàm, & invictis momentis probant Thomiſtæ; & primò quidèm ex Apoſtolo *Paulo*, qui

in

In Epiſtola, quam ſcripſit ad Eccleſiam Romanam, à verſu 28 cap. 8. uſque ad Cap. XI. accuratiſſimè Prædeſtinationem gratuitam explicat, eodem argumento, quo nunc, ad eam ſtabiliendam, utuntur Thomiſtæ, probat, & (quod certè ſpeciali providentiæ divinæ beneficio factum eſſe puto) objectiones quibus impetitur hæc gratuita Prædeſtinatio, abundè diluit ac ſolvit.

Verùm enim verò, Apoſtolus *Paulus* cap. 8. ver. 28. hujus Epiſtolæ ad Romanos ait, Prædeſtinationem eſſe *Propoſitum Dei*, aliquos præ aliis ſalvare volentis: *ſcimus autem* (ait magnus ille Apoſtolus) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm PROPOSITUM vocati ſunt Sancti*, ideſt, non omnibus vocatis contingit, ſed ſolis Electis ac prædeſtinatis. Præterea, Apoſtolus verſu trigeſimo docet, ex hoc *Propoſito*, ſeu firmo Decreto, quo Deus vult aliquos præ aliis ad gloriam eligere, in Electos profluere vocationem efficacem ad Fidem, juſtificationem perſeverantem, & demùm glorificationem: *Quos autem Prædeſtinavit*, (ideſt, quos præcognovit Deus, vel dilexit ante Mundi conſtitutionem) *hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*. Tertiò, idem Apoſtolus verſu 31. ejuſdem capitis octavi efficaciam illius *Propoſiti*, quod Deus habet, aliquos præ aliis eligendi ad gloriam, non repetit ex præviſione conſenſus voluntatis humanæ, non ex locis, temporibus, & circumſtantiis, in quibus (ut ajunt Moliniſtæ) Deus per Scientiam Mediam prævidit, aliquos Gratia verſatili & indifferenti ſibi oblata, per vires liberi Arbitrii benè uſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros *congruam* & efficacem; certè ab illorum præviſione efficaciam *Propoſiti*, ſeu Decreti, quo Deus vult aliquos ſalvare, non repetit Apoſtolus, ſed hanc divini *Propoſiti* efficacem repetit ex omnipotentia Dei, cui nemo reſiſtit: *Quid ergò dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contrà nos?* ideſt, ſi Deus propoſuerit, ſive decreverit nos ſalvare, quis, ne id fiat, impediet? Indè infert Apoſtolus *Paulus*, ità ratum, firmumque eſſe *Propoſitum*, ſeu Decretum, quo Deus ad perfectam conſummatamque ſanctitatem quoſdam eligit homines, ut nulla creatura eſſe poſſit, quæ impediat, ne Electi perſeverent in charitate, unde eorum nomine verſu 35. ejuſdem capitis octavi ait idem Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei?* Ideſt, *cùm ipſi nos fixo Dei Propoſito, ſeu Decreto ac nuſquàm mutando ad gloriam vocati ſimus; quæ poterit nos creatura ab amore, quo Chriſtum diligimus, ſeparare?*

Hoc pacto explicata vera ac genuina notione Prædeſtinationis Electorum ad Gloriam, Apoſtolus *Paulus* cap. 9. ejuſdem Epiſtolæ ad Romanos multis argumentis & exemplis probat, hanc Electorum Prædeſtinationem eſſe purè gratuitam, hoc eſt, eam unicè pendere ex gratuita Dei voluntate, & pura ipſius miſericordia, non verò (ſicut aſſerunt *Gabriel Daniel*, *Livinus De Meyer*, aliique Scholæ Molinianæ Theologi) ex præviſione conſenſus, quem homo Gratiæ, ex natura ſua verſatili & indifferenti, in certis quibuſdam locis, temporibus, & circumſtantiis præbet, eamque per ſuum conſenſum reddit *congruam* & efficacem. In primis, Apoſtolus *Paulus*, ut probet, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe merè gratuitam, affert exemplum *Abrahami*, & ſeminis ejus, ideſt, populi Iſraelitici, quem Deus in populum ſibi peculiarem elegit, non ex ullis præviſis meritis, ſed gratuita bonitate, ſicut cap. 7. lib. Deuteronomii legitur: *Te elegit Dominus .... Non quia cunctas gentes numero vincebatis .... Sed quia dilexit vos Dominus*. Sic ex duobus *Abrahami* filiis, *Iſaacus* præ *Iſmaele* fuit gratis à Deo electus; ſic ex duobus Filiis *Iſaaci*, eodem *Rebeccæ* partu natis, *Jacob* cum poſteris ſolis gratis eligitur, *Eſau* verò, tametſi primogenitus eſſet, cum tota ſua ſtirpe rejicitur: *cùm enim* (inquit Apoſtolus Paulus) *nondùm nati fuiſſent*

(Ja-

(Jacob, & Eſau) *aut aliquid boni egiſſent, aut mali, ut ſecundùm electionem Propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori, ſicut Scriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

His exemplis, quæ, ad probandum Electorum Prædeſtinationem eſſe merè gratuitam cap. 9. Epiſtolæ ad Romanos adducit Apoſtolus *Paulus*, alia adjungi poſſunt, quæ in Sacris Litteris referuntur, & eamdem veritatem pleniſſimè confirmant. Deus enim ex duodecim filiis Patriarchæ *Jacobi* elegit *Joſephum*, licèt natu minorem, ut eſſet Princeps fratrum ſuorum. Elegit itidèm Deus *Moyſem* præ *Aarone*, fratre ſuo, natu majore, eumque conſtituit Ducem populi ſui. Elegit etiam Deus in Regem *Davidem*, fratrum minorem. Voluit Deus ut terra promiſſionis non ex meritis, ſed ſorte divideretur inter filios Iſrael. Miſit Deus ex ſola ſua gratuita voluntate Prophetas ut prædicarent his populis potiùs quàm aliis, cùm ſæpè meliores futuri eſſent, quibus verbum Dei non eſt nunciatum, ſicut conſtat de Tyriis & Sidoniis: *Non fecit talitèr omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*, Pſ. 147. Denique, Chriſtus Dominus ex pura miſericordia, & gratuita ſua voluntate duodecim piſcatores ſibi elegit Apoſtolos: *Non vos me elegiſtis* (ait illis Chriſtus c. 15. v. 16. Evangelii *S. Joannis*) *Sed ego elegi vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*. Quaſi illis diceret Chriſtus: *Ultrò, & ex mea gratuita voluntate ſelegi vos ex omnibus, nihil promeritos. Et in hoc delegi, ut mihi inſiti per charitatem mutuam, quam erga me non haberetis, niſi prior ipſe dilexiſſem vos, ſempèr in melius proficiatis*. Quibus Chriſti Domini verbis, & vocationem, & obedientiam, & perſeverantiam eſſe effectus æternæ, ac omne meritum antevertentis electionis palàm aſſeri, teſtatur ſæpiùs *S. Auguſtinus*, qui etiam cap. 8. lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* explicando hæc Apoſtoli *Pauli* Epiſt. ad Epheſios Cap. I. verſ. 4. verba: *Elegit nos* (Deus) *ante conſtitutionem Mundi, ut eſſemus Sancti, & Immaculati in conſpectu ejus in charitate. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo.* Hæc, inquam, Apoſtoli verba ſic interpretatur S. Auguſtinus: *Elegit ergò nos Deus in Chriſto ante Mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos Sancti & immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinavitque ut eramus. Fecit autem ſecundùm PLACITUM VOLUNTATIS SUÆ, ut nemo de ſua, ſed de illius ergà nos voluntate glorietur*. Idem docet Aquilinus ille Doctor libro *De Correptione & Gratia* Num. 13. aliàs cap. 7.

Sed revertamur, ſi placet, ad Epiſtolam ad Romanos, in qua Apoſtolus *Paulus* de Myſterio Prædeſtinationis Electorum ad Gloriam data opera diſſerit, quamque ob eum potiſſimum finem ad Eccleſiam Romanam direxit, ut Indè hujus doctrinæ ſuæ prædicatio, velut à capite Orbis, toto ſeſe diffunderet Orbe, ſicùt ait *S. Auguſtinus* Epiſtola 194. olim 105. ad *Sixtum*. In ea autem Epiſtola ſummus ille divinæ Gratiæ Doctor gratuitam Electorum ad gloriam Prædeſtinationem ex hoc irrefragabili principio repetit, quia (inquit Cap. XI. verſ. 35. & 36. ejuſdem Epiſtolæ) nemo poteſt prior dare Deo quidquam, quo Deum moveat ad ſe præ alio eligendum ad Gloriam: *Quis prior dedit illi* (ſeu Deo) *Et retribuetur ei? Quoniàm ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula*. Ex quo certiſſimo Apoſtoli *Pauli* principio hoc invictum colligo argumentum: Ideò ex Apnſtolo *Paulo* Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam eſt purè gratuita, quia nemo eſt, qui poſſit prior quidquam Deo dare, quod ab eo non acceperit, *quoniàm ex ipſo* (ſeu ex Deo) *& per ipſum & in ipſo ſunt omnia*, proindèque bonorum noſtrorum operum initium, perſeverantia & bonus uſus Gratiæ: Atquì *Gabriel Daniel*, *Livinus de Meyer*, & alii Scholæ Molinianæ Theologi

logi

logi cenſent, hominem à ſeipſo, ſeu à propriis liberi ſui arbitrii viribus, habere, & non accipere à Deo bonum uſum Gratiæ, ſeu hunc conſenſum, quem in certis locis, temporibus ac circumſtantiis præbet homo Gratiæ verſatili & indifferenti, eamque per ſuum conſenſum reddit *congruam* & efficacem, ergò in Syſtemate Moliniſtarum Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam non poteſt (juxta ſenſum Apoſtoli *Pauli*) eſſe purè gratuita.

Neque enim (juxtà Apoſtolum *Paulum*) Deus ob id alios præ aliis elegit, quòd gratia verſatili & indifferenti illos meliùs uſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros *congruam* & efficacem præſciverit, ſed è contrà Deus, quia illos gratis & ex pura miſericordia ſua elegit ad Gloriam, id ipſum in illis facit, & ſe facturum prædeſtinavit, non ſolùm ut gratiam haberent; ſed etiam ut ea benè uterentur; ſic vaſa illa miſericordiæ præparans ad gloriam, ad quam ea præparavit: *Gratiam & Gloriam dabit Dominus*, inquit Scriptura Sacra: *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*, ait Deus Exodi cap. 33. *Salus enim juſtorum à Domino*, ait Vates Regius Pſalmo 36. ideſt, ſalus juſtorum pendet ex ſolo Dei nutu, & ex mera ejus miſericordia, non verò ex prævisione conſenſus, quem homo, in talibus circumſtantiis à Deo conſtitutus, præbet Gratiæ verſatili & indifferenti, eamque reddit *congruam* & efficacem, ſicùt perperàm Moliniſtis videtur.

Præterea, Apoſtolus ex eo, quod, loco mox à me laudato, ponit, principio, videlicèt *hominem non poſſe priorem quidquam Deo dare*, *quoniàm ex ipſo* (ſeu ex Deo) *& per ipſum & in ipſo ſunt omnia*, ex eo, inquam, inconcuſſo & irrefragabili principio immediatè hanc conſecutionem infert: *Ipſi* (ſeu Deo) *gloria in ſæcula*, ſeu (ut repetit idem Apoſtolus Epiſtolæ I ad *Timotheum* Capit. I. verſ. 17.) *Regi ſæculorum immortali & inviſibili, Soli Deo honor & gloria*: Atquì, ſi prædeſtinatio Electorum ad Gloriam penderet (ſicut volunt Moliniſtæ) ex prævisione conſenſus, quem homo in talibus circumſtantiis præbet Gratiæ verſatili, & indifferenti, eamque per conſenſum ſuum reddit *congruam* & efficacem, certè, in hac Moliniſtarum hypotheſi non ſoli Deo tribui deberet honor & gloria, ſed jure optimo aliquid laudis, honoris & gloriæ tribuendum eſſet homini, quippè qui per ſuum conſenſum, ex liberi ſui arbitrii viribus profectum, Gratiam ex ſe verſatilem, & indifferentem reddidiſſet *congruam* & efficacem, ſicque per vires liberi ſui arbitrii ſeſe diſcreviſſet ab alio homine, qui, in iiſdem circumſtantiis poſitus, eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi à Deo oblatam, per ſuum diſſenſum reddidiſſet *incongruam* & inefficacem. Poſſet itaque homo (in Syſtemate Moliniſtarum) gloriari in ſe ipſo, & non in Deo, cùm tamen Apoſtolus dicat: *Soli Deo honor & gloria*, idque ſæpiùs inculcet in ſuis Epiſtolis: *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Epiſtolæ primæ ad Corinth. cap 4. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, Epiſt. 2. ad Corinth. Cap. X. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam*, Epiſt. 2. ad *Timotheum* cap. I *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*, Epiſt ad *Titum* c. 3.

Denique (ut alia penè innumera prætermittam in hanc rem ejuſdem Apoſtoli teſtimonia) mentem ſuam clariſſimè aperit hic Apoſtolus in Epiſtola ſua ad Epheſios cap. I. ubi, (ut oſtendat vocationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem à prævisione meritorum & conſenſus voluntatis humanæ) Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam appellat *Sortem*. Non poſſet autem Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam appellari *Sors*, ſi ipſa penderet ex prævisione meritorum, ſeu conſenſus, quem (ſicut docent Moliniſtæ) præbet homo Gratiæ verſatili & indifferenti, eamque per conſenſum ſuum

ſuum reddit *congruam* & efficacem. Hæc ſunt Apoſtoli verba, radiis ſolaribus clariora: *In quo* (ideſt, in Chriſto) *etiàm & nos SORTE vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ ejus*.

VII. Audiſti hactenùs, dilectiſſime Diſcipule, argumenta, quibus Apoſtolus *Paulus* paſſim in ſuis Epiſtolis, ſed potiſſimùm in Epiſtola ad Romanos, invictè probat, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam; auſculta nunc, quæſo te, Solutiones, quas adhibet idem Apoſtolus præcipuis objectionibus, quas ex hac doctrina de gratuita Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam exorituras prævidebat. Et primò quidèm, Apoſtolus cap 9. Epiſtolæ ad Romanos inquirit, cur ex Iſraelitis, quibus à Deo per Prophetas facta fuerat ſalutis promiſſio, tam pauci in Chriſtum crederent, cæteris in ſua incredulitate pereuntibus? Hinc enim Judæi occaſionem arripere poterant proponendi objectionem in hunc modum: *Tu dicis, firmùm & infallibile eſſe illud PROPOSITUM, quo Deus Iſraelitis adoptionem filiorum & ſalutem promiſit: Atqui tamen multi Iſraelitæ pereunt, ergò non eſt firmum & infallibile illud Propoſitum, quo Deus ſalutem Iſraelitis promiſit*.

Hanc tacitam Judæorum objectionem ut ſolvat Apoſtolus, ac ſimùl *Propoſiti* Dei infallibilitatem & immutabilitatem tueatur, reſpondet, non omnes ſecundùm carnem filios Abrahami in æternis Dei conſiliis fuiſſe prædeſtinatos, ſed aliquos dumtaxat præ aliis à Deo gratis ad Gloriam electos, quorum nullus perit: *Non autem quòd exciderit verbum Dei* (ideſt, non quòd Iſraelitarum culpa irritum ſit factum illud Propoſitum, quo Deus illis ſalutem promiſit) *non enim omnes, qui ex Iſraele ſunt* (ideſt ex Patriarcha *Jacobo* nati) *ii ſunt Iſraelitæ; neque qui ſunt Semen Abrahæ, omnes filii, ſed in Iſaac vocabitur tibi Semen; ideſt, non qui filii carnis, hi filii Dei, ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in Semine*. Quibus verbis palam oſtendit Apoſtolus *Paulus*, non quoslibet Iſraelitas, juxta Carnem, ſeu Sanguinis cognationem, natos ex Abrahamo, eſſe continuò filios Dei, & per hoc hæredes promiſſorum; ſed tantùm illos Iſraelitas, quibus adeſt Fides, per quam Abrahamus promiſſum Dei promeruit, eſſe filios Dei, ad Semen Abrahami verè pertinentes, quoſque Deus firmo & infallibili Propoſito prædeſtinavit, vocavit & gratis elegit ad gloriam præ aliis Iſraelitis, qui licèt ex Abrahamo, juxtà carnem, nati ſint, carent tamen Fide in Chriſtum, & ideò pereunt in incredulitate ſua.

Hanc gratuitam electionem Apoſtolus *Paulus* cap. XI. ejuſdem Epiſtolæ ad Romanos illuſtrat ex eo præſertìm quòd contigit temporibus Prophetæ *Eliæ*, cui putanti, ſe ſolum in Iſraele eſſe relictum, qui verum Deum coleret, Deus reſpondit, ſe ſibi reſervaſſe ſeptem millia virorum, qui non curvaſſent genua ante Idolum Baal; *ſic ergò* (ſubdit idem Apoſtolus) *Et in hoc tempore* (licèt tàm multi ex Judæis pereant) *reliquiæ tamen ſecundùm electionem Gratiæ ſalvæ factæ ſunt*, hoc eſt, pauci Judæi à Deo gratis, & ex pura ipſius miſericordia electi ſunt, non ex prævisis operibus, quia *ſi Gratia* (pauci illi Judæi electi ſunt) *jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia*, ait ibidèm Apoſtolus. Volve, revolve, quantùm volueris hanc Reſponſionem, quam Apoſtolus dat ad illam ſibi propoſitam objectionem, & nullum, mehercle, Molinianæ Gratiæ verſatilis, Gratiæ Congruæ, & Scientiæ Mediæ, vel minimum offendes veſtigium.

Altera objectio, quam Apoſtolus *Paulus* in eadem Epiſtola cap. 9. ſibi, Judæorum nomine, proponit, hæc eſt: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum?* hoc eſt, ſi Deus ex gratuita ſua voluntate, ac miſericordia, nullaque habita prævisione meritorum, hunc eligat, illum non educat ex maſſa corruptionis, ergò Deus injuſtus eſt?

Huic objectioni reſpondet primò Apoſto-

poſtolus, dicens: *Abſit*, ut dicatur Deum eſſe injuſtum. *Moyſi enim dicit*: *Miſerebor cujus miſereor*, *& miſericordiam præſtabo cujus miſerebor*; ideſt, cujus mihi viſum fuerit miſereri, miſerebor. Miſericordia enim gratuita eſt. Hinc immediatè ſubdit idem Apoſtolus: *Igitur non volentis*, *neque currentis*, *ſed miſerentis eſt Dei*; hoc eſt, homines vel ad Gratiam, vel ad Gloriam eliguntur, non ex prævisis eorum operibus, ſed ex ſolo Dei beneplacito.

Secundò, eidem objectioni reſpondet Apoſtolus, in rejectione, ſeu reprobatione hominum, relucere potentiam Dei: *Dicit enim Scriptura Pharaoni*: *Quia in hoc ipſum excitavi te* (ideſt, te Regem Ægypti feci) *ut oſtendam in te virtutem meam*, *& annuncietur nomen meum in univerſa terra*. *Ergò cujus vult miſeretur*, *& quem vult indurat*. Non habebat Rex *Pharao* quòd incuſaret Deum, ſuapte malitia ſubverſus eſt, & tamen illius malitia gloriam Dei illuſtravit apud Hebræos. Nemo damnatur niſi ſua culpa, nemo ſervatur niſi Dei beneficio. Eo dignatur Deus quos vult, ita ut ſit de quo gratias agas, non ſit quòd queraris. Neque enim Deus indurat animos hominum, quominùs credant Evangelio Chriſti; abſit ut ejuſmodi cogitatio ſubeat animum cujuſquam. Sed Deus pertinacia illorum hominum, qui ſuapte malitia recuſant credere, & reſiſtunt divinis auxiliis, quæ Theologi *ſufficientia* vocant, abutitur ad illuſtrandam beneficii ſui magnitudinem, ad declarandam potentiæ ſuæ gloriam, ad manifeſtandam ſuam juſtitiam, & ad procurandam ſalutem Electorum, qui, videntes reprobos juſtas peccatorum ſuorum luere pænas, illorum exemplo cautiores redduntur, alacriores gratias agunt, & ex impiorum cæcitate, atque exitio magis agnoſcunt quantùm debeant divinæ beneficentiæ, cui, quidquid boni habent, acceptum referre tenentur.

IX. Sed preſſiùs Apoſtolus *Paulus* cap. 9 verſ. 19. ejuſdem Epiſtolæ ad Romanos hanc difficultatem nomine Judæorum urget: *Dicis itaque mihi*, (inquit) *quid adhùc quæritur? voluntati enim ejus* (ſeu Dei) *quis reſiſtit?* Quaſi ſic Judæorum nomine argueret Apoſtolus: *Si Deus cuicumque vult miſeretur*, *& quemcumque vult indurat*, *quid igitur eſt in quo nos incuſet poſteà? Quandò voluntati illius reſiſti non poteſt*, *ſibi imputet*, *non nobis*, *ſi peccemus*.

Quid putas, dilectiſſime Diſcipule, Apoſtolum *Paulum* ad hanc Judæorum objectionem reſpondiſſe? Aitne Apoſtolus, Deum ad Gloriam prædeſtinare illos, quos prævidit Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi in talibus vel talibus circumſtantiis oblatæ, conſenſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros *congruam* & efficacem? & ſimilitèr Deum reprobare & à Gloria æterna illos arcere, quos prævidit Gratiæ verſatili, in his, vel illis circumſtantiis ſibi oblatæ, diſſenſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros incongruam & inefficacem? Certè, hæc Reſponſio in mentem Apoſtoli non venit, ſed actutum Apoſtolus ſuperbis Judæis (qui id objiciebant) os obturat his verbis: *O homo! tu quis es*, *qui reſpondeas Deo? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidèm vas in honorem*, *aliud verò in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram*, *& notam facere potentiam ſuam*, *ſuſtinuit* (id eſt, toleravit) *in multa patientia vaſa iræ*, *apta in interitum*, *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ*, *quæ præparavit in gloriam* (ideſt, in eos homines, quos gratuito dilexit amore, & ex pura miſericordia præ aliis elegit ac prædeſtinavit ad Gloriam.)

Adverte, quæſo te, ad illud luti exemplum, quod eò loci adducit Apoſtolus *Paulus*, quodque Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe omninò gratuitam & independentem prorsùs à præviſione meritorum, clariſſimè probat. At enim primò, ſicut una luti pars præ alia, nullo ſui concurrente merito, ſed ſola figuli voluntate ad nobiliora miniſteria formatur ac deſtinatur;

tur; ita & Deus in negotio prædeſtinationis ex ſola ſua gratuita voluntate, & ex pura liberalitate ac miſericordia ſua hominem, citrà illius meritorum prævisionem, præfert alteri homini: *Quaſi lutum figuli* (ait Sacer Auctor libri *Eccleſiaſtici* cap. 33.) *in manu ipſius, plaſmare illud, & diſponere; omnes viæ ejus ſecundùm diſpoſitionem ejus: ſic homo in manu illius, qui ſe fecit.*

Secundò, quemadmodùm nemo ferret, ſi luteum vas cum figulo ſuo expoſtularet, & diceret: *cur me ſic finxiſti?* ità tolerari minimè debet ſuperbia hominis, qui in negotio vel Prædeſtinationis, vel reprobationis, de Dei voluntate quereretur. Quod enim lutum eſt in manu figuli, hoc omnes ſumus in manu Dei. Figulus pro ſolo nutu & arbitrio ſuo fingit quodcumque animo ſuo collibuit, aliud vas in ſordidos uſus, aliud in honeſtos producens. Quocumque judicio id facit, ſuo jure id facit figulus, nec convenit lutum conſilii rationem ab illo exigere. Profectò, longè vilior eſt homo collatus cum Deo, quàm Argilla cum homine figulo. Si intolerabilis arrogantiæ ſit, lutum argutari cum figulo, quanto majoris arrogantiæ eſt, hominem de conſiliis Dei diſceptare? quæ tanto ſupra nos ſunt, ut vix umbram aut ſomnium poſſimus aſſequi. Illud nobis ſatis ſit credere, Deum, cum ſit omnipotens, poſſe quidquid vult; ſed eumdem, cùm ſit optimus, non velle niſi quod optimum eſt. Debemus cum Apoſtolo *Paulo* Cap. XI. Epiſt. ad Romanos ultrò profiteri, omnia bona proficiſci ex Deo, velut è fonte, ea per ipſum conferri velut authorem; illaque in ipſo eſſe, velut in cuſtode munerum ſuorum, ut nullam hinc laudis portionem homo ſibi aſſerere ac vindicare poſſit.

Poſtremò, virium noſtrarum probè conſcii, non debemus iſtius arcani de Prædeſtinatione & reprobatione hominum rationem altiùs ingredi aut perſcrutari, ſed prono capite adorare, & cum Apoſtolo, loco mox à me laudato, exclamare: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Hoc pacto confitebimur, Myſterium Prædeſtinationis eſſe impenetrabile, quod ſanè non eſſet impenetrabile, ſi fieret ex prævisis meritis (ſicut aſſerebant olim Pelagiani) vel ſi penderet (utì nunc volunt Moliniſtæ) ex prævisione conſenſus voluntatis humanæ, Gratiam (quam utique dicunt eſſe ex ſe verſatilem & indifferentem) determinantis, eamque *congruam* & efficacem reddentis.

Sed vereor, chariſſime Diſcipule, ne hìc plus æquo immorari videar in iſto argumento, quod ad probandum Electorum prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem à prævisione meritorum & conſenſus voluntatis humanæ, ſolent proponere Thomiſtæ; quocircà cætera argumenta, quibus iidem Theologi hanc veritatem, poſt Sanctos Patres, *Auguſtinum* & *Thomam* confirmant, ſummatìm dumtaxàt, ne tibi faſtidium creem, delibabo.

VII. Alterum argumentum deſumunt Thomiſtæ ex *S. Auguſtino*, qui Cap XV. Lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* probat ex prædeſtinatione Chriſti, prædeſtinationem hominum ad Gloriam eſſe purè gratuitam & independentem à prævisione meritorum, & conſenſus voluntatis humanæ. Sic enim habet ſummus ille Divinæ Gratiæ Doctor: *Eſt etiam præclariſſimum lumen Prædeſtinationis & Gratiæ ipſe Salvator, ipſe Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui ut hoc eſſet, quibus tandèm ſuis vel operibus, vel Fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparavit.* Ex quibus *S. Auguſtini* verbis hoc argumentum conficio: Prædeſtinatio Chriſti (juxta *S. Auguſtinum*) eſt præclariſſimum lumen & exemplar prædeſtinationis noſtræ: Atqui prædeſtinatio Chriſti, Salvatoris noſtri, eſt purè gratuita: ejusquippè ſanctiſſima humanitas non ex prævisis meritis, ſed gratuito Dei beneficio ad tam ſublimem

mem dignitatem & gloriam fuit aſſumpta; igitur hominum Prædeſtinatio ad Gloriam debet itidèm eſſe gratuita, quia, ut inquit Apoſtolus *Paulus* Epiſtolæ ad Romanos cap. 8. verſ. 29. *Quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Tertium argumentum depromunt Thomiſtæ ex eodem *S. Auguſtino*, qui in Libro *De Prædeſtinatione Sanctorum* & in Epiſtola 105. ad *Sixtum*, nunc 194. invictum ex prædeſtinatione gratuita parvulorum ad gloriam deducit argumentum ad probandum adultorum prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & ex mera Dei miſericordia, citrà prævifionem meritorum, & conſenſus voluntatis humanæ, unicè pendere. Conſtat enim, prædeſtinationem parvulorum eſſe purè gratuitam. Non enim parvuli prædeſtinati ſunt ad gloriam ex prævifione illorum conſenſus, vel ex propriis eorum meritis, cùm nulla habeant; nec ex meritis parentum, cùm pleroſque ortos è piiſſimis parentibus non prædeſtinet Deus, prædeſtinet verò alios ex ſceleſtiſſimis parentibus genitos, ut ibidem docet *S. Auguſtinus*.

Quam, quæſo (ait Aquilinus ille Doctor in Epiſtola 105. nunc 194. quæ eſt ad Sixtum) *allaturi ſunt cauſam, quòd alius ſic gubernetur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priuſquàm ab eis baptizandus offeratur, expiret?* & paulò poſt, ſic proſequitur S. Auguſtinus: *Et cur providentia Dei, ut renaſcantur ad hæreditatem cæleſtem, non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis contulit etiam parvulis impiorum?* denique concludit ſummus ille Divinæ Gratiæ Doctor, non aliam hujus diverſæ providentiæ Dei afferri poſſe cauſam, quàm inſcrutabilia Dei judicia: *Nimiæ vanitatis* (inquit) *& cæcitatis ſunt, ſi etiam, his conſideratis, nondùm dignantur exclamare nobiſcum: O altitudo divitiarum ſapientiæ & Scientiæ Dei*: Ea autem inſcrutabilia Dei judicia, ex *Sancto Auguſtino*, aliud non ſunt quàm divina prædeſtinatio, per quam Deus aliquot parvulis, non verò omnibus, voluit ab æterno ex pura miſericordia cæleſtem Gloriam conferre. Deus igitur gratuito beneficio, & ſola ſua miſericordia motus aliquot parvulos eligit ad Gloriam, & uni parvulo præ alio Baptiſmum ante mortem providet, vel mortem ſtatim poſt Baptiſmum, quia illum præ alio ſalvare gratis vult, eaque intentione Baptiſmum & mortem diſponit eo modo, quo expedit ut re ipſa ſalvetur. Cùr non idem dicemus de adultis? Deum videlicèt aliquos præ aliis gratuito beneficio & ex pura liberalitate ac miſericordia ſua ad Gloriam perducere voluiſſe, atque hinc factum, ut illis merita, Gratiis per ſe efficacibus, & potiſſimùm *magno perſeverantiæ Dono*, munita præpararet.

Hanc adultorum Prædeſtinationem ad Gloriam conſtantèr & perpetuò in ſuis Operibus, ſed præſertim in duobus poſtremis Libris *de Prædeſtinatione Sanctorum*, & *de Dono Perſeverantiæ* docet *S. Auguſtinus*, & in his in id totus incumbit, ut demonſtret, Deum ab æterno quoſdam gratis elegiſſe ad Gloriam certiſſimè perducendos, eaque intentione illis & initium, & bonum uſum Gratiæ, & conſenſum cum omnibus bonis operibus conſequentibus, ac demùm ipſammet Perſeverantiam gratis conferre. Hæc eſt Electorum ad Gloriam gratuita Prædeſtinatio, quam *S. Auguſtinus* docuit non ut probabilem opinionem, ſed tanquàm certum Fidei dogma, ſicùt ipſemet conceptis verbis aſſerit cap. 9. Libri *de Dono Perſeverantiæ*, ubi hæc habet: *Hoc ſcio*, inquit, *neminem contra iſtam Prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.*

Hanc doctrinam *S. Auguſtini* de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam approbarunt multi Summi Pontifices, plura Concilia, & Sancti Patres, maximè *Hilarius*, *Proſper*, *Fulgentius*, *Bernardus*, & *S. Thomas*. Quò fit, ut

Bellarminus lib. 2. *De Gratia & libero Arbitrio* hoc de iſta *S. Auguſtini* doctrina æquiſſimum ferat judicium : *Sedes Apoſtolica* (ait) *non ſemèl, ſed etiam ſecundò, & tertiò adversùs Pelagianorum reliquias pro defenſoribus gratuitæ Prædeſtinationis ſententiam tulit, ut jam hæc ſententia non quævis Doctorum opinio, ſed Fides Eccleſiæ Catholicæ dici debeat*. Hinc (ſicut in mea ſuperiori Epiſtola jam obſervavi) Sacra Facultas Pariſienſis anno 1347. inter alios *Joannis de Mercuria*, Ordinis Ciſtercienſis, articulos, ſua Cenſura tres Propoſitiones confixit, quibus ille auctor Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe gratuitam inficiabatur, eamque à Deo ex meritorum prævisione fieri affirmabat.

VIII. Quartum argumentum proponunt Thomiſtæ, triplici ratione *S. Thomæ* firmatum ac roboratum. Prima Doctoris Angelici ratio hæc eſt: Nullus Prædeſtinationis effectus poteſt eſſe ejus motivum (quia ſupponit Prædeſtinationem jam eſſe factam) ſed quidquid eſt in homine, eum ordinans ad vitam æternam, eſt effectus prædeſtinationis, ſive ſit initium Fidei & boni operis, ſive ſit conſenſus & bonus uſus Gratiæ, ſive ſint bona opera, & finalis perſeverantia; hæc, inquam, omnia ſunt effectus Prædeſtinationis, juxtà illud Apoſtoli Pauli : *Quid habes, quod non accepiſti? & Quoniam ex ipſo* (ſeu ex Deo) *& per ipſum & in ipſo ſunt omnia*. Ergò nullum bonum ex parte hominis potuit eſſe motivum prædeſtinationis. Sic diſcurrit *S. Thomas* I. Part. Quæſt. 23. Art. 5. & in Reſponſione ad tertium ſibi in eodem Articulo propoſitum argumentum, ait Angelicus ille Doctor : *Quare hos elegit Deus in gloriam, & illos reprobavit? non habet rationem niſi divinam voluntatem*.

Altera ratio, quam tradit Doctor Angelicus Quæſt. 23. de veritate Art. 4. petitur ex diſcrimine, quod intercedit voluntatem divinam inter & voluntatem creatam. Voluntas enim creata non producit bonum in objecto, quod amat, ſed ex bono, quod in objecto præexiſtit, incitatur ad illud diligendum. Hinc fit, ut eos ſoleamus eligere, quos judicamus eſſe aliis meliores. At, verſa vice, voluntas divina cauſat bonitatem in rebus, & ideò non diligit Deus aliquem præ aliis, quia melior eſt, ſed è contra, Deus, eum præ aliis diligendo, meliorem facit : Atquì, prædeſtinatio ad Gloriam eſt ſpecialis dilectio, quam Deus habet aliquorum præ aliis; ergò non ideò Deus prædeſtinat aliquos, quia eos meliores præſcivit, ſed è diverſo meliores futuri ſunt, quia Deus illos prædeſtinavit, ac ſubindè (juxta doctrinam *S. Thomæ*) conſenſus voluntatis creatæ, bonus uſus Gratiæ, initium Fidei, bona opera, & perſeverantia finalis non ſunt motivum, ſed effectus prædeſtinationis ad Gloriam.

Tertia denique *S. Thomæ* ratio ſic proponitur: Omnis proviſor, qui prudentèr & ordinatè procedit, vult priùs finem, & deindè ex volitione finis procedit ad volitionem & præparationem mediorum, quæ conducunt ad finem priùs ab ipſo intentum. Finis enim (juxta illud vulgare Effatum, in Scholis Theologorum ac Philoſophorum conſecratum) eſt *primum principium in agibilibus*, ſeu eſt *primum in intentione, & ultimum in executione*: Atqui Gloria æterna ſe habet inſtar finis, & opera meritoria viæ comparantur ad Gloriam æternam tanquàm media ad finem, ergò Deus, qui eſt proviſor prudentiſſimus, dùm vult aliquos efficacitèr ſalvare, priùs vult illis conferre gloriam, & deindè vult eis præparare media, per quæ ad illam certò & infallibilitèr perveniant, proindèque Deus primò electis vult efficacitèr dare Gloriam ex mera ſua liberalitate ac miſericordia, atque antè omnia prævisa merita; & ex ea efficaci intentione finis, ſeu ex efficaci volitione dandæ electis Gloriæ, vult Deus illis præparare ac ſuppeditare media meritorum, non qualiacumque, ſed media, ſeu beneficia, quibus (ut ait S. Auguſtinus) *certiſſimè liberantur quicumque liberantur*, quæque ad Gloriam certiſſimè perducunt.

Ex his tribus *S. Thomæ* rationibus

iſtud

Digitized by Google

Iſtud invictum argumentum eliciunt Thomiſtæ: Ea Prædeſtinatio eſt purè gratuita, & prorsùs independens à prævisione meritorum, ſivè viribus naturæ, ſivè auxilio Gratiæ verſatilis, comparandorum, quæ *non habet rationem niſi divinam voluntatem*: cujus effectus eſt quidquid bonum reperitur in homine in ordine ad ſalutem æternam, & quæ denique fit à Deo, prudentiſſimo ac ſapientiſſimo Proviſore, qui vult priùs finem, quàm media: Atqui, talis eſt (juxtà *S. Thomam*) Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam, igitur ex principiis inconcuſſis doctrinæ *S. Thomæ* manifeſtum eſt, Prædeſtinationem electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & omninò independentem à quacumque prævisione meritorum. Hinc Scriptura Sacra non modò electionem ad Gratiam, ſed & electionem ad Gloriam refert ad ſolum beneplacitum Dei: *Nolite timere puſillus Grex quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum*, Lucæ cap. 12. & Apoſtolus cap. 6. Epiſtolæ ad Romanos ait: *ſtipendium peccati mors, gratia autem Dei, vita æterna*, ſive (ſicut explicat *S. Auguſtinus* cap. 9. lib. *De Gratia & libero arbitrio*) *electio Prædeſtinatorum ad vitam æternam eſt illis gratis volita à Deo*. Cùm igitur in confeſſo ſit apud omnes Catholicos, Prædeſtinationem electorum ad Gloriam, ſumptam in executione, dari tanquàm ſtipendium juſtitiæ & propter merita (non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit) neceſſariò dicendum eſt, Prædeſtinationem ad Gloriam ex intentione Dei, eam electis præparantis, eſſe gratis volitam, & antè prævisionem meritorum; alioquì, ſi Prædeſtinatio ad Gloriam, utrobique ſumpta, ideſt, tam in intentione Dei, quàm in executione, nonniſi propter merita Electis donaretur, in nullo ſenſu his verbis Apoſtoli Pauli: *Gratia autem Dei, vita æterna*, poſſet ſua conſtare veritas, quia, ſicut appoſitè arguit idem Apoſtolus cap. xi. ejuſdem Epiſtolæ ad Romanos: *ſi ex operibus gratia, jam non eſt gratia*.

IX. Quintum Argumentum ſic conficiunt Thomiſtæ: Electio ad Gratiam perſeverantem eſt purè gratuita, & ex ſola Dei miſericordia pendet, ergò electio itidèm ad ſalutem, ſeu ad Gloriam æternam, eſt merè gratuita, & independens à prævisione meritorum. Antecedens à nullo Catholico negari poteſt, quia perſeverantiam eſſe donum Dei, dogma Fidei eſt, à multis Summis Pontificibus contra Pelagianos & Semipelagianos in Conciliis ſæpiùs definitum. Quòd verò perſeverantia gratis detur, & non ex prævisis meritis, tam certum eſt, quàm quod maximè, tum quia id, tanquàm conſtans Fidei dogma, invictis momentis probant *S. Auguſtinus* toto libro *de Dono perſeverantiæ*, & *S. Thomas* primæ ſecundæ Quæſt. 114. Art. 9. Tum, quia etiam Concilium Oecumenicum Tridentinum Seſs. 6. cap. 13. & Can. 16. appellat perſeverantiam *magnum* & ſpeciale *Dei donum*, quæ certè expreſſio minùs veritati conſona eſſet, ſi perſeverantia pro meritis daretur: tum quia denique ait Apoſtolus cap. 2. Epiſtolæ ad Philippenſes: *Cum metu & tremore operamini veſtram ſalutem, Deus enim eſt, qui operatur in vobis velle & perficere*, ideſt perſeverare, *pro bona voluntate* (ſeu, ut habet textus Græcus) *pro beneplacito*. Mitto cætera Scripturæ Sacræ loca, quæ innumera ſunt, eamdemque veritatem evidentiſſimè confirmant.

Porrò, ex hoc indubitato principio, quòd videlicèt electio ad Gratiam perſeverantem ſit merè gratuita, & fiat abſque prævisione meritorum; ex hoc, inquam, certiſſimo principio palàm ſequitur, electionem ad Gloriam eſſe pariter gratuitam, & fieri citrà prævisionem meritorum, quia omnis, qui perſeverat, ſalvus eſt; & nullus ſalvus eſt niſi qui perſeverat. Quò fit, ut, ſemel admiſſa, tanquàm gratuita, electione ad perſeverantiam (ſicut omnes Catholici confiteri tenentur) admitti etiam debeat, tanquàm gratuita, electio ad Gloriam; una quippè electio ab altera divelli ac ſeparari non poteſt, & quod de una affirmatur de altera negari nequit.

XII. Sex-

XII. Sextum Argumentum deducunt Thomiſtæ ex altitudine Myſterii Prædeſtinationis, cujus ratio nulla reddi poteſt, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* Epiſtolæ ad Romanos cap. xi. ubi exclamat: *Quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* idemque docet Sanctus *Auguſtinus* cap. 8. lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, dicens: *Cur autem iſtum potiùs quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus*: Atqui, ſi electorum Prædeſtinatio ad Gloriam non ſit gratuita, non eſt ampliùs Myſterium, quia illius facilè redditur ratio: nempè quærenti, cur Deus *Paulum* prædeſtinaverit, reprobarit verò *Judam?* ſtatim reponet Scholæ Molinianæ Theologus: Quia Deus per Scientiam Mediam prævidit merita conditionatè futura *Pauli*, qui in his, vel illis circumſtantiis ſuum liberè præbuit aſſenſum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblatæ, eamque per ſuum conſenſum reddidit *congruam* & efficacem; & è contrà per eamdem Scientiam Mediam prævidit Deus demerita conditionatè futura *Judæ*, qui Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi à Deo itidèm oblatæ, aſſenſum præbere renuit, eamque per ſuum diſſenſum reddidit *incongruam* & inefficacem.

Quòd ſi Molinianus Theologus dicat, hoc non obſtante, Prædeſtinationem electorum ad Gloriam eſſe gratuitam, & ex ſola Dei voluntate ac pura miſericordia pendere, quia penès ſolum Deum eſt dare *Paulo* Gratiam *congruam*, ſeu illum collocare in his circumſtantiis in quibus certò per Scientiam Mediam prævidit, eum præſtiturum ſuum conſenſum Gratiæ verſatili & indifferenti, & eam per ſuum conſenſum redditurum *congruam* & efficacem.

Reſpondebo ipſe primò, in Moliniano Syſtemate de Gratia congrua verum quidèm eſſe penès ſolum Deum eſſe dare Gratiam *congruam*; ſeu *Paulum* ponere in his circumſtantiis, in quibus certò prævidit illum Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſurum, eamque per ſuum conſenſum redditurum *congruam* & efficacem; at indè tamen minimè ſequi, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam eo in ſenſu, quo eam docuerunt ac defenderunt Sancti Patres, potiſſimùm *Auguſtinus*, & *Thomas*. Ratio in promptu eſt, quia Theologi Moliniani, Syſtematis de Gratia *congrua* defenſores, licèt doceant penès ſolum Deum eſſe dare Gratiam congruam, ſeu *Paulum* conſtituere in his circumſtantiis, in quibus prævidit, illum benè uſurum Gratia verſatili & indifferenti, eamque per ſuum conſenſum redditurum *congruam* & efficacem, attamen iidem Theologi pertendunt, non penès Deum, ſed ſolùm penès hominem eſſe benè uti gratia verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblata, eamque per ſuum conſenſum reddere congruam & efficacem. Quis autem (amabo te) in doctrina *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* tantiſpèr verſatus, ſuum in animum inducere poterit, Prædeſtinationem electorum ad Gloriam, ſic à Moliniſtis explicatam ac propugnatam, poſſe dici merè gratuitam, eamque ex pura Dei miſericordia pendere eodem in ſenſu, quo Sancti Doctores, *Auguſtinus*, & *Thomas* Prædeſtinationem electorum ad Gloriam eſſe gratuitam, & independentem omninò ex prævîſis meritis, ſive viribus naturæ, ſive ex Gratia verſatili & indifferenti comparatis perpetuò ac conſtantèr propugnarunt.

XIII. Septimo, ſi ſemèl Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam ideò gratuita cenſeri deberet, quòd (ſicut volunt Moliniſtæ Gratiæ Congruæ defenſores) penès ſolum Deum ſit Gratiam *congruam* dare, ſeu hominem conſtituere in his circumſtantiis, in quibus beneficio Scientiæ Mediæ certò prævidit, illum interiori Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſurum, eamque per conſenſum ſuum redditurum congruam & efficacem: Si, inquam, vera eſſet hæc Congruiſtarum Scholæ Molinianæ Theologorum ſententia, poſſet etiam dici, in hypotheſi illorum, qui repudiatis omnibus interioribus Gratiis, ſolas admitterent Gratias exteriores, verſatiles, indifferentes, & libero hominum permiſſas arbitrio; poſſet, inquam, in hac

hac hypotheſi, aſſeri & defendi, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe gratuitam, quia in hac hypotheſi, licèt in ſola hominis poteſtate eſſet Gratias illas exteriores reddere per conſenſum ſuum in his, vel illis circumſtantiis *congruas* & efficaces, attamen, in eadem hypotheſi, penès ſolum Deum eſſet dare homini Gratiam exteriorem *congruam* & efficacem, hoc eſt, penès ſolum Deum eſſet pro ſuo nutu & arbitrio ponere hunc hominem in his circumſtantiis, in quibus prævidiſſet, illum Gratiis exterioribus, verſatilibus & indifferentibus benè uſurum, eaſque per ſuum conſenſum *congruas* & efficaces redditurum: Atqui, nemo dicet, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam poſſe in hypotheſi eorum, qui, rejectis Gratiis interioribus, ſolas Gratias exteriores admitterent, verè dici gratuitam, tametsì penès Deum ſolum eſſet dare Gratiam congruam exteriorem, hoc eſt, etiamſi penès ſolum Deum eſſet conſtituere hominem in his circumſtantiis, in quibus prævidiſſet, illum Gratiis exterioribus, verſatilibus & indifferentibus benè uſurum, eaſque per conſenſum ſuum redditurum *congruas* & efficaces; Ergò ſimilitèr, in Syſtemate Moliniſtarum de Gratia interna *congrua*, non poteſt prædeſtinatio Electorum ad Gloriam verè dici gratuita, etiamsì penès Deum dumtaxàt ſit dare Gratiam internam *congruam*, hoc eſt, in ſola Dei poteſtate ſit homines collocare in his circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, illos benè uſuros Gratiis internis verſatilibus & indifferentibus, eaſque per ſuum conſenſum reddituros *congruas* & efficaces.

Ut igitur Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam verè, & in ſenſu Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* dicatur gratuita, duas conditiones neceſſariò importare debet. Prima eſt, ut ſit omninò independens ex præviſis meritis comparandis vel ex viribus naturæ, vel ex Gratia verſatili, & indifferenti, quam homo in his, vel illis circumſtantiis per ſuum conſenſum reddat *congruam* & efficacem. Secundò, requiritur, ut Deus, nullo, quod ſit ex parte hominis, merito motus, ſed ex ſola efficaci intentione, quam habet, aliquos pro ſua miſericordia, & gratuita voluntate eligendi ad gloriam, præparet ſpecialia beneficia, ſeu auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, per quæ electi tum à peccato, tum ab æterna damnatione certò liberentur & ad Gloriam æternam infallibilitèr perveniant. Cùm igitur duæ iſtæ conditiones, quas Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam (ut verè, & in ſenſu Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* cenſeatur, & ſit gratuita) ſibi neceſſariò vindicare debeat, nullo pacto convenire poſſint Prædeſtinationi Sanctorum ad Gloriam, explicatæ in ſenſu Moliniſtarum, Syſtematis de Gratia *Congrua* defenſorum; Certè vehementèr mirari ſubit, quorsùm *Gabriel Daniel*, *Livinus De Meyer*, aliique Moliniſtæ, fidentèr aſſerere audeant, Prædeſtinationem Electorum, ad Gloriam, tam eſſe, in ſuo de Gratia *congrua* Syſtemate, gratuitam, quàm in Syſtemate Thomiſtarum de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam dicitur Gratuita, & independens à præviſione meritorum.

XIV. Octavum argumentum, quo probatur, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè Gratuitam, & penitùs independentem à præviſis meritis, ſive ex naturæ viribus, ſive ex auxilio Gratiæ verſatilis comparandis, accerſunt Thomiſtæ ex prædeſtinatione Sanctorum Angelorum, quos non minùs ad gloriam gratuito Dei beneficio, puraque ejus miſericordia fuiſſe prædeſtinatos, quàm ſint homines in ſtatu naturæ lapſæ, conſtans eſt ac perpetua omnium Thomiſtarum ſententia contra Moliniſtas, & Janſeniſtas, qui, hac in cauſa fœderati, docent, Sanctorum Angelorum Prædeſtinationem ad Gloriam fuiſſe à Deo factam ex præviſione meritorum, quæ Sancti Angeli, adhùc in via exiſtentes, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, ſuoque libero ſubditæ arbitrio, ſibi compararunt. Verùm, hanc Moliniſtarum,

& Janſeniſtarum ſententiam abundè jam confutavi in duabus, quas ad te dedi, Epiſtolis, quæque in prima mearum Epiſtolarum Claſſe ſunt ordine nona & decima. In his ſiquidèm duabus Epiſtolis evici multis argumentis, & clariſſimis teſtimoniis Sanctorum Patrum, præſertìm *Auguſtini*, & *Thomæ*, Adamum in ſtatu naturæ innocentis, & Angelos, adhùc in via exiſtentes, opus habuiſſe Gratia per ſe efficaci tùm ad benè agendum, tùm ad Fidem, quæ per dilectionem operatur, tum ad perſeverantiam in ejuſmodi Fide. Ex qua Thomiſtarum doctrina manifeſtò ſequitur, neceſſariò admittendam eſſe in Angelis prædeſtinationem gratuitam ad Gloriam, eamque prorsùs independentem à prævisis meritis Angelorum, etiam auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, eorumque libero permiſſæ arbitrio, compararis.

Enìm verò, ſi quis quærat, cur Gratia per ſe efficax (quam Thomiſtæ contendunt Angelis ad perſeverandum in accepta juſtitia fuiſſe neceſſariam) ſi quis, inquam, quærat, cur Gratia per ſe efficax data ſit his Angelis, qui perſeverarunt, jamque in Cælis beatitudine perfruuntur, eccùr negata è contra fuerit illis Angelis, qui in accepta juſtitia non perſeverarunt, & nunc in inferis torquentur? illicò reſpondebunt Thomiſtæ, ideò iis Angelis, qui in juſtitia perſeverarunt, datam eſſe Gratiam ſe ipſa efficacem ad perſeverandum, quia, gratuito Dei beneficio, & ex mera Dei voluntate ad Gloriam æternam fuerunt electi atque prædeſtinati; aliis verò Angelis, qui ceciderunt, ideò Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem non fuiſſe datam, quia non fuerunt à Deo ad Gloriam æternam electi ac prædeſtinati. Ex qua Thomiſtarum doctrina ſic argumentor: Prædeſtinatio Sanctorum Angelorum ad Gloriam fuit purè gratuita, ergò à fortiori, Prædeſtinatio hominum in ſtatu naturæ lapſæ debet eſſe omninò gratuita; quia in peccato, cùm omnes Adami poſteri naſcantur, Gratiam, aut Gloriam æternam nec ex viribus naturæ, nec auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, eorumque (ut volunt Moliniſtæ) libero permiſſæ arbitrio, mereri poſſunt, ſubindèque non ex prævisis ipſorum meritis, ſed gratuita Dei benignitate, miſericordia, ac liberalitate, tàm ad Gratiam, quàm ad Gloriam æternam eliguntur ac prædeſtinantur.

XV. Nonum argumentum, quo Thomiſtæ probant, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem à prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis & indifferentis comparandis; ſic proponi poteſt: Deus ex ea efficaci intentione, quam habet, dandi aliquibus hominibus, præ aliis, Gloriam æternam, vult abſolutè his, quos eligit & prædeſtinat ad Gloriam, dare auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quæ eis actu conferant Fidem, juſtitiam ac perſeverantiam, ideſt, quæ humanam voluntatem ſuapte vi & efficacia determinent ad Fidem, juſtitiam ac perſeverantiam; ergò Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam eſt purè gratuita, & penitùs independens à prævisis meritis, etiam auxilio Gratiæ verſatilis & indifferentis comparandis. Antecedens ſic probatur: Si Deus (ut docent Moliniſtæ) daret omnibus promiſcuè hominibus ad æternam ſalutem conſequendam auxilia dumtaxàr verſatilia, indifferentia, & eorum ſubdita libero arbitrio ad habendam Fidem, juſtitiam, & perſeverantiam, ita ut penès ſolum hominem eſſet ejuſmodi auxilia Dei verſatilia determinare, & per conſenſum ſuum reddere *congrua* & efficacia, indè ſequerentur quàm plurima abſurda.

In primis (ut obitèr dicam) ex ea Moliniſtarum hypotheſi ſequitur primò, hominem, qui per conſenſum hæc auxilia verſatilia, & indifferentia ad Fidem, ad juſtitiam, & ad perſeverantiam, determinat, redditque *congrua* & efficacia, ſe ſe propriis ſuis liberi arbitrii viribus diſcernere ab alio homine, qui in iiſdem circumſtantiis conſtitutus, iiſdemque auxiliis verſatilibus præventus, attamen per ſuum diſſenſum prædicta

dicta auxilia verſatilia reddit *incongrua* & inefficacia.

Secundo, ille, qui talia auxilia verſatilia & indifferentia ad Fidem, juſtitiam, & perſeverantiam, determinaret per ſuum conſenſum, eaque redderet *congrua* & efficacia, jure optimo poſſet gloriari in ſe ipſo, quippè qui per ſolas & proprias liberi arbitrii ſui vires eſſet cauſa efficiens hujus bonæ determinationis; nec teneretur gratias agere Deo pro bona illa determinatione, quam non à Deo, tanquàm a cauſa efficiente, acciperet, ſed dumtaxàt à ſe ipſo, ſeu à propriis liberi arbitrii ſui viribus.

Nec denique hanc bonam determinationem, per quam, à viribus liberi arbitrii ſui profectam, oblata ſibi à Deo prædicta auxilia verſatilia & indifferentia reddit congrua & efficacia, deberet homo ſuis precibus petere à Deo, quia (ſicut inquit *S. Auguſtinus* c. 2. lib. de dono Perſeverantiæ) *cur poſcitur à Deo ſi non datur à Deo? An non iſta irriſoria petitio eſt, cùm id ab eo petitur quod ſcitur ipſum non dare, ſed, ipſo non donante, eſſe in hominis poteſtate?* Cùm igitur (juxtà Moliniſtarum doctrinam de Prædeſtinatione ad Gloriam, pendente à præviſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, & hominum ſubditæ libero arbitrio, comparandis) homo conſenſum, quem præbet Gratiæ verſatili, ſibi à Deo oblatæ, & per quem illam determinat, redditque *congruam* & efficacem, à Deo non recipiat, ſed à ſe ſolo, hoc eſt (juxta Molinianæ doctrinæ principia) ex propriis liberi arbitrii viribus hanc bonam determinationem habeat, indè manifeſta conſecutione deducitur, hominem non debere ſuis precibus hanc bonam determinationem, per quam conſentiendo Gratiæ verſatili, eam reddit *congruam* & efficacem, petere à Deo.

His omnibus argumentis, queis evincunt Thomiſtæ, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & independentem omninò à præviſis quibuſcumque meritis, ſive ex naturæ viribus, ſive auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominum ſubditæ arbitrio, comparandis; addere debes cætera alia argumenta, quibus oppugnavi in meis ſuperioribus Epiſtolis Scholę Molinianæ de Scientia Media, de Gratia verſatili, & de Gratia *congrua* doctrinam, quæ certiſſimè opponitur diametraliter doctrinæ, quam (juxta genuinam SS Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* mentem) ſectatur univerſa Schola Thomiſtica.

XVI. Non me latet, *Livinum De Meyer*, Societatis Jeſu Theologum, duos proferre Theologos Dominicanos, videlicè *Ambroſium Catharinum*, & *Thomam Campanellam*, qui ab hac Scholæ Thomiſticæ doctrina de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam independentèr à quacumque meritorum præviſione, apertè diſceſſerunt. Prior ſiquidèm, ſeu *Ambroſius Catharinus*, duplicem ſtatuit hominum ſalvandorum claſſem: in priore collocat Virginem Deiparam, Prophetas, Apoſtolos & nonnullos alios eximiæ Sanctitatis viros, quos docet, ſine ulla meritorum præviſione à Deo, per ſingulare privilegium, ad gloriam fuiſſe electos; ob idque ita in Gratia eſſe confirmatos, ut ab ea nullatenùs excidant. In altera verò hominum Salvandorum claſſe reponit *Ambroſius Catharinus* minoris perfectionis Sanctos, qui ſalutem aut jam ſunt adepti, aut eam conſequentur aliquandò: hos, communi providentiæ relictos, docet ille Theologus, ſalutem conſequi per Gratiæ auxilia, ſed quæ nullam ſpecialem prædilectionem arguant; indèque infert primò, omnes Prædeſtinatos certò conſequi ſalutem æternam, nec eorum perire quemquam. Infert ſecundò, multos, qui reverà prædeſtinati non ſunt, ad eam quoque pervenire.

Alterum verò Theologum Dominicanum, videlicèt *Thomam Campanellam* in Opuſculis, quæ contra Lutheranos lucubravit, de gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam, & de Gratia ſe ipſa efficaci, doctrinam Thomiſtarum improbare, & in oppoſitam deſcendiſſe ſententiam aſſerit *Livinus De Meyer*.

Verùm,

Verùm, ut ipſe de *Ambroſio Catharino*, & de *Thoma Campanella* judicium meum candidè & liberè proferam, dico inprimis, *Ambroſium Catharinum* fuiſſe quidèm Theologum doctiſſimum, ſed ingenio ſuo plùs æquo indulgentem, in ſtatuendis paradoxis liberalem, & ab ipſa Schola Thomiſtica, ob nimiam, qua titillabatur, novandi pruriginem, ſummo conſenſu rejectum, deniquè de *Ambroſio Catharino* Prædicatorum Ordinis Theologos coram Summo Pontifice PAULO III. vehementèr queſtos fuiſſe anno MDXLVI. ob quinquaginta ejus Aſſertiones, à communi Scholarum doctrina alienas, peregrinas, & in Schola Thomiſtica inauditas.

Quorsùm ergò *Livinus de Meyer* Thomiſtis objicit *Ambroſium Catharinum*, liberioris ingenii Theologum, & eo potiſſimùm nomine à Schola Thomiſtica exulantem, quòd à Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina in cauſis juſtificationis, Prædeſtinationis, & Gratiæ procùl abiverit.

Deindè, quòd ſpectat *Thomam Campanellam*, dico, illum plus valuiſſe impetu, quàm judicio, & diſceptatione extemporanea, quàm Scripto, eum magis in Philoſophia, Aſtrologia, & Medicina fuiſſe verſatum, quàm in rebus Theologicis; tantoque odio *Ariſtotelem* (cujus principiis volvitur Schola Thomiſtica) fuiſſe proſecutum, ut omnes illius Philoſophi Aſſertiones non dubitarit appellare *Aſinitates*. Hinc Cardinalis *Palavicinus* in libro inſcripto: *Vindicationes Societatis Jeſu*, hoc de noſtro *Thoma Campanella* æquiſſimum profert judicium: *Thomas Campanella*, *Dominicanus*, *Vir*, *qui omnia legerat*, *omnia meminerat*, *prævalidi ingenii*, *ſed indomabilis*.

Non deſunt tamen Scriptores, qui, licèt ultrò fateantur, noſtrum *Campanellam*, quo tempore junior ſcriberet, in ſuis contra *Lutherum* Opuſculis De gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam, & de Gratia ſe ipſa efficaci minùs dignè ſenſiſſe; ſeniorem tamen factum ſuam in ſentiendo præproperam feſtinationem caſtigaſſe, & ad Thomiſtarum caſtra rediiſſe aſſerunt. Quam in rem proferunt illi Scriptores egregium ejuſdem *Campanellæ* teſtimonium, quod legitur Parte Secunda ejus *Metaphyſicæ* lib. 9. cap. 13. Art. I. pag. 229. ubi hæc habet: *Illud inconcuſsè ſuſtineo, eſſe in nobis libertatem ad volendum & nolendum, & auxilium, ut entitas addita eſt, non fieri à nobis efficax; nullam enim entitatem dare poſſumus, niſi à primo ente, & cum primo; ergò fieri efficax à Deo effectivè &c.*

Sed, ut dem *Livino de Meyer*, *Ambroſium Catharinum*, & *Thomam Campanellam* receſſiſſe à doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam, nihil tamen Molinianus ille Scriptor indè contra hanc Scholæ Thomiſticæ doctrinam extundere poteſt. Sciunt quippè omnes, quotquot ſe *Sancti Thomæ*, ejuſque Scholæ doctrinæ addixerunt, aut ſibi ab illa recedere permiſerunt Dominicani; vel ab erroribus omninò immunes, vel illis, ita permittente Deo, obnoxios fuiſſe. Quis enim, amabo te, ignorat, *Durandum*, ex noſtris doctiſſimum & profundiſſimum Theologum, pluriès præcipitem, lapſum eſſe in diverſos errores, quibus libros ſuos maculavit? Undè hoc illi mali contigit? Quia à Magiſtro ſuo Doctore Angelico receſſit, ubi primùm Epiſcopus inauguratus cæpit ſui juris eſſe, & proprio marte novas excogitare opiniones; quod jure optimo ei ſuus Nepos *Durandellus* improperat, dicens: *Sedens adversù fratrem tuum loquebaris, & adversùs filium Matris tuæ ponebas ſcandalum &c.* Et noſter *Cajetanus* ipſe, quamdiù *S. Thomæ*, Magiſtro ſuo, firmitèr adhæſit, ab omni prorsùs errore longè abſuit. Quis eo tutiùs fixit gradum, quamdiù Doctoris illius Angelici veſtigia ſecutus eſt? At, cùm voluit ſuo regi judicio, & ab hac regia via diſceſſit, in illos lapſus eſt errores, qui noſtro *Ambroſio Catharino* amplam ſuppeditarunt materiam *Animadverſionum*, quibus ſex libros confecit. Quis ipſomet *Ambroſio Catharino* frequentius, &

gra-

gravius impegit? Quis *Thoma Campanella* turpius hallucinatus eſt? nempè quia duo illi Theologi Dominicani ſuo quam *S. Thomæ* ſenſui maluerunt adhærescere.

Hinc, ſub finem iſtius Epiſtolæ velim ſedulò advertas, cariſſime diſcipule, Scholam Thomiſticam non ea ergà ſuos alumnos philautia duci, ut illos omnes indiſcriminatim appellet *Ingenia Aquilæ: Turbam Phœnicum: Societatem Doctorum irrefragabilium, qui maximè intèr cæteros Scriptores excellunt, eiſque in dicendo, in judicando, in ſcribendo palmam præripiunt*: Sed potiùs Scholam Thomiſticam, inſtar optimæ matris, eos dumtaxàt alumnos blandè ſuo in ſinu complecti ac fovere, quos ſcit doctrinæ Sancti *Thomæ*, Scholæ Angeli, tanquàm ſacræ anchoræ, conſtantèr adhærere, eaque nihil ſecundùm Deum prius & antiquius habere; alios verò alumnos, è gremio ſuo tanquàm ſpurios ac degeneres penitùs rejicere ac reprobare, quos videt doctrinæ *S. Thomæ* parum eſſe addictos. Qua in re Schola Thomiſtica imitatur exemplum Aquilæ, quæ experimento probatura, degeneres ſint pulli, an genuini? illos, tanquàm degeneres, omninò repudiat, qui Solem fixa oculorum acie intueri, ejuſque micantis luminis fulgorem ſuſtinere haud poſſunt.

Vale, dilectiſſime Diſcipule, & (ut verus, ac genuinus ſis Scholæ Thomiſticæ alumnus) Opera *S. Thomæ*, Angelici Præceptoris noſtri, jugi lectione verſa, & ex hoc illibato fonte hauſtam Scholæ Thomiſticæ doctrinam in purum putumque (ut dici ſolet) ſuccum converte. Interim, ipſe Deum etiam atque etiam rogabo, ut egregios tuos in ſtudiis conatus benè fortunare dignetur, & honeſti tui propoſiti felicia incrementa largiatur.

EPI-

EPISTOLA OCTAVA

In qua evincitur, ſententiam Moliniſtarum de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam, dependentem à prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, & libero hominum, (quantùm ad efficaciam) ſubditæ arbitrio, comparandis; falſis niti principiis, & caducis fultam eſſe fundamentis.

SCholæ Molinianæ Theologi circà doctrinam de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam duas in partes ſunt diſtracti. Alii quippè cum *Leonardo Leſſio*, Societatis Jeſu Theologo, docent, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe ex prævisis meritis, non quidem viribus naturæ, ſed auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominum ſubditæ arbitrio, comparandis. Statuunt enim iſti Moliniani Theologi, Deum omnibus indiſcriminatìm hominibus Gloriam æternam quantùm eſt de ſe, impertiri velle, ſi ea dignos ſe præſtiterint, ſingulíſque itidèm hominibus ſuppeditare auxilia verſatilia, indifferentia, eorumque (quantùm ad efficaciam) libero ſubdita arbitrio, quorum ope ad æternam Gloriam æqualitèr pervenire poſſint, nec tamen Deum magis unum præ alio diligere, aut eligere reſpectu æternæ Gloriæ, donec per Scientiam Mediam præviderit, quinam ſint auxiliis illis verſatilibus, & humanæ voluntatis permiſſis arbitrio, æqualiter, & omnibus hominibus communitèr præparatis, per ſuum conſenſum ac propriam libertatem benè uſuri; atque hinc Moliniani iſti Theologi aſſerunt, Deum determinare, ut his, quos prævidit auxiliis verſatilibus & indifferentibus per propriam libertatem benè uſuros, Gloriam æternam præ aliis dare decernat.

Alii ejuſdem Scholæ Molinianæ Theologi cum *Franciſco Suareſio*, Societatis Jeſu Theologo, & Gratiæ *congruæ* aſſertore, pertendunt, tam benè in Syſtemate Scientiæ Mediæ, quàm in Syſtemate Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, aſſeri ac defendi poſſe, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, mera Dei voluntate factam, & à præviſione meritorum prorsùs independentem. Sic autem hi Theologi ſuum explicant Syſtema. Deus (inquiunt) per Scientiam Mediam (futurorum conditionatorum exploratricem) antequàm quemquam ad Gloriam æternam eligat ac prædeſtinet, prævidit, quo pacto homines, ſi in hac vel illa circumſtanciarum ſerie conſtituerentur, Gratia, ſibi oblata, verſatili & indifferenti, eorumque (quantùm ad efficaciam) libero ſubdita arbitrio, uſuri ſunt; ideſt prævidit Deus per Scientiam Mediam, aliquos in his, vel illis circumſtantiis Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, reddituros, per propriæ ſuæ voluntatis conſenſum, *congruam* & efficacem; Prævidit etiam Deus, aliquos homines in his vel illis circumſtantiis eamdem Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam, reddituros, per proprium voluntatis ſuæ diſſenſum, *incongruam* & inefficacem.

Hac autem ſemel conditionata præviſione ſuppoſita, dicunt hi Theologi, Deum quoſdam homines, præ aliis, ſpecialiori & gratuita dilectione decreviſſe ponere in iis circumſtantiis, in quibus prævidit, illos Gratia verſatili & indifferenti benè uſuros, ſeu illam per proprium ſuæ voluntatis conſenſum reddituros *congruam* & efficacem, & eos uſque in finem perſeveraturos, atque in-

tuitu hujus perſeverantiæ eis Gloriam æternam dare efficaciter voluiſſe; cæteros verò homines ſtatuiſſe in illis collocare circumſtantiis, in quibus prævidit per Scientiam Mediam, illos Gratia verſatili & indifferenti, ſibi oblata, malè uſuros, ideſt, eam per proprium ſuæ voluntatis diſſenſum reddituros *incongruam* & inefficacem, ac ſubindè uſque in finem non perſeveraturos, ſicque eos negativè reprobaſſe.

Hanc *Suareſii* de Prædeſtinatione gratuita, retento Syſtemate Scientiæ Mediæ, ſententiam ambabus manibus *Gabriel Daniel* in ſua Epiſtola VI. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* amplectitur, contenditque, Prædeſtinationem in Syſtemate Scientiæ Mediæ, juxta hanc *Suareſii* ſententiam, tam eſſe gratuitam & independentem à præviſione meritorum, quàm poteſt eſſe in Syſtemate Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci. Sed præſtat ut *Danielem* auſcultemus, ſic pro domo ſua perorantem: *Veniamus* (inquit) *ad comparationem utriuſque Syſtematis, tùm Scientiæ Mediæ, tum Decretorum prædeterminantium, quòd gratuitam prædeſtinationem attinet. Jeſuitarum in ea re potiores partes ac meliorem veſtra cauſam eſſe non pugno: id unum contendo, nequaquàm vos illis ſuperiores, aut meliori jure uti.... Quid intelligimus, cùm gratuitam prædeſtinationem dicimus? quænam huic voci ſubjecta notio vera & ſententia eſt? hæc, ut opinor, Decretum Dei eſt, quo ſtatuit efficaci Gratia prævenire hominem, neutiquam id, ut ſunt ejus delicta promerentem, eumque ab errore ad veritatem, à vitio ad virtutem conferre, atque ita illum prævenire, nullam ut in hoc eodem homine cauſam reperiat, qua moveatur ad ejuſmodi beneficium illi tribuendum, quod in eum proindè mera liberalitate impulſus & miſericordia conferat, dùm interìm illud idem non tribuit innumeris aliis juxtà atque ille indignis quidèm, ac ſæpè minùs indignis, quia paucioribus minoribuſve flagitiis contaminati ſunt: Atqui in Syſtemate Scientiæ Mediæ prorsùs ita ſe res habet. Ethnicus, qui veram ad religionem efficaci Gratia vocatur à Deo, ſceleribus eſt coopertus, adulteriis & homicidiis inquinatus, nequàm & impius, & ſexcentis aliis multo nequior, qui eodem auxilio, beneficioque, ſiquidèm ipſis donetur, non ſeciùs, quàm ille, uterentur, nihil in eo Deus videt, niſi cur eumdem oderit, deſerat, damnet, igitur Decretum, quo Deus illum prædeſtinat, tam eſt gratuitum, quàm poteſt eſſe, quàm in Syſtemate Thomiſtarum eſt.* Et, poſt pauca interjecta, alloquendo noſtrum *Natalem Alexandrum*, ſubdit idem *Daniel*: *Sic eſt, mi Pater, ſatisfacerent, mihi crede, Auguſtino Jeſuitæ; ac illum haberent planè ſuum in hac præcipua & potiſſima doctrinæ ipſius parte, quæ Semipelagianorum errorem directò impugnant. Ah! quæſo, ne ſis ergà illos Auguſtino durior &c.*

Verùm, ipſe hac in Epiſtola evincere ſatagam, hanc *Danielis* ſententiam (quam in ſuo Concellita *Suareſio* expiſcatus eſt) de Prædeſtinatione gratuita, retento Syſtemate Scientiæ Mediæ, multis paraſangis diſtare à ſententia Thomiſtarum de Prædeſtinatione merè gratuita Electorum ad Gloriam, & prorsùs independente ab omni meritorum præviſione, juxta eorum Syſtema de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci. Oſtendam inſuper, *Suareſii*, *Danielis*, aliorumque Moliniſtarum Gratiæ *congruæ* defenſorum, doctrinam de Prædeſtinatione gratuita, retento Scientiæ Mediæ Syſtemate, eſſe falſam, ad fucum dumtaxàt faciendum comparatam, totoque cælo diſtare à Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam.

Ut autem id clara, facilique methodo conficiam, referam in primis, & ſimùl confutabo principia, quibus nituntur illi Moliniſtæ, qui, ſententiam *Leonardi Leſſii* ſectantes, docent, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed eam pendere ex præviſis per Scientiam Mediam meritis, non quidèm ex viribus naturæ, ſed auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis ſubditæ arbitrio, comparandis. Dein, in medium produ-

producam, & radicitùs convellam principia, quibus *Franciſcus Suareſius* (quem, ut ſuæ doctrinæ coryphæum, *Gabriel Daniel*, *Livinus de Meyer*, aliique Moliniſtæ, Gratiæ *congruæ* Aſſertores, ſequuntur) nititur probare, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam (retento Syſtemate de Scientia Media, exploratrice futurorum conditionatorum) eſſe purè gratuitam, & independentem à prævisione meritorum.

Referuntur, & refelluntur Principia doctrinæ illorum Moliniſtarum, qui, cum Leonardo Leſſio, & Ludovico Molina, *pertendunt, Prædeſtinationem ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed pendere ex prævisione meritorum.*

Leonardus Leſſius, Societatis Jeſu Theologus, in Præfatione Opuſculi, quod edidit, *de Prædeſtinatione*, profitetur, ſe eo præcipuè principio fuiſſe impulſum, ut ſententiam de Prædeſtinatione ad Gloriam poſt prævisa merita ſuo calculo approbaret, ejuſque patrocinium ſuſciperet, quòd aptior, & longè accomodatior ſit ædificationi & ſolatio fidelium. Enim verò, ſi Deus paucos homines ex pura ſua miſericordia, & gratuita voluntate elegit ad Gloriam, & alios innumeros excluſit: Quem hæc jam lata tàm terribilis & irrevocabilis Dei Sententia non conturbabit? Quis Populus Chriſtianus, ſi hanc doctrinam audiat, non ſtatim atteratur, non deſpondeat animum, non affligatur, & in deſperationem adigatur, præſumendo, ſe potiùs in majori, quàm in minori numero eſſe incluſum. Contrà verò, ſententia, quæ ſtatuit, Prædeſtinationem ad Gloriam non eſſe merè gratuitam, ſed pendere ex prævisione meritorum, tranquillat mentem, alacrem reddit animum ad bona opera elicienda, ſpem erigit, charitatem inflammat pro tanto beneficio, quod Deus in manu noſtra poſuit, ac denique diligentiam acuit, ut æternam ſalutem, quam Deus nobis præparavit ex prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis comparandis, conſequamur.

Ex his, & aliis id genus, quæ in prædicto Opuſculo congerit *Leonardus Leſſius*, hoc argumentum confici poteſt: Inter varias, quæ circumferuntur, opiniones, ea ſeligi & admitti debet, quæ populis majori ſolatio eſſe poteſt; atquì opinio, quæ docet, Prædeſtinationem fieri ex prævisis meritis, per Gratiam verſatilem & indifferentem comparandis, majori eſt populis ſolatio, ergò hæc opinio admitti & præferri debet Thomiſtarum opinioni de gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam, quæ eſt prorsùs independens à prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis ſubditæ arbitrio, comparandis.

I. Huic *Leonardi Leſſii*, & *Ludovici Molinæ* principio, cui, tanquàm ſacræ anchoræ, indivulsè adhærent illi Scholæ Molinianæ Theologi, qui Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam purè gratuitam eſſe inficiantur, multis, iiſque, opinor, invictis momentis convello. Primò, quia certum eſt, Myſteria Fidei noſtræ, quibus jure optimo accenſeri debet prædeſtinatio Electorum ad Gloriam, non ex humanis ratiunculis, ſed potiſſimùm ex revelatione divina, cui rationes noſtras ſubmittere & accomodare par eſt, cenſeri debere. Hinc Apoſtolus *Paulus*, poſtquàm, cap. 9. Epiſtolæ ad Romanos, Electorum Prædeſtinationem ad Gloriam, gratuitam, ut re ipſa eſt, apertiſſimè docuiſſet, ſibique eamdem objectionem propoſuiſſet, non ob id tamen doctrinam ſuam emendavit, aut emollivit, ſed potiùs recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei, & queruli hominis ſuperbiam compeſcit, dicens: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?*

Et ſanè, ut obitèr dicam, ſi inter varias opiniones, eas ſeligere deberemus, quæ populis magis arrident, & illis majori poſſunt eſſe ſolatio, actum profectò eſſet ac penitùs conclamatum de puritate Moralis Chriſtianæ, quia eas deberemus amplecti & ſequi opiniones, quas non multis ab hinc annis quidam

dam Laxones Theologi, Sacris Litteris, Sanctis Patribus, decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum Canonibus penitùs valere juſſis, proprio marte excogitarunt, eaſque humanis dumtaxat ratiunculis fulcire ſtuduerunt, quò omnibus omninò hominibus faciliorem viam ad ſalutem æternam ſternere, & accommodatiorem vivendi normam (quæ ipſis maximo ſolatio & emolumento eſſet) ſuppeditare poſſent: Atqui tamen Summi Pontifices INNOCENTIUS X. ALEXANDER VII. & ALEXANDER VIII. necnon Clerus Gallicanus, omnes iſtas corruptelas & laxitates, quas in Moralem Chriſtianam invexerant molliores illi Theologi, proſcripſerunt, anathemate perculerunt, & natalitiis tenebris damnarunt. Si igitur Theologo in Morali Diſciplina nefas eſt varias inter, quæ volitant, opiniones eas ſeligere, quæ nimis favent libertati, & majori hominibus ſolatio eſſe poſſunt; quantò minùs, amabo, id in rebus, ad Fidem ſpectantibus, licebit Theologo, qui, juxtà Sanctiſſimas Regulas, nobis à Summis Pontificibus, Conciliis, & Sanctis Patribus, ſapientiſſimè præſcriptas, non debet ea, quæ faciliora ſunt, vel Populis majori ſolatio eſſe poſſunt, tradere, ſed oportet, ut quæ veriora judicat, complectatur & doceat.

Ea quippè eſt (ſicut in confeſſo eſt apud omnes Theologos) Myſteriorum Fidei noſtræ natura, ut certiſſima quidèm ſint, ſed humanæ menti inſcrutabilia. Quod quidem præcipuè locum habet in Myſterio Prædeſtinationis Electorum ad Gloriam, de quo impræſentiarùm agimus, quodque difficillimum eſſe explicatu docent Apoſtolus *Paulus*, *S. Auguſtinus*, & Concilium Tridentinum Ex quibus omnibus adversùs illos Moliniſtas, qui pertendunt cum *Leonardo Leſſio*, Prædeſtinationem ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed eam ſupponere præviſionem meritorum, iſtud conficio argumentum, quod (ni mea me fallat mens) rectà ipſorum jugulum petit: Myſterium Prædeſtinationis Electorum ad Gloriam eſt explicatu difficillimum, ſicut disertè docent Apoſtolus *Paulus*, *S. Auguſtinus*, & Patres Concilii Tridentini: Atquì ſententia *Leonardi Leſſii*, aſſerentis, Prædeſtinationem ad Gloriam non eſſe gratuitam, eamque pendere ex præviſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero ſubditæ arbitrio, comparandis, hæc (inquam) *Leonardi Leſſii* ſententia ſummam præ ſe fert facilitatem, ergò hæc ſententia, quam benè multi etiamnùm ſequuntur Scholæ Molinianæ Theologi, non eſt admittenda.

II. Prætereà, quodnam eſt, quæſo, iſtud ſolatium, quod populi ex iſta *Leſſii*, & *Molinæ* ſententia de Prædeſtinatione ad Gloriam poſt præviſa merita exculpere poſſent? Quaſi verò tutius non ſit ſortem noſtram invictæ Dei manui, quàm fragili noſtræ committere, dicente Propheta. *In manibus tuis ſortes meæ*. Ex quo *S. Auguſtinus* cap. 6. libri *De Dono Perſeverantiæ* ſic concludit: *Tutiores vivimus, ſi totum Deo demus, non autem ſi illi ex parte, & nobis ex parte committamus*. Experientia etiam docet, hominem, ſuis viribus permiſſum, ſponte in malum ruere, & viros etiam perfectè juſtos, ubi vel tantiſper de ſe præſumunt, ſtatim cadere. Quare hoc? quia homines etiam juſti in ſtatu naturæ lapſæ habent in ſe ipſis cupiditatis & concupiſcentiæ fundum, cui ſi committantur, inclinationi Gratiæ ſe ſubducunt & ſimiles ſunt vitro, quod è manu hominis, qua ſuſtentabatur, excidens, nativa ſui fragilitate rumpitur.

Id ut clariùs intelligas, cariſſime diſcipule, propone tibi ex una parte diſcipulum doctrinæ *Molinæ*, & *Leſſii*, qui tamen humilis ſit, & virium ſuarum infirmitatis probè conſcius, atque ex altera parte conſtitue Thomiſtam, Prædeſtinationis gratuitæ, & Gratiæ per ſe efficacis defenſorem; audies *Molinæ*, & *Leſſii* diſcipulum, qui virium ſuarum infirmitatem, ex peccato originali profectam, ſeriò & attentè ponderabit, ſic loquentem: *Hactenùs arriſerat mihi ſententia Molinæ, & Leſſii*, qui

qui docent, Deum in negotio ſalutis noſtræ perficiendo præparare nobis Gratias verſatiles, indifferentes, & ſubditas libero noſtro arbitrio, ita ut penès nos dumtaxat ſit ejuſmodi Gratias verſatiles reddere per conſenſum noſtrum ad benè operandum efficaces, earumque bonum uſum nemini Deus procuret, ſed illum à nobis expectet. Hæc, inquam, Molinæ, & Leſſii ſententia mihi hactenùs maximè arriſerat; Sed nunc conſiderans infirmitatem virium mearum, & ſciens cum Apoſtolo Paulo, quòd non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum; videnſque aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: Hæc dùm tacitus mecum perpendo, tantùm abeſt ut hæc Molinæ, & Leſſii ſententia me ſoletur, ut potiùs terreat me, & tantùm non in deſperationem inducat. Qui enim ipſe, tot vulneribus confoſſus, tot miſeriis obnoxius, tot tentationibus Mundi, carnis, & Diaboli appetitus, tot illecebris ad peccandum illectus ac ſollicitatus, potero, pro meo nutu & arbitrio, & quotiès voluero, uſque ad finem vitæ meæ, Gratias illas verſatiles & indifferentes per meas congenitas vires ad bonum flectere ac determinare, eaſque per meum conſenſum reddere efficaces ad benè operandum? Ah! ſi in procurando ſalutis æternæ negotio, ad meas liberi arbitrii vires remittar, jam illis diffiſus, de mea ſalute deſperare incipio. Viden, cariſſime diſcipule, *Leſſii*, & *Molinæ* ſententiam de Prædeſtinatione ad Gloriam, pendente ex prævifis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis & indifferentis comparandis, licèt homines ſuperbos, de ſe præſumentes, ſtulta lætitia, & vana conſolatione afficiat, humiles tamen & ſuæ pravitatis conſcios vehementiùs conturbare, eiſque ſummam faceſſere moleſtiam?

At è contrà, Thomiſtarum ſententia de prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam ſuperbos quidèm conturbat utilitèr, ne de ſe præſumant, dum audiunt, ſalutem eſſe à Domino, perditionem verò ex nobis; humiles autem potentèr erigit, multùmque ſpe divinæ miſericordiæ conſolatur. Hinc Thomiſta, Gratuitæ Prædeſtinationis ad Gloriam, & Gratiæ per ſe efficacis defenſor, ſic Deum fidentèr alloquitur: *Domine, ſcio, te eorum, quos gratuita voluntate tua ab æterno elegiſti ad Gloriam, humanæ infirmitati ita potenti & per ſe efficaci ſuccurrere auxilio, ut communibus & ſufficientibus auxiliis ipſi non deficiant, ſed, tua ducente omnipotenti manu, ad ſalutem æternam certiſſimè perveniant. Jam itaque mihi ſpes affulget, id futurum per tuæ divinæ miſericordiæ potens & ex ſe efficax auxilium, quod probè ſcio, attenta virium mearum infirmitate, nunquàm futurum, ſi mihi dumtaxàt præparaſſes auxilia verſatilia, ex ſe indifferentia, & meo libero permiſſa arbitrio. Hinc fit, ut tantò de mea ſalute ſecuriùs ſperem, quantò magis mearum virium infirmitatem agnoſco. Nec meam minuit ſpem, quòd tam exiguus ſit electorum numerus, quia compertum ac exploratum habeo, non ſolùm pauciores, ſed etiam nullos ad æternam ſalutem perventuros, ſi tu, Domine, ſuppeditare dumtaxàt auxilia verſatilia, & ex ſe indifferentia, quæ humanæ infirmitati ſubmitterentur, & tantùm darent* Poſse, *ſi velimus iis uti, non verò hoc ipſum quod velimus his uti, & benè operari. Abſit autem, Domine, ut ob id ſegnis ſim ad bona opera elicienda, quæ in Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam, tanquàm Media, ad ſalutem æternam conſequendam, ordinaſti, ſed potiùs tantò ardentiùs illis incumbam, quantò magis me prædeſtinatum eſſe volo, nec me terrebunt ingruentia vitæ pericula, Satanæ fraudes, inſurgentium paſſionum inſultus, quia ſcio, validiſſimum præſidium, ſeù auxilium per ſe & ab intrinſeco efficax, fuiſſe à te, Domine, paratum illis, qui in te ſolo ſpei ac fiduciæ ſuæ ſacram anchoram figunt, dicamque cum Apoſtolo Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Tantùm igitur abeſt ut gratuita Electorum Prædeſtinatio ad Gloriam minuat ſpem, adimat ſolatium, & in deſperationem inducat, ut potiùs omnes fideles ædificet, ſuperbos humiliando, & humiles, ſuæ pravitatis & virium infirmitatis conſcios, erigendo.

III.

III. Tertiò, idem *Leſſii*, & *Molinæ* argumentum contra gratuitam Electorum Prædeſtinationem ad Gloriam fuit *S. Auguſtino* propoſitum à Semipelagianis, qui dictitabant, hanc ſententiam de Prædeſtinatione gratuita adeò eſſe duram, ut Populo prædicari non deberet, ne ei ſcandalo & offenſioni eſſet; quorum objectioni ſic *S. Auguſtinus* cap. 17. Libri *De Dono Perſeverantiæ* reſpondet: *Ego nolo exaggerare meis verbis, ſed illis potiùs cogitandum relinquo, ut videant, qualeſit, quod ſibi perſuaſerunt prædicatione Prædeſtinationis audientibus plus deſperationis, quàm exhortationis afferri: hoc eſt enim dicere, tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quandò ſpem ſuam non in ſe ipſo, ſed in Deo didicerit ponere, cùm Propheta clamet: Maledictus qui ſpem ponit in homine.*

Eamdem Semipelagianorum objectionem in minutiſſimum pulverem redigit *S. Auguſtinus* Cap. XI Lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ubi hæc habet: *Cùm Apoſtolus dicat, ut ſecundùm Gratiam firma ſit promiſſio: miror, homines infirmitati ſuæ ſe malle committere, quàm firmitati promiſſionis Dei. Sed incerta eſt mihi (inquis) de me ipſo voluntas Dei. Quid ergò? tuane tibi voluntas de te ipſo certa eſt? nec times; qui videtur ſtare, videat ne cadat: cùm igitur utraque incerta ſit, cur non homo firmiori potiùs, quàm infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit?*

Poteſt itaque abſque periculo & ſcandalo prædicari populo doctrina de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam, modò Concionator prudentèr has adhibeat cautiones, quarum prima eſt, quòd prædeſtinatio gratuita ad Gloriam non tollit in executione neceſſitatem bonorum operum, quibus, tanquàm Mediis, ad gloriam æternam aſſequendam neceſſariò, dum ſumus in hac vita, incumbere debemus, & quorum Prædeſtinatio gratuita eſt prima radix, ac prima cauſa.

Secundò, Concionator populo oſtendere debet, Prædeſtinationem Electorum non officere ſuavitati providentiæ divinæ, quia ad ſuavitatem Dei providentiæ ſpectat, ut unicuique provideat juxta cujuſque conditionem, ſubindèque ut ex cauſis defectibilibus quaſdam permittat à ſuo particulari fine deficere, quia ſic poſtulat naturæ defectibilis conditio, & exigit perfectio univerſi; aliàs verò cauſas à ſua defectibilitate præſervet. Cùm igitur liberum hominis arbitrium, quo ordinatur ad conſecutionem Beatitudinis, ſit ex ſe defectibile, & à Deo ſuam habeat indeficientiam; pertinet ad ſuavem Dei providentiam permittere ut hi, qui Gratiis ſufficientibus (in ſenſu Thomiſtico intellectis) ſibi à Deo oblatis, vel collatis, & quibus veram habent potentiam ſalutem æternam conſequendi, propria ſua culpa ac malitia reſiſtunt, ſicque impediunt, ne recipiant auxilia per ſe efficacia, quæ Deus ex ſe paratus eſt illis dare, & quorum beneficio certiſſimè æternam ſalutem conſequerentur; pertinet, inquam, ad ſuavem Dei providentiam permittere, ut ejuſmodi homines, qui perire volunt, ſuæ defectibilitati relicti, excidant è beatitudine, eamque propria ſua culpa nunquàm adipiſcantur. E contra verò ad eamdem ſuavem Dei providentiam pertinet, ut his, quos gratuita ſua voluntate ac pura miſericordia eligit ad Gloriam, conferat auxilia per ſe efficacia, ne deficiant, ſed his potentèr adjuti, infallibilitèr, inſuperabilitèr, indeclinabilitèr ſalutem æternam conſequantur, & hoc pacto Deus manifeſtet in electis omnipotentem Gratiæ ſuæ virtutem, & efficaciam, & in reprobis oſtendat eorum naturæ defectibilis conditionem.

Poſtremò, Concionator, dùm ad populum de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam ſermonem facit, ſatagere debet, ut oſtendat, Prædeſtinationem gratuitam Electorum ad gloriam, vi Decreti, quo Deus abſolutè vult ex pura ſua miſericordia aliquos eligere ad gloriam, eſſe quidèm certam, ſed nullam tamen imponere neceſſitatem, ſeu non impedire, quominùs prædeſtinati propriis ſuis actibus beatitudinem ſibi liberè eligant, & reprobi iti-

dèm liberè ab ea recedant. Ratio eſt, quia (ſicut pluribus in locis docet *S. Thomas*) cùm Deus ſit auctor totius boni, quod in nobis & à nobis ſit, ſitque cauſa totius entis, & omnium ejus differentiarum, ſeu neceſſitatis & contingentiæ rerum, attingit Deus ſubſtantiam & modum cujuslibet effectus, undè ad divinæ voluntatis efficaciam pertinet, ut non tantùm fiat id quod ipſa vult fieri, ſed etiàm eo modo, vel neceſſario, vel contingenti, fiat, quo divina voluntas vult fieri. Cùm igitur Deus decreverit electos ad Gloriam perducere per eorum actus liberos & contingentes; & præordinaverit omnia merita, quibus electi in executione, ſeu in tempore, pervenient ad vitam æternam; utrumque certiſſimè facit Deus, & ut per illos actus reipſa ſalventur electi, & tamen illi actus liberè & contingentèr producantur ab electis: *Ordo Prædeſtinationis* (inquit *S. Thomas* I. Part. Quæſt. 23. art. 6.) *eſt certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingentèr provenit Prædeſtinationis effectus.*

His adhibitis cautionibus, gratuitam Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam, independentem ab omni meritorum prævisione, ſecurè & citrà ullum periculum concionator prædicare poteſt: *An timendum eſt* (inquit *S. Auguſtinus* cap. 22. Lib. *De Dono Perſeverantiæ*) *ne tunc homo de ſe deſperet, quandò ejus ſpes ponenda demonſtratur in Deo; non autèm deſperaret, ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus & infeliciſſimus poneret?*

IV. At, inquiunt Moliniſtæ: Hæc doctrina de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam nec doceri, nec ad Populum prædicari debet ob multa pericula, & inconvenientia, quæ ex ea manifeſtò ſequuntur. Primum inconveniens eſt, quòd Doctrinam de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam avocat fideles à propriæ ſuæ ſalutis ſtudio, & Paſtores à zelo ſalutis animarum. Alterum eſt, quòd cùm hac doctrina ſtare minimè poteſt hominis libertas. Tertium eſt, quòd eadem doctrina Deum facit acceptorem perſonarum. Poſtremum inconveniens in hoc reponunt Moliniſtæ, quòd velint, doctrinam de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam inducere in *Prædeſtinatianorum* Hæreſim, quam *Calvinus*, aliique hæretici recoxerunt, aſſerentes cum Thomiſtis, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & independentem omninò à prævisione meritorum.

Primum inconveniens ſic probant Moliniſtæ: Facta ſemel hypotheſi de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, animum cujuslibet confeſtim ſubit hoc dilemma: *Vel ſum de Prædeſtinatorum numero: vel non ſum. Si primum, quamvis hic & nunc de mea ſalute non ſim ſollicitus, eam tamen ſuo tempore infallibilitèr conſequar, cùm fieri nullo pacto poſſit, ut (ſtante Prædeſtinatione) peream: Si ſecundum, ideſt, ſi non ſim de numero Prædeſtinatorum: inutiles erunt planè mei conatus, inutiles preces, correptiones, & adhortationes, quia immobilitèr jam à Gloria æterna ſum excluſus, nec ſemèl excluſus ulla cura ad illam perveniam.* Eodem cornuto dilemmate uti poteſt Paſtor reſpectu alicujus animæ, quæ illius curæ concredita eſt: *Vel hæc anima* (dicet ille Paſtor) *eſt de Prædeſtinatorum numero, vel non. Si primum, licèt de ejus ſalute non ſim ſollicitus, ſalutem tamen infallibiliter conſequetur: Si ſecundùm, meus erit irritus labor, & oleum operamque perdam.*

Alterum inconveniens, ſeu incommodum, ſic probant Moliniſtæ: Libertas hominis ſtare non poteſt cum Decreto Dei, quod antecedit omnem actum voluntatis humanæ, cuique eadem voluntas obſiſtere haud poteſt: Atquì Thomiſtarum doctrina de Prædeſtinatione gratuita adſtruit Dei Decretum, quod antevertit omnem voluntatis humanæ actum, cuique ipſa obſiſtere non poteſt, cùm prædeſtinatus non poſſit damnari, igitur hominis libertas cum doctrina de gratuita Prædeſtinatione nullo pacto cohærere poteſt.

Tertium inconveniens ſequi ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita ſic Moliniſtæ ſuadere conantur: ille eſt

per-

perſonarum acceptor, qui ex duobus hominibus unum pro ſuo nutu & arbitrio eligit ad Gloriam, alterum ab ea excludit; uni confert Gratiam per ſe efficacem, cujus beneficio infallibiliter æternam ſalutem conſequetur, alteri verò hanc Gratiam denegat: Atqui Prædeſtinationis gratuitæ deſenſores docent, Deum ex duobus hominibus unum mera ſua voluntate prædeſtinare ad Gloriam, alterum verò ab ea excludere; uni ſuppeditare auxilia per ſe efficacia, alterum his privare; igitur ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita conſequitur, Deum eſſe acceptorem perſonarum; quod tamen apertè negat Apoſtolus *Paulus* cap. 2. Epiſtolæ ad Romanos, dicens: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

Poſtremum inconveniens ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita ideò promanare volunt Moliniſtæ, quia (inquiunt) hæretici, olim *Prædeſtinatiani* dicti, & poſteà *Lutherus*, *Calvinus*, *Janſenius*, aliique noſtræ tempeſtatis Heterodoxi ſententiam de Prædeſtinatione poſt prævisa merita explodunt, rejiciunt & damnant tanquàm Semipelagianorum errorem; doctrinam autem de Prædeſtinatione gratuita & antè omnem me ritorum prævisionem amplectuntur, & acritèr tuentur tanquàm genuinam *Sancti Auguſtini* doctrinam; igitur (concludunt Moliniſtæ) doctrinam de Prædeſtinatione gratuita & antè omnem meritorum prævisionem inducit in Prædeſtinatianorum hæreſim, quam, jam pridem extinctam, *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius* ex orco revocarunt.

V. Verùm, proclive mihi eſt ex principiis Doctrinæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* oſtendere, hæc quatuor incommoda, quæ Thomiſtarum doctrinæ de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam objectare ſolent Moliniſtæ, quæque fuerunt olim ſæpiùs à Semipelagianis decantata, oriri ex mendoſa ac falſa gratuitæ Prædeſtinationis idea, quam ſibi perperàm effingunt Moliniſtæ, putantes, hoc Decretum, quo Deus ex pura ſua miſericordia aliquos eligit ad Gloriam, inducere neceſſitatem, nihilque relinquere humanę libertati circà negotium ſalutis.

Ab hac falſa & peregrina gratuitæ Prædeſtinationis idea adhorrent omnes Thomiſtæ, qui poſt *S. Thomam* docent, Prædeſtinationem ad Gloriam biſariàm ſpectari poſſe. Primò ſecundùm ordinem *intentionis*, & deindè ſecundùm ordinem *executionis*. Priori modo ſpectata Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam eſt purè gratuita, quia Deus ſecundùm ordinem *intentionis* vult prius finem quàm Media, ſubindèque priùs vult Decreto efficaci, & gratuita voluntate, puraque miſericordia vitam æternam, quæ ſe habet inſtàr finis, quibuſdam conſerre. At Prædeſtinatio ad Gloriam, ſi ſpectetur ſecundùm ordinem *executionis*, non eſt gratuita, quia in ordine executionis Gloria æterna proponitur tanquàm merces, præmium, bravium & corona juſtitiæ, quæ in ſuo conceptu eſſentiali præſupponunt merita, quibus rependuntur.

Quapropter, circà Prædeſtinationem ad Gloriam hæc tria accuratè diſtingui debent. Primò, Deus in ordine *intentionis* Decreto abſoluto & efficaci (quod Theologi appellant *intentivum*) vult quibuſdam, quos pura ſua miſericordia, & gratuita voluntate eligit, Gloriam conferre. Secundò, ex eo Decreto abſoluto & efficaci dandi gratuitò Gloriam, Deus his, quos elegit ad Gloriam, confert paritèr gratuitò Media, ſeu auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quæ infallibilitèr electos ad Gloriam æternam perducent. Denique, Deus vult ut electi in tempore, ideſt, juxta ordinem *executionis*, per bona opera, quæ ipſi liberè, & adjuti divinis auxiliis per ſe & ab intrinſeco efficacibus, eliciunt gloriam æternam, tanquàm coronam juſtitiæ, mereantur, & re ipſa conſequantur, ita ut tamen (ſicut docent *SS. Auguſtinus*, *& Proſper*) dùm Deus Sanctorum coronat merita, *coronet dona ſua*, *& his*, *quos eligit ſine meritis*, *det undè ornentur ex meritis*. Electi ergò, licèt, juxtà ordinem intentionis, ideſt (ut loquuntur Theologi) juxtà

Decretum *intentivum*, ſint pura Dei miſericordia, gratuita ipſius voluntate, & antè omnem meritorum prævisionem, prædeſtinati ad Gloriam, in tempore tamen, ideſt, juxtà ordinem executionis, ſive (ut loquuntur Theologi) juxtà Decretum Dei *executivum*, merentur per bona opera (quæ per Gratias ſe ipſis efficaces edunt) vitam æternam. Eorum tamen merita in ordine executionis, & potiſſimùm perſeverantia, ſunt Dona Dei, gratis à Deo præparata, quia Deus ab æterno gratuita ſua voluntate, puraque miſericordia illos ad Gloriam eligit, eiſque itidèm gratuitò ſuppeditare voluit auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, ut in tempore, ſeu in ordine executionis, eamdem Gloriam per bona opera promererentur; *non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, ut inquit Scriptura Sacra. Hæc ſi altè memoriæ tuæ infigere ſatagas, in auras, fumumque evaneſcent ea incommoda, quæ ex Prædeſtinatione gratuita & antè omnem meritorum prævisionem effluere pertendunt Moliniſtæ, quæque falsò ſupponunt, omnia, in ſalutis negotio, opera hominum libera ac meritoria penitùs hac doctrina de Prædeſtinatione ad Gloriam aboleri. Nihilominùs, majoris claritatis ergò, ad hæc quatuor doctrinæ Thomiſticæ de gratuita prædeſtinatione ad Gloriam objecta incommoda ſigillatim reſpondebo.

Et ſtatim dico, argumentum, quod Adverſarii ex primo incommodo deſumunt, nimis probare, & ſi valeat, probare itidem Dei præſcientiam, quam noſtri Adverſarii, tanquàm Dogma Fidei, profitentur, quemlibet hominem avocare à propriæ ſalutis ſtudio. Quiſquis enim (Dei ſemèl admiſſa præſcientia) ſic poterit argutari: *Vel Deus ab æterno præſcivit, me conſecuturum ſalutem, vel non præſcivit: Si præſcivit Deus, licèt modò de ſalute mea minimè curem, eam tamen certiſſimè ſuo ſum tempore conſecuturus: Si verò Deus præſcivit me ſalutem æternam non conſecuturum, etiamſi nunc eam ſedulò curare velim, nuſquàm tamen illam conſequar.*

Hinc *S. Auguſtinus* cap. 15. Lib. *De Dono Perſeverantiæ* reſpondens Semipelagianis, qui (ut videre eſt in Epiſtola *S. Proſperi* ad *S. Auguſtinum*) eidem objiciebant hoc incommodum ac dilemma, quod nunc ad nauſeam uſque Doctrinæ Thomiſticæ de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam opponere ſolent Moliniſtæ, hæc habet, quæ ad rem noſtram appoſitè faciunt: *illa cum dicunt* (ſeu Semipelagiani) *ità nos à confitenda Dei Gratia ideſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitenda ſecundùm eam Prædeſtinatione Sanctorum, deterrere non debent, ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales vos eritis, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos.*

Præterea, iſtud primum incommodum, quod nobis Adverſarii objiciunt, nullo pacto ſequitur ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam; quia (ſicùt docent omnes Thomiſtæ) Prædeſtinatio non tantùm eſt ad finem, ſeu ad Gloriam æternam, ſed eſt etiam ad Media, quibus ille finis, ſeu Gloria æterna, comparari debet. Porrò, hæc Media ſunt ipſamet bona opera, quæ Deus vult, ut nos in tempore, ſeu in ordine executionis, liberè & meritorie adjuti Gratiis per ſe efficacibus, operemur, iiſque bonis operibus conſequamur Gloriam æternam, ad quam in ordine intentionis, ideſt, juxta ſuum Decretum abſolutum efficax, quod (ut mox obſervavi) Theologi vocant *intentivum*, non gratuita ſua voluntate, & ante omnem meritorum prævisionem, prædeſtinavit.

Tantùm igitur abeſt, ut Prædeſtinatio gratuita ad Gloriam adimat electis ſollicitudinem bona opera in tempore, ſeu in ordine executionis, eliciendi, ut potiùs illis jugem bonis operibus incumbendi ſollicitudinem inferat, & per Gratias, ſe ipſis & ab intrinſeco efficaces, efficiat, ut nos liberè & meritoriè bona opera exeramus, iiſque in tempore & in ordine executionis, vocationem noſtram certam faciamus: *Sicùt ille* (inquit *S. Auguſtinus* cap. 17. Lib. *De*

De Dono Perſeverantiæ) *quem Deus caſtum futurum eſſe præſcivit , quamvis id incertum habeat , agit ut caſtus ſit : Ità ille , quem caſtum futurum prædeſtinavit Deus , quamvis id incertum habeat , non ideò non agit , ut caſtus ſit , quoniam Dei dono ſe audit futurum quod quærit ; immò etiam gaudet ejus charitas , nec inflatur tanquàm id non acceperit . Non ſolùm ergò* (concludit Aquilinus ille Doctor) *prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur , verùm etiam ad hoc adjuvatur , ut , cùm gloriatur , in Domino glorietur .* Sed ſatis confutatum manet primùm illud incommodum , quod opportunè importunè ex Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam conſequi pertendunt Moliniſtæ , quodque in eos facilè retorqueri poteſt , cùm ipſimet ultrò fateantur & credant , Deum præſcire res omnes , quæ à nobis liberè fiunt , damnentque errorem *Ciceronis* , qui lib. 2. *De Divinatione* negavit , res , quæ à nobis liberè fiunt , certò præſciri ac prævideri poſſe à Deo , ſicque *Cicero* (ut ait S. Auguſtinus) *ut homines faceret liberos , fecit & Sacrilegos :*

In altero refellendo incommodo , quod Adverſarii noſtri ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam conſequi ſibi falsò perſuadent , non hìc multùm immorabor , quia tantùm abeſt , ut Decretum abſolutum & efficax , quo Deus vult electis gratuita ſua voluntate conferre Gloriam , aliquam humanæ voluntati neceſſitatem imponat , ut potiùs ejus libertatem , & potentiam qua pollet , ad oppoſitum , promoveat , foveat ac perficiat . Importat quidèm hoc Dei Decretum ſeriem Gratiarum per ſe efficacium , quarum ope bona opera electi in tempore producent , & uſque in finem vitæ in juſtitia certiſſimè perſeverabunt : At , Gratia per ſe efficax (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis ſat copiosè oſtendi) non lædit liberum hominis arbitrium , nec ei adimit potentiam ad oppoſitum , ſed majorem ei conciliat perfectionem.

Hinc Thomiſtæ docent , quòd licet prædeſtinatus damnari non poſſit *in ſenſu compoſito* , ideſt , non poſſit conjungere actualem damnationem cum prædeſtinatione (hoc quippè impoſſibile eſt , cùm Prædeſtinatio ad Gloriam importet per modum cauſæ maximè efficacis , Decretum Dei abſolutum & efficax de conferenda homini prædeſtinato juſtitia & in ea juſtitia perſeverantia uſque in finem , quæ certè actualis perſeverantia nullo pacto cum actuali damnatione componi poteſt) attamen , Thomiſtæ , poſt SS. Patres *Auguſtinum* , & *Thomam* , docent , prædeſtinatum damnari poſſe *in ſenſu diviſo* , quia licèt prædeſtinatus actu & re ipſa ſit uſque in finem in juſtitia perſeveraturus , poteſt tamen non perſeverare , ſubindèque in homine prædeſtinato poſſibilitas damnationis componitur cum prædeſtinatione . In hac autem potentia ad oppoſitum tota ſiſtit vera ac genuina humanæ libertatis notio.

Addo etiam , hanc objectionem petitam ex iſto incommodo , quod ex doctrina de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam effluere aſſerunt Moliniſtæ , fuiſſe olim *S. Auguſtino* propoſitam à Semipelagianis , qui (ſicut refert *S. Proſper* in Epiſtola ad S. illum Doctorem) ideò doctrinam *S. Auguſtini* de Prædeſtinatione rejiciebant , quòd dicerent , *ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci* . Porrò , credibile non eſt , Semipelagianos voluiſſe in doctrinam *S. Auguſtini* hanc intorquere objectionem , ſi reverà *S. Auguſtinus* (ſicut dictitant Moliniſtæ) non exiſtimaſſet , prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam , ſed docuiſſet , eam pendere ex præviſis per Scientiam Mediam meritis , auxilio Gratiæ verſatilis , indifferentis , & ſubditæ libero hominis arbitrio , comparandis . Profectò , deſpuiſſent omninò Semipelagiani , ſeſeque omnibus deridendos propinaſſent , ſi *Sancto Auguſtino* , in hac ſententia de Prædeſtinatione ad Gloriam poſt præviſionem meritorum verſanti , objeciſſent *ſub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci* , ſicut inſanirent Thomiſtæ , & omnibus ludibrio eſſent , ſi Moliniſtis , qui docent , prædeſtinationem ad Gloriam non eſſe gratuitam ,

ſed eam pendere ex prævisis per Scientiam Mediam meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, & indifferentis, & libero permiſſæ arbitrio, comparandis: objectarent, *ſub hoc prædeſtinationis* (quam defendunt iſti Moliniſtæ) *nomine fatalem neceſſitatem induci.*

Ad tertium incommodum, quod ex doctrina de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam promanare affirmant Moliniſtæ, Reſpondeo, iſtud incommodum non ſequi ex doctrina de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, quia (ſicut docet *S. Thomas* ſub finem lectionis ſecundæ in capit. 2. Epiſtolæ ad Romanos) *Perſonarum acceptio opponitur juſtitiæ, unde locum habet in his, quæ dantur ex debito, quod attendit juſtitia: Deus autem non ex debito, ſed gratis peccatores ad pœnitentiam vocat. Si enim ex operibus, jam non ex gratia, ut dicit Apoſtolus Cap. XI. hujus Epiſt. ad Romanos, & cap. 3. Epiſtolæ ad Titum: Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit. In talibus autem beneficiis gratis datis non ſolùm Deo, ſed etiam hominibus liberum eſt dare cui voluerit, ut dicitur cap. 20. Matthæi: An non licet mihi quod volo facere?* Cùm igitur Deus nemini debeat Gratias per ſe efficaces, & Gloriam æternam, certè non eſt perſonarum acceptor, dùm aliquos gratuita voluntate ac miſericordia prædeſtinat ad Gloriam, aliis verò Gratias per ſe efficaces, & Gloriam æternam denegat, quia ſunt beneficia eis omninò indebita.

Hanc doctrinam hauſit *S. Thomas* ex *S. Auguſtino*, qui objicientibus Semipelagianis, ex ipſius doctrina de prædeſtinatione ſequi, Deum eſſe acceptorem perſonarum, ſic capit. 7. lib. 2. ad *Bonifacium* reſpondet: *Acceptio perſonarum ibi rectè dicitur, ubi ille, qui judicat, relinquens cauſæ meritum de qua judicet, alteri contrà alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona, quod honore vel miſeratione dignum ſit.* Quibus verbis apertè innuit *Sanctus Auguſtinus*, ibi non eſſe perſonarum acceptionem, ubi nullum eſt meritum, ſed commune omnium delictum: *Si autem quiſpiam* (proſequitur S. Doctor) *duos habeat debitores, & alteri velit remittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, ſed neminem fraudat, nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quandò iniquitas nulla eſt. Sicut ergò* (concludit S. Auguſtinus) *hic nulla eſt acceptio perſonarum, quia ſic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: Sic etiam cùm ſecundùm Propoſitum Dei vocatur alius, alius non vocatur; vocato datur gratuitum bonum, cujus boni eſt vocatio ipſa principium, non vocato redditur malum, quia omnes rei ſunt, ex eo quòd per unum hominem peccatum intravit in Mundum.*

Quartum inconveniens, quod doctrinæ de gratuita prædeſtinatione ad Gloriam opponunt Moliniſtæ, graviſſimam complectitur calumniam. Ajunt quippè Moliniſtæ ſententiam de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam inducere in Hæreſim antiquorum *Prædeſtinatianorum*, & in errores *Lutheri, Calvini*, & *Janſenii*, quibus, perindè ac Thomiſtis, viſum eſt, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe merè gratuitam, ab omni meritorum prævisione independentem, totamque illius cauſam adæquatam ex ſola Dei gratuita voluntate, liberalitate ac miſericordia repeti debere.

At, putida illa calumnia nullo negotio refellitur. Et primò quidèm, quod ſpectat *Prædeſtinatianorum* hæreſim, non deſunt qui cum noſtro *Vincentio Contenſono* in ſua *Theologia Mentis & Cordis*, & cum *Cabaſſutio*, Congregationis Oratorii Jeſu Presbytero, in ſua *Notitia Eccleſiaſtica*, autumant, nunquàm in rerum natura extitiſſe hanc *Prædeſtinatianorum* Hæreſim. Alii ſunt, qui aſſerunt cum Eminentiſſimo Cardinali *Noriſio* in *Hiſtoria Pelagiana*, nonnullos quidèm fuiſſe in quinto Eccleſiæ ſæculo Novatores, qui, pravè de Gratia, de libertate, & de Prædeſtinatione ſentientes, dicti ſunt *Prædeſtinatiani*, dicunt tamen, illos paucos admodùm fuiſſe, & nunquàm in Sectam coaluiſſe. Alii

Digitized by Google

Alii demùm cum *Gennadio* in lib. *De Scriptoribus Eccleſiaſticis*, *Hincmaro*, Archiepiſcopo Remenſi, in Epiſtola *ad Nicolaum*, *Papam*, *Sigeberto* in Chronico ad annum 415. & cum Anonymo Scriptore, quem doctiſſimus è Societate Jeſu *Sirmundus* ex Bibliotheca S. Mariæ Remenſi, ſub *Prædeſtinati* nomine publici juris fecit anno 1643. Alii, inquam, cum his laudatis Scriptoribus pertendunt, hanc *Prædeſtinatianorum* Hæreſim reverà in quinto Eccleſiæ ſæculo emerſiſſe, eamque, jam extinctam, poſtliminiò fuiſſe nono Eccleſiæ ſæculo revocatam à *Gotteſchalco*, Orbacenſis Cœnobii Monacho Benedictino.

Quænam ex his tribus, quæ circà *Prædeſtinatianorum* Hæreſim circumferuntur, ſententiis, verior ſit, non vacat impræſentiarum inquirere, nec tàm longam diſquiſitionem patiuntur hujuſce Epiſtolæ anguſtiæ. Dicam dumtaxàt obitèr, quamcumque ex his tribus opinionem ſelegeris, in tuto ſemper eſſe Thomiſtarum doctrinam de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam independentèr à prævifis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, & ſubditæ libero hominis arbitrio, comparandis, Si enim cum noſtro *Contenſono*, & cum *Cabaſſutio*, dicas *Prædeſtinatianorum* Hæreſim nunquàm in rerum natura extitiſſe, vel ſi cum Cardinali *Noriſio* affirmes, paucos admodùm quinto Eccleſiæ ſæculo fuiſſe Novatores, dictos *Prædeſtinatianos*, qui tamen nunquàm coaluerunt in Sectam; ſi, inquam, id cum illis Scriptoribus dicas, non indè periclitabitur veritas doctrinæ Thomiſtarum de Prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam, quia, juxta illos Scriptores, fictitia & planè commentitia eſt hæc *Prædeſtinatianorum* Hæreſis, vel Secta, quæ, ad conflandam diſcipulis *S. Auguſtini* invidiam, fuit à Semipelagianis excogitata.

Quòd ſi verò cum aliis, mox à me citatis, Scriptoribus dicas, *Prædeſtinatianorum* Hæreſim reverà quinto Eccleſiæ ſæculo erupiſſe; nihil indè tamen derogabis veritati doctrinæ Thomiſtarum de Prædeſtinatione ad Gloriam antè omnem præviſionem meritorum. Ratio in promptu eſt, quia iſti *Prædeſtinatiani*, quorum *Gennadius*, *Hincmarus*, *Sigebertus*, *Prædeſtinatus Sirmundi*, mentionem faciunt, docebant primò, *Deum non minùs ad malum culpæ, quàm ad malum pœnæ prædeſtinare*. Secundò, docebant, prædeſtinatione induci fatum, ſeu inevitabilem adſtrui neceſſitatem, quæ cum libero creatæ voluntatis arbitrio non ſtaret. Porrò, tàm certum eſt, quàm quod maximè, hæc duo *Prædeſtinatianorum* Hæreſis capita, quæ in Concilio Arauſicano ſecundo fuerunt proſcripta, ab omnibus ad unum Thomiſtis, doctrinæ de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam acerrimis defenſoribus, repudiari, improbari ac damnari. Qua fronte ergò (quæſo te) audent nonnulli, huic Thomiſtarum doctrinæ iſtam *Prædeſtinatianorum* Hæreſis impingere calumniam?

Idèm ſimilitèr dico de *Lutheri*, & *Calvini* circà Prædeſtinationem erroribus, quos profligavit Oecumenicum Concilium Tridentinum. Docebant etenim duo illi Hæreſiarchæ primò, prædeſtinationem imponere prædeſtinato neceſſitatem inevitabilem, quæ in tempore importaret collationem Gratiæ efficacis *neceſſitantis*, quæ prædeſtinatum neceſſitet ad operandum bonum. Secundò, volebant, Deum ſola ſua voluntate, citrà ullam peccati præviſionem, certos homines poſitivo Decreto ad æternam damnationem & pœnam prædeſtinaſſe, atque ad peccatum incitare in tempore, immò, neceſſitatem inferendo, compellere. Poſtremò, *Lutherus*, & *Calvinus* negant bona opera eſſe neceſſaria ad comparandam ſalutem æternam, & hominem promereri in tempore per bona opera vitam æternam.

Ab his tribus capitalibus *Lutheri*, & *Calvini* erroribus penitùs abhorrent Thomiſtæ, quippè qui, licèt doceant, Prædeſtinationem ad Gloriam juxtà ordinem intentionis conſideratam, hoc eſt, juxtà Dei Decretum abſolutum & efficax (quod Theologi appellant *intentivum*)

L 4

ſitum) eſſe purè gratuitam, & independentem ab omni prævisione meritorum; attamen Thomiſtæ contrà *Lutherum*, & *Calvinum* propugnant, tanquàm Dogma Fidei, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam in tempore & juxta ordinem *executionis* ſpectatam, ideſt, juxtà Decretum Dei abſolutum & efficax, quod Theologi appellant *Executivum*, importare neceſſitatem bonorum operum, propter quæ Gloria æterna in tempore confertur Electis, & per quæ in tempore merentur *merito de condigno* Electi Gloriam æternam, ſicut pluribus in locis docet Scriptura Sacra, prætertìm cap. 25. *Matthæi*, ubi Chriſtus Prædeſtinatos alloquens, ait: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.* Quin, & vitam æternam eſſe bonorum operum mercedem, coronam juſtitiæ, & bravium, ſeu præmium, teſtatur itidèm Scriptura Sacra: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis*, capit. V. Matthæi. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ* Epiſtola 2. ad *Timotheum* capit. 4. & alibi: *Reddet unicuique* (Deus) *ſecundùm opera ejus*. Et *non coronabitur niſi qui legitimè certaverit*.

Itaque Gloria æterna (juxta Thomiſtarum doctrinam) poteſt dupliciter conſiderari. Primò in ordine intentionis, ideſt, juxta Decretum Dei *intentivum* conferendi Gloriam, & ſic conſiderata Gloria æterna, eſt purum Dei beneficium, omninò indebitum, præceditque omnia merita, ſicut volitio finis præcedit volitionem & electionem mediorum. Non enim *in ordine intentionis* aliquis præ alio ad Gloriam eligitur, quia dignior eſt, ſed quia Deus cujus vult miſeretur. Secundò, Gloria æterna conſiderari poteſt in ordine executionis, ideſt, juxta decretum Dei, quod vocant *executivum*, per quod Deus ſuam exequitur intentionem, ſeu interiùs diſponit & præparat Media, quibus Electi in tempore, ſeu *in ordine executionis*, infallibiliter aſſequentur Gloriam æternam, ad quam Deus *in ordine intentionis* voluit ab æterno gratuita ſua voluntate, & ex pura miſericordia illos prædeſtinare. Hæc autem Media ſunt auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quæ Deus vult Electis conferre, & quibus adjuti & roborati Electi, eliciunt in tempore, ſeu in ordine executionis, bona & meritoria opera, per quæ merentur Gloriam æternam, & ad eam certiſſimè & infallibiliter perducuntur.

Hanc Thomiſtarum doctrinam de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam ſi quis, ut pareſt, abdicatis omnibus Scholæ Molinianæ præjudiciis, expendat, illicò fatebitur, eam Scripturæ Sacræ, definitionibus Eccleſiæ Catholicæ, & doctrinæ SS. Patrum, præſertìm *Auguſtini* & *Thomæ*, eſſe maximè conſentaneam, ac ſubindè nullam omninò affinitatem habere cum his circà Prædeſtinationem erroribus *Lutheri*, & *Calvini*, quos optimo jure profligavit Sacro Sancta Synodus Tridentina. Si plura ad hanc Calviniſmi calumniam amoliendam à Thomiſtarum doctrina de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ſcire aveas, cariſſime Diſcipule, non te pigeat denuò legere duas, quas ea de re jam ad te dedi Epiſtolas, quarum una in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt Ordine ſeptima; altera verò in ſecunda Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine prima. In his quippè duabus Epiſtolis hanc immanem Calviniſmi calumniam, quam nuperrimè Thomiſtarum doctrinæ impingere auſus eſt *Livinus de Meyer*, tam copiosè diſſlavi atque diſpunxi, ut profectò actum agerem, tuoque abuterer otio, ſi plura in præſentia ad illam confutandam addere vellem.

VI. Ultima Janſeniſmi calumnia, quam Thomiſtarum doctrinæ de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam audent affingere Moliniſtæ, planè concidit & diſſipatur his omnibus momentis, quæ in meis ſuperioribus Epiſtolis adduxi ad refellendos *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli* errores. Volebant enim iſti Novatores (perindè ac *Lutherus*, & *Calvinus*) prædeſtinationem ad Gloriam ità eſſe gratuitam, ut Deus, vi illius Decreti, quo vult ab æterno ex pura miſeri-

cordia

Digitized by Google

cordia aliquos eligere ad Gloriam, conferat electis in tempore, ſeu in ordine executionis, Gratiam efficacem *neceſſitantem*, quæ illos neceſſariò compellat ab benè operandum. Gratiæ quippè efficaciam in ſtatu naturæ lapſæ repetunt iſti Novatores ex ſola cæleſti indeliberata delectatione, quæ, dùm relativè victrix eſt, ideſt, intenſior, fortior, ac ſuperior omnibus concupiſcentiæ gradibus, neceſſariò determinat voluntatem hominis ad benè agendum, eique tantummodò relinquit immunitatem, ſeu libertatem à coactione & violentia. Quam peſtilentem doctrinam fuiſſe jure optimo confixam & anathemate perculſam, concors eſt omnium Thomiſtarum ſententia.

Sed jam, ni fallor, abundè dilutum, eliſumque manet primum iſtud argumentum, quod Moliniſtæ principii loco habent, ut probent, prædeſtinationem Electorum ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed pendere ex prævîſis per Scientiam Mediam meritis, auxilio Gratiæ verſatilis & indifferentis, liberoque hominis ſubditæ arbitrio, comparandis.

VII. Præſtat nunc ut alterum convellamus ejuſdem Moliniſtarum doctrinæ principium, quod ex variis Scripturæ Sacræ locis petitum ſic proponere ſolent: Ad id homo non gratuita Dei voluntate, & ex pura ipſius miſericordia prædeſtinatur, quod habet in ſua poteſtate; quod conſequitur, ſi velit; & non conſequitur, ſi nolit; ad quod denique Deus omnes promiſcuè & indiſcriminatìm homines vocat æqualitèr, & citrà ullum delectum: Atqui, Gloria æterna eſt in hominis poteſtate, eam conſequitur homo, ſi velit, ideſt, ſi Gratias ſufficientes, verſatiles, indifferentes, & ſuo libero permiſſas arbitrio, per proprium voluntatis ſuæ conſenſum reddat efficaces; eam verò non conſequitur, ſi nolit; ideſt, ſi eaſdem Gratias ſufficientes, verſatiles, & indifferentes, ſibi à Deo oblatas, per proprium ſuæ voluntatis diſſenſum reddat inefficaces. Poſtremò, ad Gloriam æternam Deus omnes æqualitèr vocat, offerendo ſingulis omninò hominibus Gratias ſufficientes, verſatiles & eorum libero permiſſas arbitrio, ita ut penès illos ſit ejuſmodi Gratias verſatiles, ſibi oblatas à Deo, vel reddere per ſuum conſenſum efficaces, & ſic Gloriam æternam adipiſci; vel eaſdem Gratias verſatiles per ſuum diſſenſum reddere inefficaces, & hoc pacto propria ſua malitia non conſequi vitam æternam. Igitur (inquiunt Moliniſtæ) Prædeſtinatio Electorum ad Gloriam non eſt gratuita, ſed pendet ex prævîſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, omnibus hominibus æqualitèr à Deo oblatæ, eorumque ſubditæ libero arbitrio, comparandis.

Minorem hujuſce argumenti Propoſitionem variis, hinc indè corrogatis & in alienum ſenſum detortis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, probare ſe poſſe putant Moliniſtæ. In primis, citant Apoſtolum *Paulum*, qui cap. 2. Epiſt. 2. ad *Timotheum* ſic loquitur: *Si quis mundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem*. Et cap. 11. Epiſtolæ ad Romanos idem Apoſtolus ſupponit, Judæos poſſe, ſi velint, inſeri *bonæ olivæ*, ſeu Prædeſtinatorum numero: *Sed & illi* (ſeu Judæi) *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur*. Ex quibus Apoſtoli verbis inferunt Moliniſtæ, Gloriam æternam ita eſſe in poteſtate hominis, ut eam reipſa conſequatur, ſi Gratias verſatiles & indifferentes, ſibi à Deo oblatas, ſuoque libero permiſſas arbitrio, velit per proprium ſuæ voluntatis conſenſum reddere efficaces.

Præterea, Moliniſtæ benè multa proferunt Scripturæ Sacræ loca, quæ innuere videntur, Deum velle æqualitèr omnes homines ſalvos fieri, ſed tamen homines propria ſua culpa omnem curam, quam Deus de illis habet, fruſtrare, & ideò æternùm perire. Sic enim per Prophetam *Iſaiam* c. 5. verſ. 4. loquitur Deus: *Quid ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci ei? expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas*. Et cap. 10. *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*. Et cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incre-*

incredulum & contradicentem, ſicut legit Apoſtolus cap. x. Epiſt. ad Romanos. Et lib. *Sapientiæ* cap. 3. *Puſillum & magnum ipſe fecit*, *& æqualitèr cura eſt ei de omnibus*. Suam doctrinam nituntur itidèm Moliniſtæ confirmare tum verbis Chriſti Domini, cap. 23. Evangelii *Matthæi*, dicentis: *Hieruſalem*, *Hieruſalem*, *quotiès volui congregare filios tuos*, *& noluiſti*; tùm etiàm ex verbis Apoſtoli *Pauli*, Epiſtolæ primæ ad *Timotheum* cap. 2. ſic loquentis: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*.

Tertiò ajunt Moliniſtæ, Apoſtolum *Paulum* velle, ut juſti & electi in timore & tremore ſalutem ſuam operentur. Porrò, ſi prædeſtinatio Electorum ad Gloriam eſſet gratuita, & ſi noſtræ ſalutis exitus, independenter ab omni prævisione meritorum noſtrorum, certus eſſet apud Deum, &, ut volunt Thomiſtæ, ejus æternitati præſens eſſet, certè nulla electis ac prædeſtinatis ſuppeteret timendi ratio, cùm, ſtante prædeſtinatione, quæ irrevocabilis omninò eſt, nullum ſit periculum ut pereant, & ſalutis æternæ jacturam faciant. At contrà (inquiunt Moliniſtæ) ſi prædeſtinatio ad Gloriam pendula ſit, & ſupponat præviſa merita, auxilio Gratiæ verſatilis, & ſubditæ libero arbitrio comparanda, juſta tunc electis adeſt timendi ratio ne deſint Gratiæ verſatili, ſibi à Deo oblatæ, & ne eam per diſſenſum ſuum vacuam, inutilem, & inefficacem reddant.

Denique Moliniſtæ dicunt, Deum pluribus in locis Scripturæ Sacræ promittere omnibus, ſi perſeveraverint, Gloriam æternam, ſin minùs, eam ſe denegaturum minari. Porrò, illuſoria planè eſſet hæc Dei promiſſio, ſi reprobis promitteret gloriam ſub conditione, quæ non ab illis, ſed à ſemetipſo penderet, & quam eis ab æterno dare noluit. At in ſententia defenſorum prædeſtinationis Electorum ad Gloriam poſt præviſionem meritorum, promiſſio, qua Deus ſpem facit reprobis, eiſque pollicetur Gloriam æternam, non eſt illuſoria, ſed vera ac ſincera (inquiunt Moliniſtæ) quia Deus promittit reprobis gloriam æternam ſub conditione, quæ ab ipſis ſolis pendet & non à Deo, videlicèt ſi Gratiam, quam ipſis ad benè agendum & perſeverandum offert, ex ſe verſatilem, indifferentem, eorumque libero permiſſam arbitrio, velint per ſuum proprium voluntatis conſenſum reddere efficacem ad benè agendum & perſeverandum. Si autem reprobi propria ſua culpa ac malitia Gratiam illam verſatilem, ſibi à Deo oblatam, per ſuum diſſenſum reddant inutilem & inefficacem ad benè agendum & perſeverandum, Deus verè ac juſtè minatur, ſe illis denegaturum Gloriam æternam.

Hoc eſt alterum principium, quo Moliniſtæ ſuffulcire tentant ſuam de Electorum prædeſtinatione ad Gloriam poſt præviſionem meritorum doctrinam. Sed hoc principium caducum ac ruinoſum eſt, quia quædam ſupponit tanquàm certa & indubitata, quæ ipſe in meis ſuperioribus Epiſtolis apertè, & invictis (ut autumo) momentis, falſi convici. Enim verò, iſtud Moliniſtarum principium ſupponit primò, Gloriam æternam eſſe in poteſtate hominis eo in ſenſu, ut ſi homo pro ſuo nutu & arbitrio Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi oblatam à Deo, per proprium voluntatis ſuæ conſenſum reddat efficacem ad benè agendum, & perſeverandum, revera homo Gloriam æternam conſequatur. Hanc autem Molinianam ſuppoſitionem eſſe oppidò falſam oſtendi in meis præcedentibus Epiſtolis, in quibus palàm feci, nullo pacto admitti debere iſtud de Gratia verſatili, indifferenti, & ſubdita (quantùm ad efficaciam) libero hominis arbitrio, Molinianum Syſtema, quod novum eſt, antiquis Sanctis Patribus, potiſſimùm *Auguſtino*, & *Thomæ* planè incognitum, & ex quo plurima ſequuntur abſurda & incommoda, quæ, ut candidè fatear, videtur mihi cohærere haud poſſe cum ſolidis quibuſdam doctrinæ capitibus, quæ nos de omnipotentia Dei, de ſupremo ejus in creaturas dominio, & de virium hominis in ſtatu naturæ la-

lapſæ infirmitate docet Chriſtiana Religio.

Secundò, Molinianum iſtud principium ſupponit, voluntatem antecedentem, qua Deus vult ſalutem omnium hominum, eſſe conditionatam eo in ſenſu, ut Deus, quantùm eſt de ſe, velit abſque ullo delectu ſalutem omnium hominum, ſi ipſi Gratias ex ſe verſatiles, indifferentes, & libero ipſorum ſubditas arbitrio (quas æqualitèr & promiſcuè omnibus & ſingulis hominibus offerri à Deo aſſerunt Moliniſtæ) velint per ſuum conſenſum reddere efficaces ad benè operandum & perſeverandum uſque in finem. Hanc autem alteram Molinianam ſuppoſitionem eſſe itidèm falſam, memini, me fuſè demonſtraſſe in duabus Epiſtolis, quas de morte Chriſti, Salvatoris noſtri, pro omnium hominum ſalute impenſa, jam ad te dedi, & in quibus omni argumentorum genere probavi, Chriſtum Dominum pro ſalute omnium omninò hominum (nemine excepto) mortuum eſſe & ſanguinem fudiſſe voluntate generali & antecedenti, non in ſenſu Semipelagiano, vel Moliniano, intellecta, ſed in genuino ſenſu, quo omnes Thomiſtæ, (juxta doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*) generalem, & antecedentem voluntatem, qua Chriſtus pro ſalute omnium hominum mortem oppetiit, & ſingulis hominibus, etiam reprobis præparavit auxilia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, *verè ſufficientia*, in ſenſu Thomiſtico intellecta, ſolent in ſuis Scholis explicare. Cùm igitur iſtud principium (cui, tanquàm baſi, ac præcipuo fundamento, totam ſuæ de Gratia ac prædeſtinatione doctrinæ molem ſuperſtruunt Scholæ Molinianæ Theologi) hac gemina ſuppoſitione falsà nitatur, corruat neceſſe eſt cùm nulla valida ratione fulciri atque ſtatuminari poſſit.

VIII. Sed, ut ſingulis momentis, quæ, ad alterum iſtud doctrinæ ſuæ ſtabiliendum principium, adducunt Moliniſtæ, abundè faciam ſatis, ad primum momentum Reſpondeo, hominem, *ſecundùm ordinem executionis*, habere in ſua poteſtate Gloriam æternam; quia cum Gratiæ auxilio, (quod Deus ei non denegat, niſi ob præcedentem illius culpam) ſemper poteſt homo hàbère juſtitiam & perſeverantiam uſque in finem. At, falſum eſt, hominem: *ſecundùm ordinem intentionis*, habere in ſua poteſtate Gloriam æternam, quatenus videlicet eſt æterna & gratuita præparatio beatitudinis, & beneficiorum, ſeu auxiliorum per ſe efficacium, queis certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Hoc pacto, inquam, homo, *ſecundùm ordinem intentionis*, non habet in ſua poteſtate Gloriam æternam, quia Gloria æterna, *ſecundùm ordinem intentionis*, conſiderata, nec ab homine, nec ab ejus prævisis meritis pendet, ſed à ſola gratuita voluntate, & pura miſericordia Dei, hos, quos vult, & quorum miſeretur, ad Gloriam æternam eligentis.

Thomiſtæ itaque cum Apoſtolo *Paulo* docent primò, quòd ſi quis, Gratiis per ſe efficacibus donatus, ſe perſeverantèr *emundaverit ab iſtis*, ſeu à vitiis, erit in tempore, & quidèm ex meritis, *vas in honorem*, ſicut jam ab æterno fuit à Deo per gratuitam prædeſtinationem decretum, & immobilitèr ſtatutum. Secundò, Thomiſtæ cum eodem Apoſtolo docent Judæos, ſi in tempore, auxiliis per ſe efficacibus inſtructi, non ſint permanſuri in incredulitate & in aliis peccatis, inſerendos eſſe *in bonam olivam*, ſeu illos in tempore, & quidèm ex meritis ac bonis operibus, conſecuturos Gloriam æternam, ad quam gratuitò, per ſpecialem Dei dilectionem & electionem, ſunt *in ordine intentionis* & ab æterno prædeſtinati

Ad alterum Moliniſtarum momentum, petitum ex variis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, quæ innuunt, Deum velle omnium hominum (nemine dempto) æternam ſalutem; Reſpondeo, hæc omnia Scripturæ Sacræ teſtimonia palàm ſpectare voluntatem antecedentem, qua Deus, quantùm in ſe eſt, vult omnes ſalvos fieri, non in ſenſu Semipelagiano, nec in ſenſu Moliniſtico, ſicut in meis ſuperioribus Epiſto-

lis,

lis. differendo de voluntate Dei antecedente, qua vult omnes in individuo homines ſalvos fieri, copioſè ſatis commonſtravi. Agnoſcunt igitur cum Scriptura Sacra Thomiſtæ, Deum habere veram & ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines (nemine excepto) & eorum ſalutem ſincerè curandi, iiſque præparandi auxilia *verè ſufficientia*, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quibus ad æternam ſalutem pervenire poſſunt, & ad quam ſi qui reipſa non perveniant, Dei culpa non eſt, ſed id ſoli reproborum malitiæ, obſtinationi, ac vitio verti, & adſcribi debet. At, Thomiſtæ, præter illam ſinceram Dei voluntatem antecedentem, ſalvos faciendi omnes & ſingulos homines, admittunt cum eadem Scriptura Sacra aliam in Deo voluntatem, quam *abſolutam*, *efficacem*, & *conſequentem* appellant, quæque importat ſpecialiorem dilectionem, curam, & providentiam circà Electos, quos Deus, ex maſſa perditionis ereptos, non tantùm gratuita ſua voluntate ac pura miſericordia ad Gloriam æternam prædeſtinat; ſed etiam, ne communibus auxiliis, ſuæ defectibilitati permiſſi, deſint, ac reſiſtant, ſuppeditat illis Deus auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quibus adjuti, Gloriam (ad quam gratuitò illos ab æterno præordinavit) per merita & bona opera, quæ in tempore, ſeu *in ordine executionis*, eliciunt, certiſſimè & infallibilitèr conſequentur.

Certè negari haud poteſt, apertè ex Scriptura Sacra colligi poſſe, duplicem in Deo circà ſalutem hominum eſſe providentiam; alteram, quæ omnes & ſingulos homines complectitur, alteram ſpecialem, & ſolis Electis propriam. Per priorem providentiam æqualitèr Deo (ut inquit Scriptura Sacra) cura eſt de omnibus, ita ut nemo de eo juſtè conqueri poſſit. Per ſecundam providentiam, ſpeciali cura ac dilectione proſequitur Deus Electos, eoſque donat potentioribus auxiliis, id eſt, per ſe & ab intrinſeco efficacibus, quæ, cùm nulli debeantur (ſicut ait eadem Scriptura Sacra) ex pura Dei miſericordia dantur, & non omnibus dantur; quibus verò dantur, nunquàm fruſtrà dantur, & gratis ſemper dantur. Hanc duplicem Dei circà ſalutem hominum curam ac providentiam (quam Scriptura Sacra tam clarè & accuratè diſtinguit, ut abſque errore negari non poſſit) ſi ſemel præ oculis habeas, nullo negotio explicabis hæc omnia Scripturæ Sacræ teſtimonia, quæ fruſtrà congerunt Moliniſtæ, ut ſuæ ſententiæ de prædeſtinatione ad Gloriam poſt meritorum prævіſionem poſſint aliquam veri ſpeciem conciliare.

Tertium momentum, quo Scholæ Molinianæ Theologi opinionem ſuam de prædeſtinatione ad Gloriam poſt prævіſionem meritorum adſtruere nituntur, nullius roboris eſt, & facilè poteſt in ipſos retorqueri. At enim, licèt prædeſtinatio Electorum ad Gloriam (juxta Thomiſtarum doctrinam) ſit *in ordine intentionis* gratuita, & certa apud Deum; attamen ſalus Electorum *in ordine executionis*, ſeu in tempore, eſt illis incerta, indèque fit, ut electis, quandiù vivunt, ſemper ſit locus timendi vel ob hoc ipſum, quòd Deus eſt, qui prædeſtinat gratis ad Gloriam, & ad illam conſequendam vires infert fortiſſimas Quod luculentiſſimè exprimit Apoſtolus his verbis: *In timore, & tremore ſalutem veſtram operamini*: & quare? audi eumdem Apoſtolum: *Deus enim eſt, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*. Electi igitur, quamdiù vivunt, cùm hæreant incerti, an ſint ex numero illorum, quos Deus ſic confirmat, ne cadant, juſtam ſemper habent timendi rationem; *qui ſtat, videat ne cadat*, inquit idem Apoſtolus, huncque ſanctum timorem pluribus de cauſis Deus incutit Electis: primò, ut fiant humiliores; cùm notum ſit confidentiores ſæpè numerò rejici à Deo, utilitèr verò timentes confirmari in bono. Secundò, ut totam ſpem ac fiduciam ſuam Electi in ſolo Deo, & non in viribus ſuis reponant. Tertiò, ut Electi, de ſua æterna ſalute jugitèr ſolliciti, in id potiſſimùm incumbant, ut per bona opera certam

tam

tam ſuam vocationem faciant.

Quamvis enim nullus homo in hac vita mortali (niſi habeat à Deo ſpecialem revelationem) poſſit de ſua juſtitia & ſalute habere certitudinem abſolutam, ſeu quæ excludat omnem dubitandi formidinem (ſicut contra Lutheranos & Calviniſtas definivit Synodus Tridentina Seſſione ſexta cap. 9.) nihilominùs in confeſſo eſt apud omnes Theologos, juſtum in hac vita poſſe & de ſua juſtitia, & de ſua ſalute habere certitudinem probabilibus innixam conjecturis, & petitam ex internis divinæ Gratiæ, quos perſentit, motibus, videlicèt ex ſtudio honoris, & ex amore Dei, ex lubenti cogitatione, & auditu rerum divinarum, ex ſerenitate & tranquillitate animi cum interna conſolatione, ex oratione devota ad Deum, affectuque tenero; ex frequentia & fructu bonorum operum, quæ illum ad reformandos mores, ad promptè obſervanda Dei mandata, & ad vitam, juxta Legem Dei, inſtituendam, inducere poſſunt; ex his, inquam, & aliis id genus ſignis, & internis animi motibus poteſt juſtus in hac vita habere & de ſua juſtitia, & de ſua ſalute aliquam certitudinem probabilibus conjecturis innixam.

Addo etiam ejuſmodi argumentum poſſe potiori jure retorqueri in Moliniſtas, qui docent, prædeſtinationem ad Gloriam fieri poſt prævisionem meritorum. Hi quippè Moliniani Theologi, juxtà ſuæ doctrinæ principia, conſtantèr aſſerunt, prædeſtinationem ad Gloriam ſupponere præparationem auxiliorum Dei dumtaxàt verſatilium & indifferentium, quæque ita ſunt libero cujuslibet hominis ſubdita arbitrio, ut non penès Deum, ſed tantùm penès hominem ſit prædicta auxilia verſatilia & indifferentia, ſibi ſemper oblata & parata à Deo, per ſuum conſenſum reddere efficacia ad benè operandum, & perſeverandum uſque in finem. Qua facta ſemèl Moliniſtarum hypotheſi, quæro, quo pacto homo de ſua æterna ſalute vel minimùm trepidare poſſit, qui (ſponſoribus Moliniſtis) certus eſt, ſe habere, ſeque uſque ad vitæ exitum continuò, ad ſalutem æternam conſequendam, habiturum parata, ſibique à Deo oblata hæc Dei auxilia verſatilia, indifferentia, & ità ſuo libero ſubdita arbitrio, ut non penès Deum, ſed penès ſe ſolùm dumtaxàt ſit, prædicta auxilia omni tempore, quo voluerit, etiam imminente morte, per ſuum conſenſum reddere efficacia; ſicque æternam ſalutem, quam omni momento uſque ad extremam vitæ periodum in ſua poteſtate habet, facillimè conſequi? Profectò (dicant quidquid voluerint Moliniſtæ) ipſe aſſerere nullus dubito, quin homo, hac ſemel Moliniana doctrina imbutus, omnem de ſua ſalute timorem ac ſollicitudinem excutiat, dormiat in utramvis aurem, & pænitentiam procraſtinet uſque ad mortem, quam tamen in hoc extremo vitæ momento, è quo pendet æternitas, vix ac ne vix quidèm (ſicut in alia Epiſtola, quam jam ad te dedi, juxta conſtantem Sanctorum Patrum, cùm Græcorum, tum Latinorum doctrinam me obſervaſſe memini) aut miſericordìtèr invenire, aut ſincerè peragere poterit.

Poſtremò, ideò Moliniſtæ dicunt, prædeſtinationem ad Gloriam, quæ in ſententia Thomiſtarum eſt gratuita, & planè independens à præviſione meritorum, auferre Electis omnem cauſam de ſua ſalute timendi, quia (inquiunt Moliniſtæ) Prædeſtinatio ad Gloriam, juxta Thomiſtarum doctrinam, eſt certa apud Deum, & omninò irrevocabilis vi illius Decreti abſoluti, quo Deus gratuita ſua voluntate ac pura miſericordia aliquos elegit ac prædeſtinavit ad Gloriam: Atqui etiam in ſententia Moliniſtarum de prædeſtinatione ad Gloriam facta poſt præviſionem meritorum, prædeſtinatio eſt certa in præſcientia Dei, & eſt irrevocabilis, quia infallibilis eſt; igitur in ſententia Moliniſtarum de prædeſtinatione ad Gloriam facta poſt præviſionem meritorum, nulla prorſùs Electis ac Prædeſtinatis de ſua ſalute timendi ratio ſuppetere poteſt. Viden, chariſſime diſcipule, quàm facillimè ejuſmodi argumentum,

quod Moliniſtæ in Thomiſtas, gratuitæ prædeſtinationis ad Gloriam defenſores, intorquere ſolent, poſſit in ipſosmet Moliniſtas, Prædeſtinationis poſt prævisa merita aſſertores, retorqueri?

Ultimum momentum, quo Moliniſtæ oppugnant doctrinam de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, facilè refellitur. Non enim Deus reprobos vana ſpe lactat dum eis promittit ſalutem æternam. Deus enim, quantùm in ſe eſt, vult vera ac ſincera voluntate antecedente ſalutem reproborum, iiſque ſuppeditat auxilia verè ſufficientia (in ſenſu Thomiſtico intellecta) quorum ope verè poſſunt conſequi ſalutem æternam. Sed, quia propria ſua culpa, malitia & obſtinatione reſiſtunt illis Gratiis ſufficientibus, ſuaque pertinaci reſiſtentia obicem ponunt ne recipiant auxilia per ſe efficacia, quæ Deus paratus eſt illis dare, & per quæ ſalutem æternam reverà conſequerentur, ideò Deus voluntate abſoluta & efficaci non vult reproborum ſalutem. Sed (inquiunt Moliniſtæ) *Novit Deus, reprobos nolituros, & Gratiis Sufficientibus, Thomiſticè intellectis, quas illis offert, vel confert, diſſenſum præbituros*: Id certè lubens ipſe fateor. Sed reprobis optimo jure vitio ac culpæ verti debet, quòd Gratiis ſufficientibus, ſibi à Deo oblatis, propria malitia reſiſtant, & earum internis ſtimulis ac motibus duriores ſe præbeant. Porrò Deus, propter eorum culpam prævisam, deeſſe non debet muneri, quod ei, tanquàm proviſori univerſali, incumbit, omnes videlicèt minis ac promiſſis ad bonum excitandi.

At, fortè inquies: *Quorsùm Deus reproborum reſiſtentiam Gratia per ſe efficaci non vincit ac ſuperat?* Reſpondebo ipſe: *quia Deus Gratiam per ſe efficacem nemini debet.*

Sed iterùm fortaſſe dices: *Cùm tanta ſit Dei bonitas ergà genus humanum, ut proprio filio ſuo non pepercerit, cur igitur tam exiguus eſt Electorum numerus, ſi negotium ſalutis, ſeu prædeſtinatio ad Gloriam ex gratuita Dei voluntate, ac pura ipſius miſericordia pendeat?*

Huic quæſtioni quadrifariàm Reſpondeo, & primò dico, prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe quidèm purè gratuitam; ſed neminem damnari niſi propria ſua culpa, malitia, reſiſtentia & obſtinatione, ſicut mox expoſui.

Secundò dico, eamdem difficultatem habere locum in ſententia Moliniſtarum; quippè qui docent, Deum poſſe omnes omninò homines ſalvare, atque ne id faciat, non ipſum in cauſa eſſe, ſed aliquem ex parte noſtra defectum, quem ab omnibus hominibus auferre non exigit ſumma Dei bonitas.

Tertiò dico, quòd ſi prædeſtinatio ad Gloriam penderet (ut volunt Moliniſtæ) ex prævisione meritorum, eſſetque tantummodò præparatio auxiliorum verſatilium, & indifferentium, quæque (quantùm ad efficaciam) ſubdita eſſent libero hominis arbitrio, pauciores homines omni procul dubio, immò nulli homines æternam ſalutem eſſent conſecuturi, quia omnis homo in ſtatu naturæ lapſæ tantam virium ſuarum experitur infirmitatem, tam gravi concupiſcentiæ pondere ad terrena deprimitur, tot miſeriis eſt obnoxius, tot tentationibus ſollicitatus, ut ſi Gratiæ efficacitas, & in juſtitia perſeverantia, ex ſolo humanæ voluntatis conſenſu penderent (quemadmodùm pertendunt Moliniſtæ) nullus ſanè in toto Orbe eſſet homo, qui ſat virium haberet, ut iſtas Molinianas Gratias, ex ſe verſatiles, & indifferentes, redderet per vires liberi arbitrii ſui efficaces ad benè operandum, & perſeverandum, ſubindèque ad æternam ſalutem conſequendam. Quò fieret, ut, ſi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ adjuti dumtaxàt eſſent Gratiis illis Molinianis, quæ ſunt dumtaxàt ex natura ſua verſatiles indifferentes, & ſubditæ (quantùm ad efficaciam) libero hominis arbitrio, nullus hominum æternam ſalutem adipiſceretur.

Dico denique, ſummam Dei bonitatem (juxtà Thomiſtarum doctrinam de gratuita prædeſtinatione Electorum ad Gloriam) in eo maximè elucere, quòd De-

Deus per efficaciſſima auxilia, gratis & ex mera ſua miſericordia præparata, tam multos gloria æterna donet. Sed cur non omnes? quia ſic poſtulat ordo divinæ Sapientiæ, juxtà quem divinæ bonitatis temperatur effuſio, ut etiam ſuus manifeſtandæ juſtitiæ locus reſervetur. Si hæ tibi non placeant Reſponſiones, dilectiſſime diſcipule, recurre cum Apoſtolo *Paulo* ad inſcrutabilia judicia Dei, & dicas cum S. Auguſtino: *Quarè hunc trahat, & illum non trahat? noli judicare ſi non vis errare*. Sed hæc, quæ hactenùs dixi ad revellendum iſtud alterum principium, quo Molinianæ Scholæ Theologi ſuam de Electorum prædeſtinatione ad Gloriam poſt prævisionem meritorum ſententiam totis viribus ſtabilire moliuntur, ſat ſuperque ſufficiant.

IX. Venio nunc ad tertium principium ex doctrina Sanctorum Patrum quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum petitum, quo ejuſdem Scholæ Molinianæ Theologi magnis animis probandum ſuſcipiunt, pædeſtinationem Electorum ad Gloriam pendere ex prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis ſubditæ arbitrio, comparandis. Sic autem argumentantur: Hanc ſententiam de prædeſtinatione ad Gloriam præſens Eccleſia tenet ac docet, quam antiqua Eccleſia in quatuor prioribus ſæculis tum in Oriente, tum in Occidente, conſtantèr docuit: Atqui Eccleſia quatuor prioribus ſæculis docuit tum in Oriente, tum in Occidente, prædeſtinationem ad Gloriam pendere ex prævisis meritis (non quidem ex viribus naturæ, ut falsò aſſerebant olim Pelagiani & Semipelagiani) ſed ex prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis ſubditæ arbitrio, comparandis (ſicùt docent Scholæ Molinianæ Theologi) Ergò Eccleſia hiſce temporibus docet, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam pendere ex prævisione meritorum. Minorem hujus Syllogiſmi Propoſitionem probant Moliniſtæ benè multis teſtimoniis Sanctorum Patrum, cùm Græcorum, tùm Latinorum, quorum alii affirmant, prædeſtinationem ad Gloriam pendere ex præſcientia futurorum, hoc eſt, præſcientiam meritorum antevertere prædeſtinationem ad Gloriam. Alii Sancti Patres dicunt, Deum, nulla habita perſonarum ratione, omnibus univerſìm atque ex æquo proſpicere, favere, conſulere. Alii aſſerunt, Deum propter merita aliquos eligere ad Gloriam. Alii volunt, illos eſſe vaſa miſericordiæ, iſtos vaſa iræ ex proprio ipſorum libero arbitrio. Alii poſtremò profitentur, felicitatem æternam propriis ſtudiis, laboribus ac meritis obtineri. Ex his loquendi formulis, quas *Leſſius*, & *Molina* teſtantur Sanctis Patribus quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum fuiſſe familiares, inferunt Scholæ Molinianæ Theologi, Eccleſiam antiquitùs docuiſſe, prædeſtinationem ad Gloriam fieri poſt prævisionem meritorum, ſubindèque adhùc eamdem de prædeſtinatione doctrinam in Eccleſia vigere, probari ac doceri.

Verùm, benè multa, eaque, opinor, invicta, ſuppetunt mihi argumenta, quibus falſitatem hujuſce tertii Moliniſtarum principii palam demonſtrare poſſum. Et primò quidèm reſpondeo, has loquendi formulas, quas SS. Patres quatuor priorum Eccleſiæ Sæculorum identidèm uſurparunt, poſſe faciliimè conciliari cum doctrina *S. Auguſtini* de prædeſtinatione gratuita Electorum ad Gloriam antè omnem meritorum prævisionem. At enim, quandò veteres illi Patres dicunt, Deum eligere illos ad Gloriam, quos in ipſum credituros, ac ſanctè pièque victuros præſcivit; non loquuntur de præſcientia Dei, quæ ſit ſimpliciter ſpeculativa (ſicut falsò interpretantur Scholæ Molinianæ Theologi) ſed loquuntur de præſcientia Dei, quæ eſt practica & effectrix rerum, ſeu æterno & efficaci Decreto nixa, quo Deus pietatem, ſanctitatem ac fidem ſe illis gratuitò collaturum conſtituit; quæ practica Dei præſcientia nullo pacto diſtinguitur ab ipſamet prædeſtinatione, qua Deus hæc præſciiſſe dicitur, quæ fuerat ipſe facturus, ſicut pluribus in

locis

locis docet *S. Auguſtinus*, præſertìm cap 18 lib. *De Dono Perſeverantiæ*, ubi hæc habet: *Eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus: Non repulit plebem ſuam, quam præſcivit. Hoc quod ait* præſcivit, *non rectè intelligitur niſi prædeſtinavit, quod circumſtantia ipſius locutionis oſtendit. Loquebatur enim* (Apoſtolus) *de reliquiis Judæorum, quæ ſalvæ factæ ſunt, pereuntibus cæteris..... In hac ergò electione & in his reliquiis, quæ per electionem Gratiæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſcivit. Hæc eſt illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in Chriſto, ante Mundi conſtitutionem, ut eſſent Sancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum...... Sine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit; ſed prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciſſe quod fuerat ipſe facturus. Quid ergò nos prohibet, quandò apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione Electorum, eamdem prædeſtinationem intelligere?* Ad hanc *S. Auguſtini* regulam exigendas eſſe puto pleraſque veterum Patrum locutiones ac ſententias, qui, miſſis implexarum quæſtionum tractationibus, quæ, antequàm emergerent Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes, non erant neceſſariæ; nudè ac ſimpliciter pronunciarunt, Deum illos vocaſſe, elegiſſe, prædeſtinaſſe, quos pios, religioſos ac ſanctos futuros eſſe præſciebat.

Prætèr quàm quòd, veteres iſtos Patres facillimè cum *Sancto Auguſtino* conciliabis, ſi in negotio prædeſtinationis (quemadmodùm ſuperiùs obſervavi) duo in Deo ſecernas Decreta, ſin minùs re ipſa, at, juxtà mentis noſtræ conſiderationem, diſtincta. Primum Decretum iſtud eſt, quo Deus finem, ſeu Gloriam æternam, intendit, mediaque, ideſt, auxilia per ſe efficacia, ad eumdem finem infallibilitèr conducentia ſeligit; quod Dei Decretum ideò Thomiſtæ appellant *Intentivum*, illudque purè gratuitum eſſe dicunt, omniaque merita ex Gratia oritura antevertens. Alterum Decretum in negotio noſtræ ſalutis Thomiſtæ admittunt, quo videlicèt Deus, præſtituto fine, hoc eſt, ſemel intenta gloria æterna, ſelectiſque mediis opportunis, eorumdem executionem imperat, illudque Decretum vocant *Executivum*, quo nimirùm Deus ab æterno ſtatuit ac decrevit, id ſe operaturum in tempore, ut prædeſtinati benè agant, & præſtitutum finem, ſeu Gloriam æternam, per pietatis opera, & merita, ex Dei Gratia per ſe efficaci ſuboleſcentia, *in ordine executionis* conſequantur.

Veteres itaque Patres, qui, antè obortas Pelagianorum & Semipelagianorum Hæreſes, ſcripſerunt, de hoc ſecundo executionis & imperii Decreto loquuntur, dùm ajunt, Deum, ob merita benè ſervatæ juſtitiæ, præmia felicitatis æternæ largiturum. Qua in re minimè adverſantur doctrinæ *S. Auguſtini* de prædeſtinatione Electorum ad Gloriam purè gratuita, & antè omnem meritorum prævisionem; cùm certum ſit, Sanctum illum Doctorem ſæpiùs parem priſcis illis Eccleſiæ Patribus loquendi rationem uſurpaſſe, & à ſe pridèm uſurpatam, cum hoc ipſo de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam dogmate (quod ſempèr adversùs Pelagianos, & Semipelagianos pro aris ac focis defendit) optimè cohærere pluribus in locis demonſtrat. Secundò, doctrinæ *S. Auguſtini* de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam non opponuntur veteres Patres, dùm dicunt, *Deum, nulla habita perſonarum ratione, omnibus universìm atque ex æquo proſpicere, favere & conſulere.*

Hanc, inquam, familiarem antiquis Patribus loquendi formulam doctrinæ *S. Auguſtini* de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam nullatenùs officere, facilè intelliges, ſi ſemèl advertas, quadruplicis generis eſſe beneficia, in quibus conferendis Deus, omni perſonarum delectu poſthabito, æquam in omnes munificentiam exercet. Inprimis, beneficia, quæ ad ordinem naturæ ſpectant, ſunt omnibus ex æquo communia:

Digitized by Google

nia: *Deus* enim (ſicut legitur *Matthæi* cap. 5. verſ. 45.) *ſuum Solem oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*. Præterea, Deus omnes ex æquo homines vocat exteriùs ad Fidem & Legem Evangelicam: De qua exteriori vocatione ait Chriſtus capit. 28. verſ. 19. Matthæi: *Euntes docete omnes gentes*. Tertiò, Deus unicuique Sacramentorum communionem, & in Eccleſiam cooptationem exhibet, citrà ullam ſexus, ætatis, ac generis diſcretionem. Denique, Deus omnibus ex æquo præmium retribuit pro meritorum ratione, nullo perſonarum delectu habito.

In his quadruplicis generis beneficiis Deum omnibus universim atque ex æquo proſpicere, favere & conſulere docent veteres Patres cum Scriptura Sacra, & *S. Auguſtino*, aliiſque Patribus; At, veteres Patres docuiſſe, Deum omnibus universim hominibus ex æquo, & ſine ullo delectu, Gratias interiores conferre, nemo dicet, niſi qui illos aberraſſe velit à Scriptura Sacra, quæ Pſalmo 147. ait: *Qui* (Deus) *annuntiat verbum ſuum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit talitèr omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Et *Matthæi* Cap. XI. verſ 25. & 26. inquit Chriſtus Dominus: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quoniàm abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater: quoniàm ſic fuit placitum ante te*.

Tertia, & quarta loquendi formulæ, quas uſurpant veteres Patres, dùm dicunt, *Deum proptèr merita aliquos eligere ad Gloriam, & alios fieri vaſa miſericordiæ, alios vaſa iræ, ex proprio libero arbitrio*, non repugnant doctrinæ Sancti Auguſtini de prædeſtinatione purè gratuita ad Gloriam, & antè omnem meritorum prævisionem; quia veteres illi Patres non loquuntur de Prædeſtinatione ad Gloriam *in ordine intentionis*, in quo ſanè ordine omni procùl dubio veteres illi Patres admiſerunt, juxtà conſtantem & perpetuam Eccleſiæ Traditionem, prædeſtinationem eſſe purè gratuitam, & independentem ex meritis; Sed loquuntur veteres illi Patres de prædeſtinatione ad Gloriam *in ordine executionis*. Hinc non mirum, ſi dixerint, prædeſtinationem ad Gloriam, ſpectatam in ordine executionis, eſſe ex prævisis meritis, quæ Deus per ſuam practicam, & rerum omnium effectricem præſcientiam novit, prædeſtinatos, Gratiis per ſe efficacibus inſtructos, habituros in tempore, iiſque Gloriam æternam conſecuturos. Quo in ſenſu non ſolùm veræ ſunt iſtæ veterum Patrum loquendi formulæ, ſed ſi quis alitèr loqueretur, incideret in errorem Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui effutiunt, merita & bona opera nihil penitùs referre ad Gloriam æternam aſſequendam.

Poſtrema loquendi formula, quam priſci Patres (antequàm Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes emerſiſſent) uſurpant, dùm Gloriam æternam propriis ſtudiis, laboribus ac meritis obtinendam profitentur, tantùm abeſt, ut doctrinæ *Sancti Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ſit contraria, ut potiùs ei ſit apprimè conſentanea. Ecquid enim, amabo te, aliud ſibi voluit *S. Auguſtinus*, etiam dùm totum ex Deo eſſe, totumque illi acceptum referri debere diſertè docuit? Unum dumtaxàt, inſtar omnium, laudabo hìc Sancti illius Doctoris teſtimonium, depromptum ex Sermone XV. *De Verbis Apoſtoli*, ubi hæc habet: *Totum ex Deo eſt, non tamen quaſi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te juſtitia Dei. Eſſe poteſt juſtitia Dei ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt niſi per voluntatem tuam..... Qui ergò fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergò fecit neſcientem, juſtificat volentem*. Idem docet Aquilinus ille Doctor cap. 5. lib 2. *De Peccatorum meritis & remiſſione*.

Sed ſi plura de Traditione SS. Patrum, cùm Græcorum, tùm Latinorum, circà doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, quæ à temporibus Apoſtolorum ad noſtram uſque ætatem inviolabili

labili ſæculorum ſerie in Eccleſia fuit propagata, ſcire deſideres; legeſis eruditum libium, cui Titulus eſt: *Divus Auguſtinus, ſummus Prædeſtinationis & Gratiæ Doctor, vindicatus adversùs Joannis Launoii Traditionem, fœtu poſtremo recens editam, & peculiari* CLEMENTIS XI. *Pontificis Maximi Decreto inuſtam*. Hic liber anno MDCCIV. Coloniæ editus eſt à noſtro Clariſſimo *Jacobo Hyacintho Serry*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, qui invictis momentis oſtendit, priſcos Eccleſiæ Patre *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam doctrinæ per omnia conſentiiſſe, eique, ſecutis temporibus, Romanos Pontifices, Concilia, Patres, ac Theologos pari animorum conſenſione fuiſſe adſtipulatos, ſubindèque conſarcinatam ab *Joanne Launojo* contrariam ſpuriamque traditionem eſſe merum exerrantis ingenii commentum, calumniæ & invidiæ pleniſſimum, Eccleſiæ Catholicæ perindè ac *S. Auguſtino* contumelioſum.

X. Denique, ad pleniorem confutationem hujus tertii principii, quod, ad probandam ſuam ſententiam de prædeſtinatione ad Gloriam poſt prævisionem meritorum, deſumunt Moliniſtæ ex teſtimoniis antiquorum Scriptorum; aliquas graves hìc annectam Obſervationes, quæ iſtud principium funditùs convellent.

In primis, obſervare debes, ex his antiquis Scriptoribus, quas ſuæ ſententiæ de prædeſtinatione ad Gloriam, poſt prævisionem meritorum patronos adſciſcunt Moiiniſtæ, aliquos eſſe, quibus hac in cauſa nulla prorsùs debetur fides. *Origenes* prælusit errori *Pelagii*, ſicut in ſuperiori mea Epiſtola, poſt *S. Hieronymum*, obſervavi. *Theodoretus*, *Theophylactus*, & *Oecumenius* non debent itidèm hac in cauſa audiri, quia Commentariis, à ſe lucubratis, ſenſa *Origenis* inſeruerunt. *Ambroſiaſter*, ſeu Auctor Commentarii in Epiſtolas *Pauli*, non eſt genuinus fœtus *S. Ambroſii*, ſed incerti cujuſdam Auctoris, Pelagianæ Hæreſeos fuligine conſperſi, non ſecùs ac Auctor Scholiorum apud *S. Hieronymum* in Epiſtolas *Pauli*, quem Critices Diſciplinæ periti autumant eſſe *Pelagium*. Idem judicium cum doctiſſimo Cardinali *Norisio* in ſua *Historia Pelagiana* ferendum eſſe exiſtimo de *Fauſto*, Rejenſi in Galliis Epiſcopo, *Gennadio*, Maſſilienſi Presbytero, *Arnobio*, qui in Pſalmos edidit Commentarium, & de aliis ejuſdem farinæ antiquis Scriptoribus, quorum patrocinio *Leſſius*, & *Molina* gloriantur. Hi quippè omnes, cùm Semipelagianorum Hæreſeos luto hæſerint, non ſunt ad teſtimonium in hacce cauſa ferendum idonei.

Obſerva ſecundò, antiquos illos Patres (quos ſuæ ſententiæ de Prædeſtinatione ad Gloriam poſt meritorum prævisionem adfaviſſe jactitant Moliniſtæ) ſcripſiſſe antè exortas Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes, eoſque, in aliis confutandis erroribus occupatos, quæſtionem de efficacia Gratiæ, & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam data opera non elucidaſſe. Ratio eſt, quia licèt nonnulli priſci Eccleſiæ Patres apertè gratuitam prædeſtinationem propugnaverint (ſicut de Sanctis *Cypriano*, *Ambroſio*, & *Gregorio Nazianzeno* aſſerit *S. Auguſtinus*) licèt ex aliis antiquis Patribus (ſicut mox oſtendi) nihil adversùs doctrinam de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam concludi valeat: fatendum tamen eſt, pleroſque hanc quæſtionem de prædeſtinatione, aut non attigiſſe, aut eam tantùm obitèr & perfunctoriè explicuiſſe, quia nulla eos ad id tum temporis impellebat occaſio: *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur Opuſcula, qui, priuſquàm iſta hæreſis* (ſeu Pelagii) *ortretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? quod profectò facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Undè factum eſt ut de Gratia Dei quid ſentirent, brevitèr quibuſdam Scriptorum ſuorum locis, & tranſeuntèr attigerint*. Verba ſunt *S. Auguſtini* lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 14.

Obſerva tertiò, erraſſe *Cornelium Janſenium*, dùm lib. 4. *De Hæreſi Pelagiana* auſus eſt aſſerere, *priſcis Eccleſiæ Græ-*

Digitized by Google

Græcæ Patribus aliquid pulveris ſubtiliſſimi erroris Semipelagianorum adhæſiſſe. Id, inquam, oppidò falſum eſt, primò, quia hoc ſpecioſo prætextu hæretici Semipelagiani ſuos errores defendebant, quem *S. Auguſtinus* vanum eſſe vel hac una ratione oſtendit, quòd cùm omnes, jam ab ortu Chriſtianæ Religionis, una ſecum totaque Eccleſia Catholica, eaſdem ad Deum orationes funderent, eadem quoque de Gratia & prædeſtinatione ſentire dicendi eſſent: *Si ergò* (inquit S. Doctor cap. 7. Lib. De Dono Perſeverantiæ) *alia Documenta non eſſent*, in Sacris Scripturis nimirùm, & in aliquot Patrum Scriptis, *hæc Dominica Oratio nobis ad cauſam Gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret........ Prorsùs non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat ut increduli credant; Deus ergò convertit eos ad Fidem: orat ut credentes perſeverent; Deus ergò donat perſeverantiam uſque in finem. Hæc Deus facturum ſe eſſe præſcivit. Ipſa eſt Prædeſtinatio Sanctorum, quos elegit in Chriſto antè Mundi conſtitutionem, ſecundùm placitum voluntatis ſuæ*.

Obſerva quartò, me ultrò fateri, quibuſdam Patribus Græcis, qui ſcripſerunt antequàm in Eccleſia pullularent Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes, quaſdam in hocce de Gratia & prædeſtinatione Myſterio, necdùm exactè diſcuſſo, excidiſſe expreſſiones, quæ prima fronte apparent duriores, minùſque accuratæ, illos tamen ob id erroris inſimulari non debere. Ratio eſt, quia licèt priſci illi Patres Græci in verbis non ita eſſent exacti, principium tamen, ex quo poſteà (graſſantibus Pelagianorum, & Semipelagianorum erroribus) diligentiori cura erutæ ſunt Catholicæ veritates, fideliter tenebant. Rectè quippè obſervat *S. Auguſtinus*, nullum horumce priſcorum Patrum Græcorum fuiſſe, qui non fateretur, immò paſſim non doceret, in negotio ſalutis totum divinæ Gratiæ acceptum referri debere. Ex quo principio neceſſitas & efficacia Gratiæ ad incipiendum, ad perficiendum, ad perſeverandum, proindéque prædeſtinatio gratuita ad Gloriam palàm ſequuntur. Itaque ſi quid dicant illi Patres Græci in negotio Gratiæ & prædeſtinationis, quod libero hominis arbitrio impenſiùs faveat, id certè vel benigna interpretatione emolliri debet, vel intelligendum, id ab illis dictum eſſe ſine præjudicio Gratiæ per ſe efficacis, & prædeſtinationis gratuitæ, quam etiamſi ibi non exprimant, ſupponunt tamen, aut alibi ſtatuunt, perindè ac *S. Auguſtinus* cap. 9. Libri *De Prædeſtinatione Sanctorum* Semipelagianis, qui quamdam expreſſionem, qua uſus erat S. ille Doctor in Libro *De Sex quæſtionibus Paganorum*, ad ſuum ſenſum Semipelagianum præpoſterè detorquebant, reſpondit, dicens: *Cernitis, me ſine præjudicio latentis Conſilii* (ſeu abſoluti decreti Dei) *& aliarum cauſarum, id dixiſſe*.

Hanc Obſervationem duplici illuſtro exemplo. Primum petitur ex pluribus Patribus cùm Græcis, tùm Latinis, qui de Sacro Sancto Trinitatis Myſterio, antequàm in primo Generali Concilio Nicæno, propter enatam Arianorum nefariam Hæreſim, fuiſſet diligentiùs explanatum, differentes, inciderunt in nonnullas expreſſiones pauló duriores, minùſque accuratas, quas tamen Orthodoxi Theologi nunc in Catholicum ſenſum benigna interpretatione flectere ſatagunt, illoſque Patres antenicænos à peſtilenti Arianorum errore circà Verbi Divini conſubſtantialitatem vindicant. Eccùr igitur non excuſabimus & ad ſenſum Catholicum non adducemus priſcos illos Patres, præſertìm Græcos, qui, antè obortas Pelagianorum, & Semipelagianorum errores, de Myſterio Gratiæ, & prædeſtinationis loquentes, non ita in verbis fuerunt accurati, ſicut poſteà fuerunt Patres, quandò doctrina de Gratia & Prædeſtinatione, ob ingruentes & gliſcentes Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes, diligentiori cura & examine diſcuſſa eſt.

Alterum exemplum deſumo ex *S. Auguſtino*, qui humilitèr ac modeſtè profi-

tetur, ſe, antequàm prodirent Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes, & doctrinam de Gratia & Prædeſtinatione accuratiori Criterio examinaſſet, in errorem fuiſſe lapſum. Id de ſe ipſo modeſtè teſtatur *S. Auguſtinus* cap. 3. Lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ubi, poſt citatum Apoſtoli locum primæ Epiſt. ad Corinthios cap. 4. verſu 7. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Hæc ſtatim ſubdit: *Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimilitèr errarem, putans Fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis ineſſe in nobis... Quem meum errorem nonnulla Opuſcula mea ſatis indicant antè Epiſcopatum meum ſcripta, in quibus eſt illud..... ubi eſt Expoſitio quarumdam Propoſitionum ex Epiſtola, quæ eſt ad Romanos*. Si igitur *S. Auguſtino*, Doctorum Aquilæ, antequàm Pelagianorum, & Semipelagianorum Hæreſes caput efferrent, de Gratia ac prædeſtinatione ſcribenti, aliquid humanitùs accidit, mirabimur ne, quòd priſcis nonnullis Patribus, cùm Græcis, tùm Latinis, de Gratia & Prædeſtinatione, priuſquàm illorum hæreticorum ſerperent errores, differentibus, aliquot in ſpeciem duriores, minuſque limatæ, & accuratæ expreſſiones obrepſerint?

Obſerva denique, *S. Auguſtinum*, juxta avitam Sanctorum Patrum doctrinam propugnaſſe adversùs Semipelagianos gratuitam Prædeſtinationem ad Gloriam. Id liquidò probatur, primò, quia *S. Auguſtinus* (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè commonſtravi) contrà Semipelagianos diſputando, totus in id incubuit, ut evinceret, Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem eſſe prorsùs neceſſariam ad exerendos omnes & ſingulos pietatis actus, atque illam Gratiam aliquibus ex mera Dei miſericordia dari, aliquibus non dari. Ex qua *S. Auguſtini* ſuppoſitione palàm [illegible] neceſſariò ſequitur, admitti debere ac[illegible]um gratuitam prædeſtinationem aliquo[illegible] illorum nimirùm, qui prædeſtinantur & [illegible] ad gloriam, [illegible] ad Fidem, quæ per dilectionem operatur, & ad perſeverantiam uſque ad finem: neque enim ratio reddi poteſt, cur *Petro* potiùs quàm *Judæ* datum fuerit auxilium illud ſpeciale, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficax, quàm quòd Deus *Petrum*, non autem *Judam*, gratuitò, & ex pura ſua miſericordia ad æternam Gloriam elegerit. Hinc eſt, quod Hæretici Semipelagiani doctrinam *S. Auguſtini* de neceſſitate Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis ad ſingulos pietatis actus oppugnare haùd potuerint, quin eadem opera impugnarint gratuitam prædeſtinationem ad Gloriam; & verſa vice, non potuerit *S. Auguſtinus* Semipelagianorum contra prædeſtinationem ad Fidem & perſeverantiam argumenta ſolvere, quin de gratuita Prædeſtinatione ad Gloriam diſſereret.

Prætereà, tota *S. Auguſtini* doctrina de Gratia (ſicut videre eſt in ejus Epiſtola 194. ad *Sixtum*, cap. 5.) hùc tendit, ut intelligamus, Deum, *dùm coronat merita noſtra, nihil aliud coronare niſi dona ſua: quia eadem merita, quibus corona redditur, non à nobis patrata ſunt per noſtram ſufficientiam* (id eſt per proprium noſtræ voluntatis conſenſum, qui, ſicut docent Moliniſtæ, Gratiam, ex ſe verſatilem & indifferentem, determinat, redditque ad benè agendum efficacem) *ſed à nobis* (proſequitur S. ille Doctor) *facta ſunt per Gratiam* (utique ſe ipſa & ab intrinſeco efficacem) quæ ſuapte vi, juxtà ejuſdem S. Doctoris principia, facit ut credamus, benè operemur, & perſeveremus uſque in finem. Ex hac certiſſima *S. Auguſtini* doctrina indubitantèr dico, ſequi gratuitam eſſe prædeſtinationem ad Gloriam, eamque non pendere ex meritis per Scientiam Mediam prævisis, & auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis arbitrio permiſſæ comparandis.

Reſ-

Referuntur, & ſimùl confutantur Principia doctrinæ Gabrielis Danielis, Livini de Meyer, & aliorum Moliniſtarum, qui, poſt Franciſcum Suareſium, ejuſdem Scholæ Molinianæ Theologum, docent, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam, etiam retento Syſtemate De SCIENTIA MEDIA, *eſſe purè gratuitam.*

I. GAbriel Daniel in Epiſtola ſexta, quam ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, fidentèr affirmat, vehementèr falli illos Theologos, qui ſibi perſuadent, retento Syſtemate Scientiæ Mediæ, nec dici, ac minùs defendi poſſe, Prædeſtinationem ad Gloriam eſſe merè gratuitam: *Opiniones quædam Theologicæ* (inquit ille modernus Scriptor Molinianus) *falsò creduntur à multis cum Scientia Media eſſe colligatæ. Hæc imprimis, quæ minimè gratuitam eſſe prædeſtinationem ad Gloriam, ſed à meritis prædeſtinati pendere docet. Qui ſic opinantur, eos hallucinari planè conſtat. Suarez, Societatis Theologus, & Scientiæ Mediæ vindex, à quo illa tam validè, tam perſpicuè probata & explanata eſt, ut qui eum attentè, ac ſine præcepta opinione, ſtudioque veritatis uno legat, is illi non aſſentiri nequeat. Suarez, inquam, dum Scientiam Mediam tuetur, ſimùl contendit, prædeſtinationem ad gloriam eſſe merè gratuitam, & ab omnibus meritis liberam. Suareſium ſequuntur alii plerique Doctores Societatis, qui hoc argumentum ſunt perſecuti, eaque ſententia in Jeſuitarum Scholis æquè, aut magis etiam eſt communis, atque alia, prædeſtinationem ad gloriam è meritis aptam & ſuſpenſam eſſe docens.*

At ipſe ad hæc Reſpondeo, non eos hallucinari Theologos, qui ajunt, retento Syſtemate de Scientia Media, nec aſſeri, nec doceri poſſe prædeſtinationem ad Gloriam eſſe in ſenſu Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* purè gratuitam, & independentem à præviſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero ſubditæ arbitrio, comparandis; ſed potiùs illos Scholæ Molinianæ Theologos à verò quàm longiſſimè diſcedere, qui, Duce *Franciſco Suareſio*, dictitant, retento Syſtemate de Scientia Media, adſtrui poſſe, & propugnari, prædeſtinationem ad Gloriam eſſe (juxta verum Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum) merè gratuitam, & prorsùs liberam à præviſis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis & indifferentis comparandis. Id autem probo pluribus & ita perſpicuis momentis, *ut qui ea attentè, ac ſine præcepta opinione, ſtudioque veritatis uno legent, hi illis non aſſentiri nequeant.*

Et primò quidèm, *S. Auguſtinum* docuiſſe, prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam ultrò fatentur *Suarez*, & alii, qui ab ejus partibus ſtant, Molinianæ Scholæ Theologi; Atqui, *S. Auguſtinum* improbaſſe Scientiam Mediam, quantùm ad pravum & hæreticum ſenſum, quo olìm hæretici Semipelagiani ea abutebantur, eidemque S. Doctori planè ignotam fuiſſe Scientiam Mediam quantùm ad uſum & modum, quo eam nunc in Scholis ſuis uſurpare ſolent Moliniſtæ, benè multis, iiſque, mea ſententia, invictis momentis jam evici, & oſtendi, non tantùm *S. Auguſtino*, ejuſque Diſcipulis *Proſpero*, *Fulgentio*, *Hilario*, *S. Thomæ Aquinati*, verùm etiam & Patribus Concilii Tridentini omninò ignotam fuiſſe Scientiam Mediam quantùm ad uſum & modum, quo nunc Moliniſtis eam adhibere, docere & interpretari ſolenne eſt; id, inquam, jam evici in Epiſtola, quam ad te dedi, quæque in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſeptima, in qua etiam palàm feci, Scientiam Mediam, ſtatim ac à *Ludovico Molina* fuit excogitata, & in lucem producta, graviſſimos in Eccleſia excitaſſe tumultus, à Clariſſimis totius Orbis univerſitatibus, Pariſienſi, Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi fuiſſe damnatam, ac tandèm (fatente ipſomet *Livino de Meyer*, Societatis Jeſu, in ſua, quam nuperrimè edidit, *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ*) diù diſcuſſam eſſe in celeberrimis

illis Congregationibus, habitis coràm Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. ac poſtremò ab omnibus Conſultoribus (uno dumtaxàt excepto) exploſam, rejectam ac repudiatam fuiſſe, tanquàm penitùs contrariam principiis doctrinæ *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam. igitur, retento ſyſtemate de Scientia Media, nullo pacto (juxta verum *Sanctorum Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum) dici & propugnari poteſt, prædeſtinationem ad Gloriam eſſe merè gratuitam, & independentem à prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis permiſſæ arbitrio, comparandis.

Prætereà, *Suarez*, aliique, qui illius ſyſtemati adhærent Scholæ Molinianæ Theologi, docent, Deum omnibus omninò hominibus æqualia offerre auxilia verſatilia, indifferentia, & ſubdita libero hominum arbitrio, quorum alii per proprium ſuæ voluntatis conſenſum ejuſmodi auxilia verſatilia & indifferentia determinant ad benè operandum, eaque reddunt efficacia, ſeu (ut ipſi vocant Moliniſtæ) *congrua*; Alii verò homines eadem auxilia verſatilia & indifferentia, ſibi à Deo æqualitèr oblata, per ſuum diſſenſum reddunt inefficacia, ſeu (ut ajunt) *incongrua*. Atquì talium auxiliorum verſatilium & indifferentium, quæ Deus æqualitèr & indiſcriminatim omnibus hominibus offerat, quæque quantùm ad efficaciam, vel inefficaciam, ſeu (ut cum *Suareſio* loquuntur iſti Moliniſtæ) quantùm ad *congruitatem*, vel *incongruitatem*, à ſolo hominum libero arbitrio pendeant; horum, inquam, auxiliorum Dei, verſatilium & indifferentium ne vel minimum quidèm veſtigium oſtenditur in Operibus *S. Auguſtini*, qui potiùs (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis copiosè commonſtravi) Gratias, quas Deus hominibus ad benè operandum ſuppeditat, docet ubique eſſe per ſe & ab intrinſeco efficaces, ſuamque efficaciam non deſumere ex conſenſu voluntatis humanæ, nec ex genio, indole & temperamento hominum, nec ex locis, temporibus & circumſtantiis, ſed ſuam haurire efficaciam ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo ejus in omnes creaturas, etiam liberas, dominio; quæ Gratiæ (ut inquit Aquilinus ille Doctor) à nullo duro corde reſpuuntur, quia à Deo dantur, ut primitùs cordis durities auferatur, ſuntque media efficaciſſima, quæ certò & infallibilitèr Electos perducent ad Gloriam æternam, ad quam Deus illos ab æterno gratuita ſua voluntate ac miſericordia elegit ac prædeſtinavit. Igitur in *Suareſii* ſyſtemate, quod obviis, ut ajunt, ulnis amplectuntur *Daniel*, & *Meyer*, nec dici, nec defendi poteſt (juxta genuinum *Sanctorum Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum) prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem à prævisis meritis, auxilio Gratiæ verſatilis, indifferentis, & libero hominis ſubditæ arbitrio, comparandis, ſicut docetur in Schola Thomiſtica.

Tertiò in Syſtemate *Suareſii* nullo pacto locum habere poteſt modus quo (ſicut in meis præcedentibus Epiſtolis oſtendi) Scriptura Sacra, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres, potiſſimùm *Auguſtinus*, *Proſper*, *Fulgentius*, *Hilarius*, *Bernardus*, *Thomas Aquinas*, merita & bona opera dari & effici à Deo tradunt, nempè ita ut Deus ſit, qui operetur in nobis velle & perficere; qui facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas, auferendo cor durum, & dando cor docile; qui omnia opera noſtra operatur in nobis &c. Hic, inquam, modus operandi, quem, tanquàm ſoli Deo eximium, commendant Scriptura Sacra, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres, nec locum nec veritatem habere poteſt in Syſtemate *Suareſii*, quia Deus (juxta illud Syſtema) non operatur noſtrum conſenſum, ſed dumtaxàt per Scientiam Mediam explorat, ubi, quandò, & in quibus circumſtantiis conſenſuri ſumus, & per noſtrum conſenſum Gratiam Dei ex ſe verſatilem, indifferentem, & libero voluntatis noſtræ permiſſam arbitrio,

trio, redderituri ſumus *congruam* & efficacem ad benè operandum.

Nec etiam in Syſtemate *Suareſii* ex duobus hominibus, æqualitèr induratis, Deus uni præ alio cor emollit, convertit & immutat per Gratiam ſuam, quam *Suarez* ſupponit cum *Molina* eſſe dumtaxàt verſatilem, indifferentem, & pendentem (quantùm ad efficaciam) à libero noſtræ voluntatis conſenſu, per quem prædicta Moliniana Gratia redditur *congrua* & efficax ad benè agendum; ſed Deus (in Syſtemate *Suareſii*) ex duobus hominibus, qui æqualiter ſunt indurati, eo ſolo nomine uni præ alio favet, quod illum in his collocet circumſtantiis, in quibus prævidit per Scientiam Mediam, ipſum propriis liberi arbitrii viribus cor ſuum præ alio homine emolliturum, conſenſurum, & per conſenſum ſuum gratiam verſatilem, indifferentem, ſuoque libero ſubditam arbitrio, determinaturum, eamque hoc pacto redditurum *congruam*, & efficacem ad benè operandum. Cùm igitur modus operandi Dei in nobis per Gratiam ſuam, quem Scriptura Sacra, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres ei conſtanter tribuunt, nec locum, nec veritatem in Syſtemate *Suareſii* habere poſſit; certè non video, qua veri ſpecie, vel fiducia potuerit *Gabriel Daniel* aſſerere, in Syſtemate *Suareſii* verè dici & propugnari poſſe (etiam retento Syſtemate de Scientia Media) Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe (juxtà verum *S. Auguſtini* ſenſum) merè gratuitam, & independentem à prævisione meritorum.

Quartò, *Suarez* (juxtà ſuum Syſtema) Deum facit ex æquo Auctorem bonorum, & malorum operum, quia docet, Deum omnibus hominibus æqualitèr tribuiſſe liberum arbitrium, quo quiſque pro ſuo nutu Gratiam verſatilem & indifferentem, ſingulis prorsùs hominibus promiſcuè, & æqualitèr oblatam, per proprium ſuæ voluntatis conſenſum, vel diſſenſum, reddit congruam & efficacem ad bonos actus eliciendos, vel *incongruam* & inefficacem ad malos actus exerendos; ita ut ſola ratio, cùr aliqui præ aliis conſentiant & benè agant, ex libertate eorum dumtaxàt proveniat: Deus autem (juxtà *Suareſium*) eo ſolo nomine auctor eſt & dator conſenſus, ac boni operis, quia conſtituit hominem in iis circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, eum Gratiæ verſatili & indifferenti in talibus circumſtantiis conſenſurum, atque per conſenſum ſuum Gratiam verſatilem, ſuoque (quantùm ad efficaciam) ſubditam libero arbitrio, redditurum *congruam* & efficacem ad benè operandum: Atquì, Deus pari quoque ratione (juxtà *Suareſii* Syſtema) conſtituit hominem in iis circumſtantiis in quibus prævidit per Scientiam Mediam, eum Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi à Deo oblatæ, diſſenſurum, illamque per ſuum diſſenſum redditurum *incongruam* & inefficacem ſubindèque malè operaturum. Igitur ex Syſtemate *Suareſii* mihi videtur ſequi, Deum pari ratione eſſe auctorem & datorem diſſenſus, ſicut & conſenſus; demeriti ſicut & meriti; mali operis ſicut & boni. Hoc palmare incommodum, quod habet iſtud *Suareſii* Syſtema de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam cùm ex *S. Auguſtini* doctrina de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam minimè ſequatur, palàm eſt, nec verè dici, nec ſtabiliri poſſe, in *Suareſii* Syſtemate, Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe merè gratuitam, & à meritorum prævisione independentem.

Quintò, Prædeſtinatio ad Gloriam in Syſtemate *Suareſii* non eſt certa infallibilitate ordinis & cauſalitatis, nec totum, quod eſt in ſalutis noſtræ negotio, Deo, tanquàm cauſæ efficienti, tribuit; ſed eſt tantùm certa certitudine & infallibilitate præſcientiæ, quatenùs Deus per Scientiam Mediam prævidet, hominem, in talibus circumſtantiis conſtitutum, Gratiam verſatilem, & indifferentem, ſibi oblatam, determinaturum, eamque per ſuum conſenſum redditurum *congruam* & efficacem: quo ſemel præviſo, Deus (ſicut docet Suarez) decernit hominem

M 4 pone-

ponere in his circumſtantiis, in quibus prævidit, hominem Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſurum, illamque per ſuum conſenſum redditurum *congruam* & efficacem.

Quò fit, ut *Suarez* in ſuo de Prædeſtinatione Syſtemate non tribuat Deo, tanquàm cauſæ efficienti, conſenſum, quem præbet homo in his circumſtantiis conſtitutus, ſed illum ſubtrahit cauſalitati Dei, vultque, ſolam cauſam efficientem conſenſus, quem homo, in iis circumſtantiis poſitus, præbet Gratiæ verſatili, eamque per talem conſenſum determinat, redditque *congruam* & efficacem, eſſe humanam voluntatem; ſubindèque *Suarez* negat, Prædeſtinationem ad Gloriam eſſe certam infallibilitate ordinis & cauſalitatis, & id quod præcipuum ac caput eſt in negotio ſalutis noſtræ, videlicèt bonum voluntatis noſtræ conſenſum, ſubtrahit divinæ voluntati: Atqui in doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* Prædeſtinatio ad Gloriam eſt certa non tantùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam infallibilitate ordinis & cauſalitatis, quia Deus (ſicut ſæpiùs, juxtà utriuſque S. Doctoris principia, oſtendi) eſt cauſa rerum omnium, quæ ſpectant negotium noſtræ ſalutis, præſertìm voluntatis noſtræ conſenſus, in quem Deus per Gratiam ſe ipſa efficacem influit, præviè & phyſicè voluntatem noſtram determinando ad conſentiendum: igitur, in Syſtemate *Suareſii*, verè, & juxtà Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum, dici non poteſt, prædeſtinationem eſſe purè gratuitam, & liberam à præviſione meritorum.

Poſtremò, ut miſſa faciam alia argumenta, quæ jam adduxi contra Scientiam Mediam, & pro Divinis Decretis & auxiliis ex ſe efficacibus, certum eſt, *Suareſium* prædeſtinationem Electorum incipere non à Decreto, quo Deus vult abſolutè, & gratuità ſua voluntate intendit conferre illis Gloriam, ſed prædeſtinationem auſpicari a Decreto, quo Deus abſolutè vult illis impertiri Gratias *congruas*, ſeu illos collocare in his circumſtantiis, in quibus prævidit, illos Gratiæ verſatili & indifferenti conſenſuros, eamque per ſuum conſenſum reddituros congruam & efficacem. Qua in re *Suarez* præpoſtero ordine procedit, & penitùs alieno à doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, qui (ſicut in ſuperiori mea Epiſtola obſervavi) docent, Deum priùs velle (non prioritate temporis, ſed naturæ) dare Electis Gloriam æternam, quæ ſe habet inſtàr finis, quàm velle illis conferre Gratias efficaces ad Fidem, ad juſtitiam, & perſeverantiam, quæ ad Gloriam æternam comparantur, tanquàm Media ad finem. Omne quippè Agens, ordinatè volens, priùs vult finem, quàm Media, & intentio finis eſt cauſa electionis Mediorum, ut concors eſt omnium Theologorum ac Philoſophorum ſententia, & hinc eſt, quòd Sacræ Litteræ, Sancti Patres, ac præſertìm *S. Auguſtinus*, prædeſtinationem ad Gratias per ſe efficaces, ad Fidem, ad juſtitiam, & perſeverantiam, quæ ſunt Media ad conſequendam Gloriam æternam conducentia, refundant in prædeſtinationem ad Gloriam, tanquàm in finem priùs à Deo volitum, ſicut liquet ex teſtimoniis, quæ in mea ſuperiori Epiſtola, ad aſtruendam prædeſtinationem ad Gloriam, memini me protuliſſe.

Cùm igitur, juxtà *Suareſii* Syſtema, Decretum Dei de conferendis Mediis ad ſalutem antevertat Decretum, quo Deus vult dare Gloriam, quæ ſe habet per modum finis, indè concludo, non poſſe in hoc Syſtemate dici ac defendi (juxtà verum Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum) prædeſtinationem ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & independentem à præviſione meritorum. Hæc argumenta extricent ac diſſolvant, ſi poſſint, Theologi Moliniani, qui nunc (præeunte *Gabriele Daniele*) huic Suareſiano de prædeſtinatione ad Gloriam Syſtemati patrocinantur.

II. At, valeant, obſecro, vitiligationes, ſolutiones, incomprehenſibiles, tendiculæ verborum, & cavillationes Theologicæ, quas idem *Daniel* paſſim in ſuis Epiſtolis, ſexta & ſeptima ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, ad

lecto-

lectoribus fucum faciendum, adhibet, ac remiſcet non ſemel, & à quibus nunc breviter me expediam.

In primis, ait *Gabriel Daniel*, in hoc *Suareſii* Syſtemate facilè explicari modum, quo prædeſtinatio ad Gloriam eſt purè gratuita; quia, juxta illud Syſtema, penès Deum dumtaxàt eſt dare Gratiam *congruam*, ſeu collocare hominem in his circumſtantiis, in quibus beneficio Scientiæ Mediæ prævidit, illum gratiæ, ſibi oblatæ, conſenſurum, bené operaturum, & uſque in finem perſeveraturum. *Hanc Gratiam congruam Deus non omnibus largitur* (inquit Daniel) *ſed quòd Deus aliquem Ethnicum ejuſmodi Gratia congrua donare decernat, in cauſa eſt ejuſdem Dei voluntas mera, & miſericordia, quæ illum ab innumerabili perditorum ac reproborum grege ſecernit: adeò ut, ſi quis ab eo percontetur, & Apoſtoli vocem uſurpet:* Quis te diſcernit? *reſpondere alitèr verè nequeat, quàm iſtis ejuſdem Pauli vocibus: Nihil habeo, quod non acceperim: Uni Deo acceptam refero gratiam hanc, per quam à tenebris ad veritatis lucem traducendus eram, quam noluit ſexcentis dare, qui ejuſdem gratiæ beneficio fuiſſent paritèr colluſtrandi, cùmque mea coronabit merita, ſua quoque, ut cum Auguſtino* (*Epiſt.* 105.) *loquar, beneficia coronabit*.

Sed hanc *Danielis* cavillationem jam abundè retudi tàm in mea ſuperiori Epiſtola, quàm in aliis, in quibus latè confutavi Gratiam *congruam* Moliniſtarum, ibi quippè oſtendi, verum quidèm eſſe in Syſtemate *Suareſii* & aliorum Gratiæ *congruæ* defenſorum, penès Deum dumtaxat eſſe dare gratiam *congruam*, quibus vult, ſeu pro ſuo nutu & arbitrio ponere aliquos homines in his circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam prævidit, eos benè uſuros Gratia verſatili & indifferenti, eique conſenſum præbituros; at, ibidèm commonſtravi, falſum eſſe in Syſtemate *Suareſii*, & aliorum Congruiſtarum, penès Deum eſſe Gratiam verſatilem, quam hominibus in his, vel illis circumſtantiis, locis, & temporibus offert, reddere *congruam* & efficacem; hoc inquam, tàm falſum eſt, quàm quod maximè in Syſtemate *Suareſii*, & aliorum Congruiſtarum, qui conſtantèr docent, non penès Deum, ſed tantummodò penès hominem eſſe Gratiam verſatilem, ſibi à Deo, in his vel in illis circumſtantiis oblatam, determinare, & per ſuum conſenſum illam reddere *congruam* & efficacem ad credendum, ad benè operandum, & ad perſeverandum uſque in finem.

Quo ſemèl poſito *Suareſii*, aliorumque Congruiſtarum principio, ſequitur primò, hominem, qui in his, vel illis circumſtantiis per ſuum conſenſum gratiam verſatilem & indifferentem reddit *congruam* & efficacem, in ſe ipſo, & non in Deo, propter bonum conſenſum, quem à ſe ipſo, & non à gratia Dei, habet, gloriari poſſe, ſeque per vires liberi arbitrii ſui diſcernere ab aliis hominibus, qui eamdem Gratiam verſatilem, & indifferentem, ſibi æqualitèr in iiſdem circumſtantiis, locis, & temporibus oblatam, per ſuum diſſenſum reddiderunt *incongruam* & inefficacem. Sequitur ſecundò, hominem nec Deum orare debere pro obtinendo illo conſenſu, quem daturus eſt gratiæ, nec Deo rependere grates pro conſenſu, quem præſtitit gratiæ; quia Deus (ſi audiantur Congruiſtæ) non eſt dator illius conſenſus, cùm penès dumtaxat hominem ſit conſentire, vel diſſentire Gratiæ, ſibi oblatæ à Deo. Sequitur tertiò, Deum non eſſe omnipotentem; quippè qui per Gratiam verſatilem & indifferentem nequit eſſe cauſa efficiens iſtius conſenſus, ſed tantummodò voluntas humana. Sequitur quarto, Deum non habere abſolutum imperium, & abſolutum dominium in corda hominum, ea videlicet vi & efficacia gratiæ ſuæ immutando, emolliendo, inclinando, convertendo, & trahendo quocùmque vult, ſed hoc imperium ac dominium pertinere ad ſolum hominem, qui Gratiam verſatilem & indifferentem per proprium ſuæ voluntatis conſenſum reddit *congruam* & efficacem; cor ſuum pro nutu & arbitrio

ſuo

ſuo immutat, emollit, inflectit, convertit, & trahit quocumque vult. Sequitur denique id, quod præcipuum eſt & caput totius negotii ſalutis noſtræ, videlicèt bonam determinationem, & voluntatis noſtræ conſenſum non Deo, ſed homini, tanquàm cauſæ independenti, primoque principio, adſcribi debere.

Et poſt hæc & alia graviſſima incommoda, quæ ſua ſponte fluunt ex *Suareſii*, & aliorum Congruiſtarum Syſtemate, quæque alibi fuſiùs confutavimus, æquis animis, ſi ſuperis placet, audiemus *Gabrielem Danielem*, & *Livinum de Meyer*, fumum ſuis lectoribus venditantes, &, quaſi de tripode oracula funderent, fidentèr aſſerentes, in Syſtemate *Suareſii*, & Congruiſtarum meliùs, quàm in Thomiſtarum Syſtemate, explicari, ac defendi (juxtà Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ principia) prædeſtinationem ad Gloriam, eſſe purè gratuitam, & liberam à prævisione meritorum? Hoc tamen tam ſingulare & inſolens paradoxum non veretur *Gabriel Daniel* in Epiſtola ſexta ad noſtrum *Natalem Alexandrum* proponere ceù principium omnibus notum, quod vel tantiſpèr vocare in dubium nefas eſt: *Illud certè, ut leviſſimè dicam* (ait *Daniel*, vir, ſi quis unquàm fuit, modeſtiſſimus) *concedas mihi oportet, Syſtemate hoc Scientiæ Mediæ poſito, gratuitam rationem prædeſtinationis ad Gratiam, & ſummum Numinis ad gubernandos animos imperium tam nitidè explicari, tam demonſtrari ſolidè, quàm in hypotheſi Decretorum prædeterminantium: Quippè cùm fieri nullatenùs poſſit, ut clariùs explicetur utrumque, ut validiùs probetur, quàm in eo, quod modò tueor, Scientiæ Mediæ Syſtemate*. In quibus *Danielis* verbis eximiam ejus animi modeſtiam demiror quidèm, ſed veritatem deſiderare cogor.

Tantùm quippè abeſt, ut *P. Danieli* concedam ipſe, poſito Scientiæ Mediæ, & Gratiæ congruæ ſyſtemate, quod acritèr cum ſuo concelſita, *Franciſco Suareſio*, tuetur; gratuitam prædeſtinationem, & ſummum Numinis ad gubernandos animos imperium tam nitidè explicari, tam demonſtrari ſolidè, ut clariùs explicari utrumque & validiùs probari non poſſit: Tantùm, inquam, abeſt, ut id *Patri Danieli* concedam, ut potiùs contrarium tum argumentis Theologicis, tum ex pluribus abſurdis, & graviſſimis incommodis, quæ ex hoc Suareſiano de Prædeſtinatione & Gratia Syſtemate facilè eliciuntur, in meis ſuperioribus Epiſtolis probaverim, quibus hoc unum in præſentia addam, videlicèt, hoc *Suareſii* Syſtema, cui (tanquàm Polypus ſaxo) mordicùs adhæreſcunt *Daniel*, & *Meyer*, iiſdem premi difficultatibus, & argumentis, quæ *Molina*, & *Leſſius* proferunt contra Syſtema Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci (ſicùt paſſim in meis præcedentibus Epiſtolis commonſtravi.)

Hinc *Joannes Martinonus*, recens ex Societate Jeſu Scriptor, in ſuo *Anti-Janſenio* Diſp. 26. Sect. 3. Num. 25. purum putumque *Molinæ* de Gratia & Prædeſtinatione Syſtema amplectitur, & rejicit *Suareſii* de Gratia *congrua* Syſtema, quod ait ab illo Auctore inutilitèr excogitatum fuiſſe ad expediendas aut molliendas difficultates, quæ emergunt circà auxilia Divinæ Gratiæ. Quam *Martinoni* deliberationem dùm paulò attentiùs ipſe perpendo, venit mihi in mentem dictum illius Hiſpani, qui, inſpecta mole & magnificentia Templi *S. Laurentio* Sacri, & Hieronymitarum Monaſterii, quod in Hiſpania infinitis ſumptibus excitavit Rex Catholicus *Philippus II.* (poſt victoriam apud *S. Quintinum* die feſto *S. Laurentii* de Gallis reportatam) quaſi attonitus exclamavit, *horrendum debuiſſe eſſe periculum, cujus evadendi cauſa, hac conditione ſe Rex obſtrinxerat*. Ita ipſe de hac *Joannis Martinoni*, in ſeligendo puro *Molinæ* de Gratia & prædeſtinatione Syſtemate, ſingulari deliberatione cenſeo. Niſi enim Theologus ille Molinianus Syſtema *Suareſii* de prædeſtinatione, & Gratia congrua (quod tantoperè *Daniel*, & *Meyer* celebrant) graviſſimè periclitari, ac penè deſperatum ſenſiſſet, nunquam profectò ſeſe, inſtar *Curtii*, pro ſalute publi-

publica in profundam abyſſum præcipitem dediſſet.

III. Sed ait iterùm *Gabriel Daniel*, doctrinam de Gratia *congrua*, cujus efficacia in quadam *congruitate* temperata ad indolem hominis, ad loca, tempora, & circumſtantias, in quibus datur, poſita eſt, apertè probavit *S. Auguſtinus* lib. 1. Quæſt. 2. ad Epiſcopum *Simplicianum*, ubi loquens de homine, quem Deus vult convertere ad bonam frugem, hæc habet: *Eum ſic vocat, quomodò ſcit congruere, ut vocantem non reſpuat.* Quæ *S. Auguſtini* verba (inquit Daniel) ſi expendimus, *apparet omninò Divinum decretum vocationis dirigi cognitione: ſi hominem hunc eo modo vocaverim, qui ipſi congruat, morem vocanti mihi geret.*

Hæc, & alia ejuſmodi *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ fruſtrà Moliniani Congruiſtæ congerunt, cùm jam expenderim & explanaverim in Epiſtola, quam ad te dedi, quæque in hac tertia Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſexta, in qua etiam probavi *S. Auguſtinum* nullibi favere Gratiæ *congruæ* Moliniſtarum, ſed illum doctrinæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci ſemper fuiſſe acerrimum defenſorem; actum agerem, ſi, ad dilucidandam Aquilini illius Doctoris mentem, plura hìc addere vellem. Quocircà unum dumtaxàt in præſenti proponam argumentum hiſtoricum, quod germanam mentem *S. Auguſtini* circà doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de prædeſtinatione ad Gloriam ante omnem meritorum prævisionem in optimo, ut ſpero, lumine collocabit.

Sic igitur argumentor: Poſt damnatas à Summis Pontificibus INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones, fuerunt aliqui, potiſſimùm in Galliis, qui pertimeſcebant, ne antiqua *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita, ante omnem meritorum prævisionem, doctrina fuiſſet cum doctrina *Janſenii* à laudatis Summis Pontificibus proſcripta: Atqui ad excutiendum panicum illum timorem, qui multorum animos pervaſerat, ſtatuerunt Epiſcopi Cleri Gallicani, ſæpiùs in Comitiis Generalibus congregati, hanc antiquam *S. Auguſtini* doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, quæ non tollit liberum hominis arbitrium, ſed potiùs illud conſervat, fovet ac perficit, non fuiſſe ab Eccleſia damnatam, ſed ab ea retentam & approbatam; doctrinam verò *Janſenii* fuiſſe jure optimo ab Eccleſia profligatam, quòd admitteret Gratiam *neceſſitantem*, perperàmque *Janſenium* gloriari patrocinio *Sancti Auguſtini*, cujus doctrina de Gratia & prædeſtinatione longè latèque diſcrepabat à confixis ejuſdem *Janſenii* erroribus: igitur hæc conſtans fuit totius Galliæ Epiſcoporum ſententia, *S. Auguſtinum*, contrà Pelagianos & Semipelagianos diſputantem, ſtabiliviſſe neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus. Minor hujus Syllogiſmi Propoſitio conſtat ex Actis Generalium Cleri Gallicani Comitiorum, quæ anno MDCLV. habita ſunt, in quibus hæc leguntur: *In præſenti rerum ſtatu Comitiis placuit, hocce caput ad ſolatium fidelium, qui doctrinam S. Auguſtini meritò venerantur, clariùs explicandum eſſe. Hi ſcilicèt verentur, ne doctrina illa ex Conſtitutione Pontificia* (, ideſt, INNOCENTII X. adversùs quinque Janſenii Propoſitiones) *aliquod detrimentum patiatur; quem metum nonnulli eis incutere conantur; at ſperandum ſubtimidos illos fideles, qui de hac re non ex ſe ipſis, ſed tantùm ex aliorum, quibus fidem adhibent, teſtimonio judicant, potiùs Cleri Gallicani, quàm privatorum auctoritati conceſſuros; quorum privatorum eruditionis atque ingenii laus, totius Gallicanæ, immò univerſalis Eccleſiæ, Janſenii doctrinam aliam eſſe à doctrina Auguſtini declarantis, teſtimonio, nequaquàm præferri debet.* Idem circà *S. Auguſtini* doctrinam de Gratia decrevit Clerus Gallicanus in comitiis Generalibus coactis anno MDCLX. & anno MDCC.

Præterea, poſtquàm Summus Pontifex CLEMENS XI. in ſua Conſtitutione, *Unigenitus* proſcripſiſſet centum

&

& unam *Queſnelli*, Propoſitiones, inter quas, plures quæ ſpectabant Gratiam, damnavit *in ſenſu Janſenii*; confeſtìm inſurrexerunt inquieti quidam homines, quos non puduit aſſerere, Summum illum Pontificem in prædicta Conſtitutione per latus *Queſnelli* doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci confixiſſe. Sed horum temeritatem idem Summus Pontifex, abjecta omni cunctatione, compeſcuit in ſuis Litteris ad univerſalem Eccleſiam anno MDCCXVIII. directis, quæ incipiunt his verbis: *Paſtoralis Officii &c.* & in quibus ejuſmodi homines, qui in aquis turbidis piſcari geſtiunt, appellat *calumniatores*. Quin, & Sanctiſſimus noſter BENEDICTUS XIII. qui univerſæ Eccleſiæ clavum feliciter regit, tam in ſuo *Brevi* Pontificio ad univerſos Ordinis Prædicatorum Profeſſores anno MDCCXXIV. dato, quàm in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Pretioſus*, promulgata anno MDCCXXVII. conceptis verbis declarat, illos eſſe inſignes calumniatores, qui affirmare præſumunt, CLEMENTEM XI. in ſua Conſtitutione, quæ auſpicatur his verbis: *Unigenitus Dei Filius &c.* damnaſſe doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam antè omnem prævifionem meritorum: quam doctrinam (ait ibidèm Sanctiſſimus ille Pontifex) Schola Thomiſtica ex Verbo Dei, ex Summis Pontificibus, ex Conciliis, & Sanctis Patribus, præſertìm ex *Auguſtino*, & *Thoma*, laudabili ſtudio ſe hauſiſſe gloriatur.

Denique, Summus Pontifex CLEMENS XI. damnavit infauſtum, maléque conſarcinatum libellum, qui anno MDCCIII. prodiit ſub nomine *Joannis Launoii*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, in quo temerarius ille Scriptor effutiebat, *S. Auguſtinum*, in ſtabilienda doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ante omnem meritorum prævifionem, præluſiſſe *Janſenii*, erroribus ab Eccleſia proſcriptis. Hæc enim *Launojus* pag. 126. ſui libelli de doctrina *S. Auguſtini* ſcribere audet: *Etſi* (inquit) *Janſenius Iprenſis Epiſcopus nomen Divi Auguſtini prætenderet, & quam ei tribuebat doctrinam ſexcentis in locis claris & apertis probaret . . . . . præcipua ejus theoremata, tam in Galliis & Hiſpaniis quàm in Italia condemnata ſunt, nulla inquiſitione facta, an revera Auguſtini eſſent, necne:* Hunc, inquam, infauſtum *Joannis Launoii* libellum ſine mora damnavit CLEMENS XI. quòd probè ſciret, doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci fuiſſe à ſuis deceſſoribus Summis Pontificibus ſemper laudatam, commendatam, ac probatam, eamque ſubindè toto cælo diſtare à doctrina *Janſenii* de Gratia efficaci neceſſitante, quam ſæpiùs, jureque optimo profligavit Eccleſia.

IV. Quæ cùm ita ſint, debent *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* concedere mihi, Summos Pontifices, & non tantùm Galliarum, ſed & totius Orbis Chriſtiani Epiſcopos agnoviſſe, doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem meritorum prævifionem ſempèr fuiſſe probatam in Eccleſia, tantùm abeſt, ut ab ea fuerit damnata in cauſa *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli*, ſicut duo illi Moliniani Scriptores rudi & imperitæ plebi perſuadere tentarunt.

Ampliùs dico; nec video quid præſtare poſſim, quod *Danieli*, & *Meyer* gratius & jucundius accidere queat. Audiant igitur ambo illi Scriptores Moliniani, qui tam acritèr & acerbè in doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci invehuntur; audiant, inquam, quid ipſis, nomine totius Scholæ Thomiſticæ, pollicear, ac ſpondeam: Si *Daniel*, & *Meyer* vel unum citare poſſint ſummum Pontificem, qui commendaverit unquàm & probarit doctrinam de Gratia verſatili, de Scientia Media, & de Gratia congrua, vel palàm aliquandò declaraverit, Moliniſtas laudabili ſtudio gloriari, ſe hanc doctrinam ex *SS. Auguſtino*, & *Thoma* hauſiſſe, ſicut certiſſimè conſtat,

ſtat, complures fuiſſe Romanos Pontifices, qui doctrinam Scholæ Thomiſticæ laudarunt & approbarunt, atque publicis Decretis declararunt, laudabili ſtudio Thomiſtas gloriari, ſe hanc doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci hauſiſſe ex Sanctis Patribus, præcipuè *Auguſtino*, & *Thoma*: Si (inquam) *Daniel*, & *Meyer* doctrinam ſuam, de Gratia verſatili, de Scientia Media, & de Gratia congrua, à tempore *S. Auguſtini* ad noſtram uſque ætatem fuiſſe ſemper in Eccleſia conſervatam ac propugnatam, poſſint tam facilè, tàmque ſolidis oſtendere argumentis, quàm Thomiſtæ doctrinam ſuam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem meritorum prævisionem, à tempore *S. Auguſtini* ad noſtram uſque memoriam, perpetua ſibique ſemper conſtanti Sanctorum Patrum Traditione, fuiſſe ab Eccleſia Catholica ſollicitè conſervatam, defenſam, ac vindicatam, perſpicuis, validiſque evincunt argumentis: Si etiam *Daniel*, & *Meyer* doctrinam ſuam de Scientia Media, de Gratia verſatili, & de Gratia congrua, Patribus Tridentinis probatam eſſe, eoſdemque Patres in definiendis controverſiis de Prædeſtinatione, Gratia, & libero hominis arbitrio contra Hæreſiarchas *Lutherum*, & *Calvinum*, hanc Molinianam doctrinam adhibuiſſe, tam verè & dilucidè demonſtrare valeant, quàm Thomiſtæ palàm faciunt, Patres Concilii Tridentini in profligandis Lutheranorum, & Calviniſtarum erroribus circa Prædeſtinationem, Gratiam, & liberum hominis arbitrium, uſos fuiſſe avita Scholæ Thomiſticæ doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam antè omnem prævisionem meritorum: Si inſuper, *Daniel*, & *Meyer* doctrinam Scholæ de Gratia per ſe efficaci graviſſimos in Eccleſia excitaſſe tumultus, eamque à celebrioribus totius Orbis Academiis proſcriptam ac damnatam eſſe, tam veris Hiſtoriæ monumentis commonſtrare poſſint; quàm vera ſunt, & indubitata illa Hiſtoriæ monumenta, quibus Thomiſtæ probant, *Molinæ* doctrinam, ſtatim ac publicam lucem adſpexit, magnos in Hiſpania, Gallia, Italia, & in Belgio excivisſe tumultus ac tragædias, eamdemque *Molinæ* doctrinam à celebrioribus Academiis, Salmanticenſi, Lovanienſi, Duacenſi, publicis cenſuris perſtrictam ac confixam fuiſſe: Poſtremò, ſi *Daniel*, & *Meyer* doctrinam ſuam de Scientia Media, de Gratia verſatili, & de Gratia congrua in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis*, coràm Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitis, probatam fuiſſe ac nullis cenſuris inuſtam, tam veris, tamque genuinis Actis probare poſſint; quàm vera ſunt ac genuina illa Acta, ex quibus Thomiſtæ evincunt, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci, & de prædeſtinatione gratuita ante omnem meritorum prævisionem fuiſſe approbatam, & tanquàm exactam ad veram *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* mentem declaratam ab omnibus harumce Congregationum de *Auxiliis* doctiſſimis Conſultoribus, excepto uno, videlicèt *Antonio Bovio*; doctrinam verò *Molinæ* ab iiſdem Conſultoribus, poſt maturum ac diuturnum examen fuiſſe rejectam tanquàm novam, & à germana mente SS. Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* alienam, ſicut fatetur ipſemet *Livinus de Meyer*, Societatis Jeſu Theologus, in *Hiſtoria*, quam nuperrimè adornavit, *Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ*. Hæc, inquam, ſi *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* præſtent omnia, deſinet tunc Schola Thomiſtica doctrinam Scholæ Molinianæ impugnare, & ipſe palàm eorum omnium, quæ contrà doctrinam *Molinæ*, *Suareſii*, *Danielis*, & *Livini De Meyer* inter diſputandum dixi, palinodiam lubens decantabo.

V. Plura de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam hìc non addam, & brevitatis ergò, conſultò prætermittam hanc quæſtionem, quam mihi ſub finem Epiſtolæ tuæ proponis, *utrùm* videlicèt *S. Auguſtinus docuerit, prædeſtinationem bonorum Angelorum ad Gloriam fuiſſe merè gratuitam, & prorsùs independentem à prævisione meritorum?* Hanc, inquam, quæſtionem in præſentia prætermitto, quia ſcio, me ei jam feciſſe ſatis

in duabus Epiſtolis, quas ad te dedi, & quæ in prima Epiſtolarum mearum Claſſe ſunt ordine nona & decima. In his quippè Epiſtolis contra *Molinam*, & *Janſenium* multis argumentis probavi, Adamum in ſtatu innocentiæ, & Angelos in ſtatu viæ opus neceſſariò habuiſſe (juxta inconcuſſa *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ Principia) Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci ſive ad benè agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.

Ex hoc autem ſemel poſito principio (quod in Schola Auguſtiniano Thomiſtica tam certum eſt quàm quod maximè) planè conſequitur, docuiſſe *S. Auguſtinum* prædeſtinationem quorumdam Angelorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & liberam à prævisione meritorum. At enim, facta ſemel hac hypotheſi, qua *S. Auguſtinus* vult, Angelos in ſtatu viæ neceſſariò indiguiſſe ad perſeverandum Gratia per ſe efficaci, eamdemque Gratiam fuiſſe à Deo quibuſdam Angelis ad perſeverandum uſque in finem gratuita voluntate conceſſam, aliis verò Angelis eſſe denegatam; hac, inquam, ſemèl facta hypotheſi, neceſſariò ſequitur, admitti debere, juxta doctrinam *S. Auguſtini*, prædeſtinationem aliquorum Angelorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, illorum nempè Angelorum, quibus Deus conferre voluit Gratiam per ſe efficacem ad perſeverandum uſque in finem in accepta juſtitia.

Neque enim ulla poteſt reddi ratio, cur Deus hoc ſpeciale Donum, ſeu auxilium per ſe efficax ad perſeverandum dederit quibuſdam Angelis, quibuſdam verò Angelis non dederit, quàm quòd Deus quoſdam Angelos, gratuita ſua voluntate elegerit, prædeſtinaritque ad Gloriam; aliòs autem Angelos ad Gloriam eligere ac prædeſtinare noluerit. Cùm igitur (juxta Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam, quam in his duabus Epiſtolis contra Moliniſtas & Janſeniſtas latè expoſui, ac probavi) Angeli ad agendum & perſeverandum opus neceſſariò habuerint auxilio per ſe efficaci, rectè cum Sanctis illis Patribus docent omnes Thomiſtæ, prædeſtinationem bonorum Angelorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam & independentem à prævisione meritorum.

Contrà verò Moliniſtæ, & Janſeniſtæ, qui cum *Molina* & *Janſenio*, pertendunt, Angelos, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum non indiguiſſe Gratia per ſe efficaci, ſed dumtaxàt Gratia verſatili, indifferenti, & ſubdita, quantùm ad efficaciam, libero eorum arbitrio, docent, hac in cauſa ſimùl fæderati, prædeſtinationem bonorum Angelorum ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed factam eſſe ex prævisione meritorum, quæ Deus in ipſis prævidit per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem. Ex qua Moliniſtarum, & Janſeniſtarum hoc in capite concordia facilè concludere potes, cariſſime Diſcipule, verum eſſe quod ſæpiùs tibi inculcare ſtudui, videlicèt Thomiſticæ Scholæ doctrinam de Gratia & prædeſtinatione magis à *Janſenii* doctrina diſtare, quàm ab ea Scholæ Molinianæ doctrina diſtare ac diſcrepare videatur.

Vale, & ea, quæ hactenùs de prædeſtinatione Electorum ad Gloriam purè gratuita, juxta doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, dixi, ſedulò meditare. Quantò enim illa attentiori meditatione ruminabis, eò magis in te divinæ Gratiæ & prædeſtinationis Myſterii intelligentia ſimul & amor augeſcent, magiſque in dies aptus & idoneus evades ad percipienda cæleſtis de Gratia doctrinæ dogmata, quæ Sancti Patres *Auguſtinus*, & *Thomas*, Sacræ Traditionis teſtes, è divinis ſui Magiſtri Apoſtoli *Pauli* Scriptis hauſerunt, quæque in præclaris eorum Operibus tanto cum fructu leguntur. Interìm, obnixè deprecemur Auctorem Gratiæ, ut illam in corda noſtra diffundat, menteſque noſtras novo ſemper lumine illuſtret, quò magis ac magis ſciamus, *quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus, ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus*, verba ſunt Apoſtoli *Pauli* cap. I. Epiſt. ad Epheſios, verſ. 18. & 19.

EPISTOLA NONA

THEOLOGICO-POLEMICA,

De Reprobatione negativa & poſitiva ſive Angelorum, ſive lapſorum hominum, quam non eſſe Prædeſtinationem ad malum culpæ, ſed ſolùm ejus permiſſionem includere; nec itidèm eſſe prædeſtinationem ad pœnam antè culpam, ſed tantùm ſuppoſita ac præviſa culpa; multis argumentis evincitur.

QUòd duas poſteriores meas Epiſtolas de prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, & antè omnem meritorum præviſionem, te læto animo excepiſſe, & avidis perlegiſſe oculis, mihi in tua Epiſtola ſignifices, plurimùm gaudeo, ſed quòd ex earum lectione mentem tuam circà hominum reprobationem graviſſima ſubierit difficultas, quæ te à pluribus diebus haud parùm excruciat, hoc eſt ſanè, quod mihi itidèm non levem moleſtiam creat. Sed bono eſto animo, cariſſime Diſcipule, in proximo eſt ut cureris, totuſque ipſe in iſta Epiſtola in hanc curam incumbam, ut te liberem ab hac implexa & ſalebroſa difficultate, quæ tàm altè animo tuo infixa hæret, quamque ſic proponis: *Ideò dicunt Thomiſtæ* (ſunt ipſiſſima tua verba) *prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & omninò independentem à præviſione meritorum, quia* (inquiunt) *Deus, qui eſt ſapientiſſimus Proviſor univerſalis, vult priùs finem, quàm velit Media conducentia ad finem: Atqui Gloria æterna ſe habet inſtàr finis, merita verò, comparata per auxilia ſe ipſis efficacia, ſunt Media, quæ perducunt ad Gloriam æternam; Ergò Deus vult Electis priùs dare gloriam æternam, quàm velit illis conferre auxilia per ſe efficacia, quorum ope eliciant bona opera & meritoria vitæ æternæ. Hoc Thomiſtarum argumentum* (ſubdis) *invictè quidèm* (mea ſententia) *probat Prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & prorsùs independentem ab omni præviſione meritorum. Aſt, idem Thomiſtarum argumentum ingerit, circà reprobationem hominum, difficultatem, quæ videtur mihi inextricabilis, quamque ſic propono: Deus, cum ſit ſapientiſſimus Proviſor, debet in reprobatione hominum priùs velle finem reprobationis, quàm Media: Atquì finis reprobationis hominum eſt oſtenſio juſtitiæ Divinæ per excluſionem à Gloria æterna, & per inflictionem pœnæ; Media verò, quæ conducunt ad illum finem, ſeù ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ, ſunt culpæ & peccata hominum: ergò Deus in reprobatione hominum priùs vult oſtenſionem ſuæ juſtitiæ per excluſionem reproborum à Gloria & inflictionem pœnæ, quàm prævideat culpas & peccata hominum; quod certè, ut cordatè fatear, videtur mihi arguere in Deo crudelitatem, multùmque derogare voluntati quam* (*ſicùt Fides Catholica docet*) *Deus habet, ſalvandi omnes omninò homines, & Divinæ ipſius juſtitiæ, quæ non vult pœnam antè culpam.*

Hoc argumentum, pace tua dixerim, dilectiſſime Diſcipule, ne levitèr quidèm attingit ſententiam Thomiſtarum de cauſa reprobationis tam Angelorum, quàm hominum, ſed impetit dumtaxàt errorem *Calvini*, quem in Concilio Generali Tridentino jure optimo damnavit Eccleſia.

I. Quod quidèm ut clariùs intelligas, aperiam hìc brevitèr ſtatum præſentis quæſtionis. Dein, oſtendam, quid Tho-

Thomiſtæ, aliique Orthodoxi Theologi cenſeant de cauſa, ſeu motivo reprobationis tam Angelorum, quàm hominum. Tertiò, indicabo ſententiam, cui, ceu probabiliori, ſtare debeas, & argumentis, queis impugnari poteſt, faciam ſatis. Poſtremò, errorem *Calvini* circà cauſam, ſeu motivum reprobationis, confutabo. Unum tantummodò, ut dilucidè aperiam ſtatum hujuſce quæſtionis, quæ ſpectat cauſam, ſeu motivum reprobationis tàm Angelorum, quàm hominum, velim ſedulò advertas; videlicèt duplicem à Theologis diſtingui tàm Angelorum, quàm hominum reprobationem, *negativam* unam, *poſitivam* alteram. Reprobatio *negativa* (ſecundùm aliquos Theologos) eſt mera non electio ad Gloriam æternam; ſecundùm alios verò eſt actus poſitivus, per quem Deus non tantùm non eligit quoſdam ad Gloriam, verùm etiam ab ea excludit, vel ſaltèm actu poſitivo permittit, ut aliqui labantur in culpam, excludantur à Gloria. Reprobatio *poſitiva* eſt actus, quo Deus aliquibus præparat pænam tùm *Damni*, ſeu perennem privationem Viſionis Divinæ eſſentiæ; tùm pænam ſenſus, ſeù ignis æterni. Hìnc primò facilè intelliges, ſecundùm aliquos Theologos Reprobationem *negativam* tum Angelorum, tùm hominum, nullum prorsùs actum ex parte Dei importare, ſecundùm alios verò Theologos aliquem actum ex parte Dei importare. Secundò percipies, Reprobationem *negativam* in hoc potiſſimùm diſcrepare à reprobatione *poſitiva*, quòd reprobatio *negativa* includat tantùm terminum *à quo*, ſeù Gloriam æternam, à qua reprobi excluduntur; reprobatio verò *poſitiva* duplicem importet terminum, unum videlicèt *à quo*, ſeù Gloriam æternam, à qua arcentur & excluduntur reprobi, alterum *ad quem*, ſeu pænam tùm *damni*, tùm *ſenſus*, quam Deus æterno ſuo Decreto præparat Reprobis.

Hac poſita utriuſque reprobationis, *negativæ*, & *poſitivæ*, tùm Angelorum, tùm hominum, diſtinctione, quæ apud omnes Theologos pervulgata eſt, certum eſt & in confeſſo apud omnes Catholicos, reprobationem *poſitivam* tùm Angelorum, tùm hominum, non eſſe gratuitam, hoc eſt, non pendere ex ſola voluntate Dei, ſed habere ex parte reproborum, tàm Angelorum, quàm hominum, aliquam rationem, ſeù motivum cùr Deus illos poſitivè reprobaverit & ſempiternis pænis addixerit. Docent, inquam, omnes ad unum Orthodoxi Theologi contrà impium Hæreſiarcham *Calvinum*, rationem, ſeù motivum reprobationis poſitivæ Angelorum fuiſſe peccatum ſuperbiæ, in quod illos labi permiſit Deus, & propter quod voluit, ut æterna pæna tam damni, quam ſenſus torqueantur. Similitèr, iidem Catholici Theologi contrà illum Hæreſiarcham docent, rationem, ſeù motivum reprobationis *poſitivæ* hominum in ſtatu naturæ lapſæ eſſe, vel peccatum originale, quod ab Adamo ad omnes omninò homines propagatum eſt, vel eorum perſonalia demerita, ſeù peccata actualia, in quæ, congenitæ ſuæ defectibilitati à Deo permiſſi, propria voluntate & malitia prolabuntur.

Hæc eſt omnium Catholicorum Theologorum circà reprobationem *poſitivam* tàm Angelorum, quàm lapſorum hominum, contrà *Calvinum*, & alios Hæreticos conſtans ac perpetua doctrina. At, utrùm reprobatio *negativa* tàm Angelorum, quàm hominum, habeat itidèm ex parte reproborum aliquam rationem, ſeù motivum, cùr videlicèt Deus velit aliquos, ſive Angelos, ſive homines, excludere ab æterna Gloria? difficultas eſt, quæ Catholicos Theologos in varias cogit abire ſententias, quas hic brevitèr referam, & ex quibus eam ſeligam, quæ mihi magis arridet, ac probabilior videtur.

In primis, *Ludovici Molinæ* diſcipuli docent, reprobationem etiam *negativam* ſupponere præviſionem peccati tùm in Angelis, tùm in hominibus lapſis, hoc eſt, contendunt, Deum per Scientiam Mediam prævidiſſe lapſum & hominum & Angelorum, antequàm ſecundùm noſtrum concipiendi modum, eos *negativè* reprobaverit, ſeù non ele-

gerit

Digitized by Google

gerit ad æternam Gloriam. Sed hæc Scholæ Molinianæ Theologorum ſententia facilè rejicitur, non ſolùm quia iſti Theologi in negotio prædeſtinationis & reprobationis ſive Angelorum, ſive hominum lapſorum, admittunt Scientiam Mediam, exploratricem futurorum conditionatorum, quam ipſe in ſuperioribus meis Epiſtolis (juxtà illibatam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam) omni argumentorum genere confutavi; ſed etiam, quia iidem Moliniani Theologi, ſicùt conſtantèr docent, prædeſtinationem ſive Angelorum, ſive lapſorum, hominum ad Gloriam non eſſe gratuitam, ſed pendere ex prævisione con ſenſus, quem homo Gratiæ, ſibi à Deo oblatæ, verſatili, indifferenti, & ejus ſubditæ libero arbitrio, daturus eſt, & per quem eamdem Gratiam verſatilem redditurus eſt efficacem: ità docent Moliniſtæ, Angelos, & homines lapſos non reprobari etiam *negative*, ideſt illos non excludi à Gloria, niſi poſteà quam Deus per Scientiam Mediam prævidit, illos diſſenſuros Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi oblatæ, eoſque per ſuum diſſenſum hanc Gratiam verſatilem reddituros inefficacem & infructuoſam. Porrò, hæc Scholæ Molinianæ Placita quàm nova & à genuina SS. Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina ſint aliena, tam latè in meis ſuperioribus Epiſtolis jam probavi, ut ſi impræſentiarùm in his refellendis immorari vellem, otio tuo abuterer, & bonas horas malè collocarem.

II. Sunt alii Theologi, quos vulgò *Auguſtinianos* appellant, qui docent primò, malorum Angelorum reprobationem ſivè *negativam*, ſivè *poſitivam*, factam eſſe tantùm poſt prævisionem peccati, in quod liberè lapſi ſunt. Secundò docent, idem judicium ferri debere de reprobatione hominum tàm *negativa*, quàm *poſitiva*, facta hypotheſi, quòd Adamus in juſtitia originali perſeveraſſet. Deniquè docent, hominum in ſtatu naturæ lapſæ reprobationem, etiam *negativam* ſupponere prævisionem peccati, non actualis quidèm, ſed originalis.

At, iſtorum Theologorum ſententia tribus innititur principiis, quæ meo calculo probare minimè poſſum. Ajunt enim primò, nec Angelos in ſtatu viæ, nec Adamum, in ſtatu innocentiæ, ad actu perſeverandum opus habuiſſe Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, ſed illos dumtaxàt indiguiſſe Gratia verſatili, & indifferenti, & eorum ſubdita libero arbitrio, quæque per illorum conſenſum reddebatur efficax ad benè operandum, & per ipſorum diſſenſum evadebat inefficax, ſterilis & planè infructuoſa. Ex hoc principio concludunt iſti Theologi dicti *Auguſtiniani*, reprobationem *negativam* Angelorum, ſeu ipſorum à Gloria æterna excluſionem, præſupponere prævisionem peccati actualis; quia, inquiunt, non potuit Deus Angelos excludere ab æterna Gloria, ſeù illos *negativè* reprobare, quin prius per Scientiam Mediam prævidiſſet, quinam è numero Angelorum malè uſuri eſſent Gratiis verſatilibus & indifferentibus, eaſque per ſuum diſſenſum reddituri inefficaces ad benè operandum & perſeverandum. Undè, quemadmodùm iſti Theologi, appellati *Auguſtiniani*, docent, Deum non prædeſtinaſſe aliquos Angelos ad Gloriam, niſi poſt prævisionem meritorum, & futuri eorum conſenſus dati Gratiæ verſatili; ità aſſerunt, Deum non reprobaſſe etiam *negative* malos Angelos, ideſt, illos non excluſiſſe à Gloria æterna, niſi poſt prævisionem demeritorum, & denegati conſenſus Gratiæ verſatili & indifferenti, ſibi, perindè ac bonis Angelis, ex æquo oblatæ.

Verùm, iſtud *Auguſtinianorum* Theologorum principium, quod in ſtatu naturæ innocentis, tàm reſpectu Adami, quàm Angelorum, adhùc Viatorum, ſupponit & admittit Molinianam doctrinam de Scientia Media, de Gratia verſatili, de Gratia congrua, & de prædeſtinatione ad Gloriam poſt prævisionem meritorum; hoc, inquam, principium, quod genuinæ Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ è diametro oppoſitum eſt, debet penitùs repudiari, ſicùt jam in meis ſuperioribus

ribus Epiſtolis pluribus ſolidis momentis commonſtravi.

Alterum principium, quo *Auguſtiniani* Theologi probant, reprobationem non ſolùm *poſitivam*, ſed etiam *negativam* hominum in ſtatu naturæ lapſæ præſupponere prævisionem peccati, ſaltem originalis, in hoc ſitum eſt, quòd velint, homini in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam dumtaxàt eſſe Gratiam ſe ipſa efficacem, proptèr infirmitatem, quam contraxit ex peccato originali, undè ſic argumentantur: Homo, in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutus, opus non habet Gratia per ſe efficaci niſi proptèr infirmitatem contractam ex primigenia protoparentis labe; ergò præciſa ſemèl hujus peccati originalis præviſione, Deus in reprobando homine lapſo eadem ratione ſe gereret, qua in Angelorum reprobatione *negativa* ſe geſſit. Atqui Deus (inquiunt illi Auguſtiniani Theologi) non reprobavit etiam *negativè* Angelos niſi poſt actualis peccati præviſionem, ergò ſimilitèr Deus homines, in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutos, non reprobat etiam *negativè*, niſi poſt præviſionem peccati Originalis.

Sed hoc Auguſtinianorum Theologorum principium (pace illorum dixerim) veritate non nititur. Falſum quippè eſt (ſicut jam multis luculentiſſimis momentis probavi in variis, quas ad te dedi, Epiſtolis) Gratiam per ſe efficacem eſſe tantùm neceſſariam homini propter infirmitatem, quam ex peccato originali contraxit, id, inquam. falſiſſimum eſt, quia (ſicut omnes Thomiſtæ contrà *Molinam*, & *Janſenium* docent) Adamus in ſtatu innocentiæ, ubi ſanè nulli prorsùs infirmitati erat obnoxius, & Angeli, adhùc Viatores, indiguerunt, ſive ad benè agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, auxilio per ſe & ab intrinſeco efficaci. Nullo igitur pacto dici poteſt (juxtà SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ principia, quæ in meis præcedentibus Epiſtolis matura conſideratione expendi) gratiam per ſe efficacem eſſe tantùm homini neceſſariam propter infirmitatem, quam contraxit ex peccato originali.

Tertium denique principium, quo Theologi, vulgò dicti *Auguſtiniani*, pertendunt, reprobationem, etiàm *negativam* hominum in ſtatu naturæ lapſæ fieri poſt præviſionem peccati, non quidèm actualis, ſed originalis; in hoc ſiſtit, quòd velint, peccatum originale eſſe motivum reprobationis *negativæ* lapſorum hominum, ſive in his, quibus peccatum originale eſt remiſſum per baptiſmum, ſive in his, quibus non eſt remiſſum.

Sed hoc Auguſtinianorum Theologorum principium, cui nonnulli etiàm Thomiſtæ ſuffragantur, probare ipſe non poſſum. Non inficior tamen, reprobationem hominum lapſorum fuiſſe factam poſt præviſum peccatum originale, illudque fuiſſe motivum *ſufficiens* ad omnes omninò homines reprobandos non ſolùm *negativè*, ſed etiam *poſitivè*. Cùm enim per peccatum originale totum genus humanum fuerit infectum, & dignum excluſione à Gloria æterna, & indignum omni prorsùs Gratia, indèque omnes Adami poſteri (ſicut Fides docet) naſcantur filii iræ, & mortis, non tantùm temporalis, ſed etiam æternæ, mancipia diaboli, ſemen maledictum, ſicut variis in locis innuit Scriptura Sacra, ex quibus facilè colligitur peccatum originale fuiſſe omni procùl dubio motivum ſufficiens ad excludendos omnes homines à Gloria æterna, ideſt, ad illos ſingulos reprobandos. Id profectò non inficior, ſed potiùs cum omnibus fidelibus firma, ut par eſt, Fide teneo. Nunquàm tamen adducar, ut credam, peccatum originale fuiſſe reverà motivum reprobandi, ſeu excludendi à Gloria illos homines lapſos, quibus Deus remittere ac per baptiſmum in tempore delere voluit peccatum originale, ſicut ſunt omnes Chriſtiani, quibus Sacro baptiſmatis Fonte ablutis, & Chriſtianæ Religionis Myſteriis initiatis, culpa originalis fuit diſpuncta atque condonata. Sed ea de re plura dicendi opportunior mox ſeſe dabit occaſio.

III. Hactenùs quid Moliniſtæ, & Theo-

Digitized by Google

Theologi, qui vulgò *Auguſtiniani* dicuntur, cenſeant de motivo reprobationis tàm Angelorum, quàm hominum lapſorum, brevitèr expoſui: nunc tres ſuper hac re Thomiſtarum ſententias referam, & eam, quæ ex his videtur mihi probabilior, ſeligam, ac multis confirmabo argumentis. In primis, ſunt aliqui Thomiſtæ, qui cum *Didaco Alvareſio*, *Joanne à S. Thoma*, *Contenſono*, & aliis, docent, reprobationem *negativam* tàm Angelorum, quàm hominum lapſorum, non habere aliam rationem, aliudque motivum, niſi voluntatem divinam, qua videlicèt Deus ſive Angelos, ſive homines lapſos vult efficaci intentione primùm excludere ab æterna gloria, tanquàm à beneficio eis indebito; ajuntque, hanc efficacem Dei intentionem eſſe gratuitam, & omnem ſive Angelorum, ſive lapſorum hominum antecedere culpam. Deindè dicunt, Deum ex hac efficaci intentione aliquos, ſive Angelos, ſive homines, excludendi à Gloria, progredi ad præparandum medium, quo illa excluſio à Gloria obtineatur, nempè permiſſionem culpæ non remittendæ. Afferunt denique iſti Thomiſtæ, Deum prævidere eorum lapſum & culpam, quam vult permittere, eumque, poſt prævíſam culpam, damnationis pænam decernere, ſeu excluſionem à Gloria, non ſolùm tanquàm à beneficio illis, ſeu Angelis, & hominibus, indebito, ſed etiàm tanquàm pænam, qua in perpetuum torqueantur; eiſque inſupèr præparare pænam ſenſus, de qua dicitur cap. 25. Matthæi: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.*

Sunt alii Thomiſtæ, qui cum *Joanne Baptiſta Goneto* aſſerunt quidèm, reprobationem negativam Angelorum nullam ſupponere præviſionem peccati, ſed eam fieri ſola voluntate Dei, Angelos, quos vult, excludendi à Gloria æterna, tanquàm à beneficio illis indebito; docent attamen illi Thomiſtæ, reprobationem *negativam* hominum in ſtatu naturæ lapſæ ſupponere præviſionem peccati, non quidèm actualis, ſed originalis, quod volunt eſſe motivum, proptèr quod Deus non omnes homines lapſos eligit ad Gloriam.

Poſtremò, alii Thomiſtæ (quorum ſententiæ, tanquàm probabiliori, ipſe adhæreo) cenſent, reprobationem *negativam* ſive Angelorum, ſive hominum lapſorum, non eſſe voluntatem Dei, excludentis, ante omnem actualem culpam præviſam, aliquos, ſive Angelos, ſive homines lapſos, à Gloria æterna, tanquàm à beneficio ipſis indebito, ſed eſſe voluntatem Dei, permittentis, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines lapſi, ſuæ defectibilitati permiſſi, in actualia peccata labantur, & ſua culpa ab æterna Gloria excidant, & deindè illos (poſt præviſa eorum perſonalia, ſeu actualia peccata) re ipſa excludendi à Gloria, ſeu à Regno Cæleſti, æternæque pænæ tàm damni, quàm ſenſus, addicendi.

Hæc poſtrema Thomiſtarum ſententia de reprobatione *negativa* tàm Angelorum, quàm hominum lapſorum, videtur mihi cæteris aliis probabilior. Primò, quia, juxta illam Thomiſtarum ſententiam, reprobatio *negativa* tàm Angelorum, quàm hominum, non importat (quatenùs præcedit culpam), voluntatem Dei excludentis aliquos, ſive Angelos, ſive homines, à Gloria æterna, ſed tantùm importat voluntatem Dei permittentis, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines, ſua culpa deficiant ab æterna gloria, & voluntatem puniendi hanc culpam, tùm pæna damni, excludendo à Gloria, tùm pæna ſenſus per ignem æternum infligenda.

Hoc pacto explanata reprobatione tum *negativa*, tum *poſitiva* ſive Angelorum, ſive lapſorum hominum, facilè intelligitur, Deum antè culpam tùm Angelorum, tùm hominum, non modò non velle aliquos excludere à gloria, ſed potiùs velle, quantùm eſt ex ſe, omnes ad eam pervenire, eaque eſt voluntas antecedens, per quam Deus (ſicut fusè oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis) ſincerè omnes, ſive Angelos, ſive homines lapſos, ordinat ad Gloriam æternam, ſingulis confert,

vel ſaltèm offert auxilia verè ſufficientia ad ſalutem æternam conſequendam; immò (ut, poſt *S. Thomam*, docent *Thomas de Lemos*, *Alvarez*, & alii) Deus, quantùm eſt ex ſe, paratus eſt dare illi, cui tribuit auxilium ſufficiens, etiàm auxilium per ſe efficax, niſi ipſe propria ſua culpa ac malitia reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, obicem & impedimentum ponat receptioni Gratiæ per ſe efficacis, adeò ut (quemadmodùm docet *S. Thomas*) ratio cùr aliquis Gratiam non habeat, non ſit, quia Deus eam illi dare non vult, ſed quia ipſe eam non vult habere, & de induſtria ejus receptioni impedimentum ponit.

Hanc eſſe *S Thomæ* doctrinam nullus dubito, &, ut candidè dicam, non video, nec capere poſſum, quo pacto cum iſta Sanctiſſimi Præceptoris noſtri doctrina cohærere, & conciliari poſſit doctrina illorum Theologorum, qui docent, reprobationem *negativam* tùm Angelorum, tùm hominum, non eſſe voluntatem qua Deus permittit, ut aliqui, ſivè Angeli, ſivè homines ab æterna gloria ſua culpa excidant, & deindè ob eam culpam eos re ipſa excludat à Gloria, & æterna pæna tàm damni, quàm ſenſus afficiat; ſed pertendunt, Deum incipere reprobationem *negativam* ſivè Angelorum, ſivè lapſorum hominum ab efficaci intentione excludendi aliquos, tùm Angelos, tùm homines, ab æterna Gloria, tanquàm à beneficio indebito, eamque efficacem Divinæ voluntatis intentionem eſſe omninò gratuitam, omnemque culpæ prævisionem antevertere: Hæc, inquam, iſtorum Theologorum ſententia, certè non video, quo pacto ſtare & cohærere poſſit cum doctrina, mox à me expoſita *S. Thomæ*, qui etiam pluribus in locis in explicanda reprobatione tùm Angelorum, tùm hominum, nullibì meminit illius voluntatis efficacis, qua Deus vult aliquos excludere à Gloria ante culpam, ſed eam explicat per ſolam & nudam voluntatem permiſſivam, qua Deus vult permittere, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines, ſuæ virium defectibilitati relicti, & Gratiis per ſe efficacibus deſtituti, à Gloria æterna deficiant, & cadant in culpam, qua ſuppoſita, vult Deus pænam damnationis eis infligere. *Deus enim*, ut appoſitè ait *Tertullianus*, *de ſuo bonus eſt*, *ex noſtro juſtus*.

Quocircà, poſt præmiſſum maturum ac diuturnum examen, videtur mihi, prædictam horumce Theologorum ſententiam, cui etiam aliquot Thomiſtæ patrocinantur, non eſſe ſatis doctrinæ *S. Thomæ* principiis conſentaneam, & divinæ benignitati, quæ vult, quantùm eſt de ſe, omnium ſalutem, ita ut nonniſi per illos ſtet, quod à Gloria æterna excludantur. Hanc veritatem apertiſſimè Scriptura Sacra adſtruit pluribus in locis, in quibus dicitur, Deum, quantùm eſt de ſe, non ſolùm neminem velle perire, ſed etiam velle, ut omnes ſalvi fiant, & vivant vita æterna: *Perditio tua ex te Iſrael* (id eſt, nullo modo ex me) *ſed tantùm in me auxilium tuum*, capit. 13. *Oſee* Prophetæ: *Nolo mortem impii*, *ſed ut convertatur & vivat*, Ezechielis cap. 13. *patientèr agit Deus propter vos*, *nolens aliquos perire*, *ſed omnes ad pænitentiam reverti*. Porrò hæc, & alia id genus Scripturæ loca vera eſſe haùd poſſunt in ſententia iſtorum Theologorum, quos in præſentia refello. Quis enim, amabo te, Deus verè ac ſincerè dicere poteſt: *Perditio tua ex te Iſrael: Nolo mortem impii*, *ſed ut convertatur & vivat*, ſi Deus (ſicut aſſerunt illi Theologi) efficaci intentione ac voluntate, quæ præcedat omnem Angelorum & hominum culpam, aliquos ex illis ab æterna Gloria excludat.

At, in ſententia (quam ipſe, ut probabiliorem, amplector) illorum videlicet Thomiſtarum, qui (poſt *Capreolum*, *Cajetanum*, *Ferrarienſem*, & *Nazarium*, quos ſequitur olim Pariſiis meus Magiſter *Antonius Goudin*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, in prima parte ſui *Tractatus De ſcientia & voluntate Dei*, *de Providentia*, *Prædeſtinatione*, *& Reprobatione*, *atque de Gratia*, *Coloniæ anno* MDCCXXIII. *in lucem editi*) docent, Deum non incipere repro-

probationem *negativam* tàm Angelorum, quàm hominum, ab efficaci intentione & voluntate illos excludendi à Gloria antè prævisionem illorum culpæ, ſed aſſerunt, reprobationem *negativam* tum Angelorum, tum hominum, quatenùs præcedit illorum culpam, importare dumtaxàt voluntatem Dei permittendi ut aliquis ſua culpa ab æterna Gloria deficiat, & voluntatem, quam habet, puniendi hanc culpam, tùm pæna damni excludendo illum à Gloria, tùm pæna ſenſus per ignem æternum infligenda: In hac (inquam) Thomiſtarum, quam ipſe ſequor, ſententia, omnibus illis, mox à me laudatis Sacræ Scripturæ teſtimoniis ſua conſtat veritas.

In iſta quippè Thomiſtarum ſententia, Deus antè Angelorum & hominum culpam, non modò non vult aliquos ab æterna Gloria excludere, ſed potiùs vult, quantùm eſt ex ſe, omnes ad eam pervenire, eiſque media verè ſufficientia, quibus illam aſſequi poſſint, præparat, ita ut ex Deo non ſit quòd à Gloria æterna aliqui excludantur, ſicque verè Deus dicere poſſit: *Perditio tua ex te Iſrael: Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat: Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ & non feci?*

Cæterùm, cùm liberum arbitrium poſſit per ſe ipſum deficere, & à ſolo Deo habeat indeficientiam, ideò ab æterno ſtatuit Deus permittere, quoſdam, ſivè Angelos, ſivè homines, lapſos deficere per ſuam culpam à Gloria æterna; ſic enim poſtulat naturæ tàm Angelicæ, quàm humanæ, defectibilis conditio, & divinæ Providentiæ ordo, & ipſum totius univerſi bonum, ſplendorque Divinæ Juſtitiæ, quæ non manifeſtaretur, ſi nulla culpa tàm ex parte Angelorum, quàm ex parte hominum permitteretur, aut, ſi permiſſam Deus per ſuam miſericordiam condonaret atque deleret. Statuit etiam Deus ab æterno, juxtà ordinem providentiæ ſuæ, & ad manifeſtandam miſericordiam ſuam, dare aliquibus Angelis & hominibus auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, ne deficerent, ſed ad Gloriam æternam infallibilitèr pervenirent, & ſic facta eſt illorum gratuita electio, ſeu prædeſtinatio ad Gloriam; aliorum verò Angelorum & hominum lapſorum inchoata eſt reprobatio, non quidèm per excluſionem à Gloria (ſicut aſſerunt illi Theologi, quorum ſententiam hìc refello) ſed cœpit eorum reprobatio per nudam permiſſionem, qua Deus, illos congenitæ ſuæ defectibilitati relinquendo, permiſit ut laberentur in culpam, eorumque culpam jam prævisam ordinavit Deus in bonum, ſeù in manifeſtationem ſuæ juſtitiæ, decernendo videlicèt jam prævisæ Angelorum & hominum culpæ pœnam damnationis, quæ conſiſtit in pæna *damni*, ſeu privationis viſionis eſſentię Divinæ, & in pæna *ſenſus*, ſcilicèt ignis æterni, juxtà illud *Matthæi* cap 25. *diſcedite à me* (ecce pænam excluſionis ab æterna Gloria) *ite in ignem æternum* (ecce pænam ſenſus.)

Ex quo liquet, Deum reprobationem *negativam* tùm Angelorum, tùm hominum, non incipere ab efficaci intentione, qua Deus velit eos excludere à Gloria antè prævisam eorum culpam (ſicut aſſerunt illi Theologi, quibuſcum mihi in præſentia diſputatio eſt) ſed potiùs Deum incipere reprobationem tàm Angelorum, quàm hominum à decreto merè permiſſivo, quo permittit, ut aliqui, ſivè Angeli, ſive homines labantur in culpam, &, poſt prævisam eorum culpam, decernere, illis infligere damnationis pænam, ſeu pænam *damni*, quæ conſiſtit in privatione viſionis Divinæ eſſentiæ, & æterni ignis ſupplicium, in quo ſiſtit pæna *ſenſus*.

IV. Reſpondebis, ſat ſcio, voluntatem, qua Deus verè ac ſincerè vult ſalutem omnium hominum, eiſque præparat auxilia *vere ſufficientia* (in ſenſu tamen Thomiſtico intellecta) quibus eam conſequi poſſint, eſſe tantùm voluntatem antecedentem, quæ non impedit, quominùs velit Deus voluntate conſequenti aliquos homines, vel Angelos, excludere à Gloria.

Verùm, hac reſponſione non eludes

vim propoſiti argumenti. Quamvis enim ipſe ultrò ac libens fatear, voluntatem Dei conſequentem excludendi aliquos, ſive Angelos, ſive homines, à Gloria æterna propter circumſtantiam culpæ, ex parte reproborum, tum Angelorum, tum hominum, prævisæ, non obſtare voluntati antecedenti, quam Deus habet, ſalvandi, quantùm in ſe eſt, omnes omninò homines; attamen contendo, voluntatem conſequentem, qua Deus vellet aliquos, ſive Angelos, ſive homines, excludere à Gloria æterna citrà ullum eorum prævisum demeritum nullo pacto ſtare poſſe cum vera ac ſincera voluntate antecedenti ſalvandi omnes omninò homines. Verùm enim verò, non repugnat quidèm, ut Deus aliquos, ſive Angelos, ſive homines, quos voluntate Antecedenti, & quantùm eſt ex ſe, ſalvare vult, deindè attenta eorum culpæ circumſtantia, velit re ipſa voluntate conſequenti illos damnare, & excludere à Gloria æterna. Id certè non repugnare probat noſter Angelicus Doctor clariſſimo exemplo Judicis, qui vult furem, aut homicidam agi in furcam ob culpam, quem volebat antè culpam vivere.

At, voluntatem Dei conſequentem excludendi aliquos, ſive Angelos, ſive homines, citrà eorum demeritum, à Gloria æterna, ſtare poſſe cum vera & ſincera Dei voluntate antecedenti ſalvandi omnes omninò ſive Angelos, ſive homines, nullus profectò mihi unquàm perſuadere poterit, quia *S. Joannes Damaſcenus*, & *Sanctus Thomas* I. Parte, Quæſt. 19. Art. 8. ad I. & Quæſt. 23. *De Veritate* Art. 2. diſertiſſimè has duas Dei voluntates, videlicèt *Antecedentem*, & *conſequentem* ſic explicant, ut primam, qua Deus, quantùm in ſe eſt, vult ſalvare omnes, ſive Angelos, ſive homines, doceant oriri ex eo, quod eſt à Deo, ſeù ex infinita ejus bonitate; alteram verò voluntatem, qua Deus vult aliquos, ſive Angelos, ſive homines reprobare, ſive excludere ab æterna Gloria, ex defectu, ſeu culpa reproborum, tum Angelorum, tum hominum, originem habere dicant. Quin, *Sanctus Thomas*, & præcipui ejus Diſcipuli, *Thomas De Lemos*, & *Didacus Alvarez*, docent (ſicut ſæpiùs obſervavi in meis ſuperioribus Epiſtolis) Deum per voluntatem Antecedentem, qua vult ſalvare omnes omninò homines, præparare ſingulis hominibus Gratias ſufficientes, illiſque offerre Gratias ſe ipſis efficaces, quas revera illis conferret, niſi reprobi propria malitia ac culpa ſua reſiſterent Gratiis ſufficientibus, & hac reſiſtentia & culpa ſua ponerent obicem, & impedimentum receptioni Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus, quantùm ex ſe eſt, paratus eſt illis dare, & cujus ope, infallibiliter perſeverarent & Gloriam æternam conſequerentur. Ex qua doctrina palàm ſequitur, Deum reprobis, ſive Angelis, ſive hominibus, denegare, propter eorum demerita, auxilia per ſe efficacia, ſubindèque illos, ob prævisam illorum culpam, excludere ab æterna Gloria.

Hanc ſententiam, ſi pacato & ſedato animo, ut par eſt, perpendas, fateberis (opinor) eam non tantùm ſuaviorem eſſe, magiſque divinæ benignitati ergà homines conſentaneam, verùm etiàm, facilè intelliges, eam omnibus reprobis tùm Angelis, tùm hominibus, omnem de Deo conquerendi locum præripere. Enim verò, ſi reprobatio *negativa* importet voluntatem, qua Deus, tanquàm proviſor univerſalis, permittit, aliquos in culpam cadere, &, ob prævisam illorum culpam, vult illos excludere à Gloria æterna, eiſque infligere damnationis pœnam, nihil ſanè habent reprobi, ſivè Angeli, ſivè homines, quod de Deo querantur, ſed ſuæ dumtaxàt defectibilitati, culpæ, ac malitiæ ſuam reprobationem, ſeu excluſionem à Gloria adſcribere debent. Aſt, ſi Deus (ſicut cenſent illi Theologi, quos nunc impugno) reprobationem tàm Angelorum, quàm hominum incipiat ab efficaci intentione, ſeu voluntate illos excludendi à Gloria antè prævisam illorum culpam, aliqua reprobis ſuppetere videtur ratio querendi de Deo, & ſeſe excuſandi, dicendo: *Quid mali, & quid pœnæ commeruimus*,

ſi Deus

ſi Deus ab æterno , & antecedentèr ad culpam noſtram voluerit efficaci intentione nos excludere à Gloria æterna , & ab ea efficaci intentione voluerit reprobationem noſtram incboare , undè ſequitur , Deum priùs voluiſſe nobis pænam infligere antè culpam , cùm excluſio ab æterna Gloria ſit graviſſima pæna & ſumma miſeria , velle autem infliger: pænam antè culpam , injuſtum eſt .

Quod ſi, ad reprimendam hanc reproborum tàm Angelorum, quàm hominum, adverſus Deum querimoniam, reſpondeas , falsò aſſerere reprobos , excluſionem à Gloria, quam Deus in intentione vult antecedentèr ad illorum culpam, habere rationem pænæ; quia licèt excluſio ab æterna Gloria in executione, quatenùs eſt privatio æternæ beatitudinis ob culpam, ſit ipſa damnationis pæna , attamen excluſio ab æterna Gloria in intentione, tanquàm à beneficio indebito , non habet rationem pænæ, non secùs ac ſi Rex dignitatem alicui denegaret , cui non deberetur , pæna non eſſet, eſſet autem revera pæna, ſi hanc dignitatem ei denegaret propter culpam ab ipſo commiſſam.

Si , inquam , id reſpondeas , actutùm reprobi, ſive Angeli, ſive homines, reponent primò, *Gloriam æternam eſſe ſummum & unicum bonum creaturæ rationalis , extrà quod nullum ei ſupereſt , ſubindèque , quocumque titulo à Gloria æterna excludi , eſſe re ipſa excludi , & æternùm exulare à beatitudine , atque in ſummam miſeriam , ac perennem interitum præcipitari . Si ergò Deus nos quocumque titulo ab æterna Gloria efficaci intentione & voluntate ſua, antè prævisam culpam noſtram, exclusit, profectò, eadem opera nobis æternum interitum, ſummamque miſeriam antè culpam decrevit; quod ſanè videtur injuſtum , indignum Deo , qui non vult infligere pænam antè culpam , & planè alienum à bonitate & voluntate Dei, qui vult ſincerè ſalutem omnium omninò hominum.*

Secundò , huic tuæ Reſponſioni reprobi tum Angeli , tum homines, ſic reponent: *Si Deus nos condidiſſet in ſtatu naturæ puræ, ſine peccato & ſine Gratia, noſque non evexiſſet ad ordinem ſupernaturalem, nec ordinaſſet ad Gloriam æternam; non eſſet quòd quereremur, ſi Deus excluderet nos à Gloria, tanquàm à beneficio indebito; tunc enim nobis , eo in ſtatu naturæ puræ conditis , Gloria æterna eſſet reverà beneficium nobis prorsùs indebitum. At, cùm Deus non condiderit nos in ſtatu naturæ puræ, hoc eſt , ſine peccato & gratia; ſed potiùs creaverit nos in ſtatu Gratiæ, ſublimarit ad ordinem ſupernaturalem , & ordinaverit ad Gloriam æternam, quam, tanquàm filii Dei , hæreditare debebamus, nobis, vi hujus ordinationis, quodammodò debita erat Gloria æterna, & ad illam jus ſaltèm incboatum, habebamus, non quidèm innixum meritis noſtris, ſed fidelitati & ſinceritati hujuſce divinæ ordinationis . Hoc itaque jus ad gloriam quod nobis competebat , Deus nobis denegare haud poterat , niſi per propriam culpam nos Gloria æterna indignos præſtaremus . Quorsùm ergò Deus, ante prævisam culpam, privavit nos iſto jure, & excluſit nos à Gloria, tanquàm à beueficio indebito?* Quid ad hæc reſponſurus eſſes? certè non video.

At ego (juxtà Theologorum, quam ipſe ſequor, ſententiam) his reprobis, ſivè Angelis, ſive hominibus, de Deo querentibus, ſic appoſitè reſponderem: *Vos falsò ſupponitis, Deum excluſiſſe vos antè prævisam culpam veſtram à Gloria æterna, tanquàm à beneficio vobis prorsùs indebito, ſicque Deum fuiſſe ergà vos injuſtum , quippè qui voluit vobis infligere pænam antè culpam , & jure, vobis debito, ad Gloriam æternam (nulla interveniente culpa) privare vos. Hoc, inquam, falſum eſt. Deus enim neminem excludit , antè culpam, à Gloria æterna , tanquàm à beneficio indebito , nec minùs ad hanc excluſionem à Gloria Media præparat , quia ſi Deus ſic ſe gereret, videretur eſſe author, cur aliqui , ſivè Angeli , ſivè homines , non ſalvarentur, quod certè nullo pacto concedi debet . Deus igitur non vos , antè culpam veſtram, excluſit à Gloria , tanquam à beneficio indebito, ſed permiſit dumtaxàt,*

velùt proviſor univerſalis, ut aliqui, ſivè Angeli, ſive homines, ſuæ propriæ defectibilitati relicti, caderent in culpam, & poſt præviſam ipſorum culpam, decrevit Deus illis infligere pœnam, ſive damni, illos excludendo à Gloria, ſive pœnam ſenſus, id eſt, æternum ignis ſupplicium.

Fateor quidèm, poſita ſemel hac voluntate, qua Deus permittit, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines, labantur in culpam, & poſt præviſam illorum culpam vult eis infligere damnationis pœnam; futurum ut reprobi à Gloria excidant, & æternùm pereant, perindè ac ſi Deus poſitivo decreto, ſeu abſoluta voluntate, illos, antè præviſam illorum culpam, excluſiſſet à Gloria. Id, inquam, ultrò fateor; at, inter utrumque reprobationis modum id diſcriminis animadverto, quòd, juxta priorem reprobationis modum (quem ipſe cum pluribus Thomiſtis propugno) Deus neminem poſitiva voluntate à Gloria æterna excludat ante præviſam culpam, ſed tantùm permittat, ut aliqui, ſive Angeli, ſivè homines, incidant in culpam, &, poſt præviſam illorum culpam, excludat illos à Gloria. Ex quo reprobationem *negativam* tum Angelorum, tum hominum, explicandi modo palàm ſequitur, non Deum, ſed dumtaxàt reprobos eſſe cauſam ſuæ excluſionis à gloria, ſubindèque illos de Deo juſtè conqueri non poſſe, quòd ab æterna gloria ſint excluſi. Verùm, juxtà alterum ſive Angelorum, ſive hominum reprobationem explicandi modum (quem etiamnùm docent aliquot Catholici Theologi) Deus poſitivo decreto, ſive abſoluta voluntate aliquos Angelos, & homines, ab æterna gloria excludit ante præviſam eorum culpam. Ex quo ſequi videtur, Deum eſſe ſolum auctorem ac cauſam excluſionis à Gloria, non verò reprobos, ſive Angelos, ſive homines, qui, ante præviſam illorum culpam, ſupponuntur ab æterna Gloria excluſi à ſolo Deo.

Id diſcriminis, quod intercedit inter utrumque modum explicandi reprobationem *negativam* tùm Angelorum, tùm hominum, in præſentia explicare non pigebit hoc clariſſimo exemplo, quod admittunt omnes Catholici Theologi. Sive enim Deus culpam hominum decernat decreto poſitivo (ſicut vult *Calvinus*) ſivè tantùm decreto permiſſivo (ut omnes ad unum docent Catholici Doctores) perindè culpa infallibilitèr ſequetur, ſed eo tamen diſcrimine, quòd Deus in priori Hæreſiarchæ *Calvini* hypotheſi aſſeritur velle culpam, & illius eſſe authorem; in poſteriori verò Catholicorum Theologorum hypotheſi culpa hominum non refunditur in Deum, velut in illius Authorem & cauſam, ſed ſoli defectibilitati & malitiæ hominum tribuitur. Sicut ergò dicimus, Deum non eſſe cauſam & authorem culpæ, ſed illam tantummodò permittere, ita dicere debemus, Deum non eſſe authorem & cauſam poſitivam reproborum ab æterna Gloria excluſionis, quæ ſumma miſeria eſt (utpotè pœna *damni.*) ſed tantùm permittere Deum, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines, labantur in culpam, & deindè, propter illorum culpam velle illos excludere à Gloria.

Hanc meam Reſponſionem ſi æqua lance perpendas, fateberis, Reprobos, ſive Angelos, ſive homines, de Deo juſtè conqueri haùd poſſe, quòd ſint à Deo excluſi, ante præviſam ſuam culpam, à Gloria æterna; facilèque etiam intelliges, Reprobationem *negativam* tum Angelorum, tum hominum, habere aliquod ex parte creaturæ fundamentum, ſcilicèt ipſam naturæ cùm Angelicæ, tùm humanæ, congenitam defectibilitatem, quæ poſtulat, ut eam Deus, qui illam juxtà ejus conditionem regit, in aliquibus, ſivè Angelis, ſive hominibus, deficere permittat; non quòd illa defectibilitas propriè dici debeat motivum aut ratio reprobationis *negativæ*, ſeu excluſionis à Gloria tam Angelorum, quàm hominum (Deus enim non permittit defectum propter naturæ defectibilitatem, ſed potiùs proptèr aliquod bonum indè procurandum) ſed ſe habet illa defectibilitas naturæ, ſivè Angelicæ, ſivè humanæ, tanquàm

quàm conditio ſine qua non, ſeu tanquàm aptitudo quædam ex parte reproborum, ſicut Apoſtolus *Paulus* explicat illo exemplo *luti & figuli*. Quemadmodùm enim lutum ex ſua vilitate habet, ut ſit aptum ad vaſa vilia, ideòque conqueri nequit adversùs figulum, ſi ſuæ vilitati permiſſum ad nobiliores uſus non aſſumatur; ità natura, ſive Angelica, ſive humana, ex ſe defectibilis, & apta defectui, conqueri haùd poteſt, ſi Deus, eam ſuæ propriæ defectibilitati permittens, abundantiores illas Gratias, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficaces, maximèque perſeverantiæ donum, ei non tribuat, quibus à defectu præſervetur. Hæ quippe abundantiores Gratiæ, & præſertìm perſeverantiæ, omni creaturæ ſunt prorsùs indebitæ, nec illas Deus ei largiri tenetur; & aliundè univerſi perfectio exigit, ut aliqui permittantur defectus.

Nec refert, quòd Deus naturam Angelicam & humanam propriæ defectibilitati relinquendo, permittat quoque in Angelis & hominibus defectum quo pereunt, & in peccatum labuntur: id, inquam, non refert, quia defectus in eum refundi non poteſt, niſi quatenùs illum removere tenetur. Certum autem eſt, naturam ex ſe defectibilem, cujuſmodi eſt natura cùm Angelica, tùm humana, non modò jus non habere, ut à defectu præſervetur à Deo, ut potiùs ex intrinſeca defectibilitate ſua exigat ut defectus permittatur. Quo fit, ut, dùm Deus creaturæ, ſive Angelicæ, ſive humanæ, defectum impedit, & cum divinæ Gratiæ ſuæ per ſe efficacis beneficio antevertit, hoc totum de ſua bonitate & pura miſericordia præſtet; dùm verò eam deficere, & in peccatum labi permittit Deus; hoc faciat, quod ipſa creatura ſuo veluti jure poſtulat, ſicque verè poſſit Deus citrà ullam injuſtitiam dicere creaturæ id, quod cap. 20. v. 14. Evangelii *Matthæi* legitur: *Tolle quod tuum eſt, & vade*. Ex quo patet, ſive Angelorum, ſive hominum reprobationem *negativam*, ſeu excluſionem à Gloria, non modò non repugnare divinæ bonitati, & ſuavitati ejus providentiæ, ut potiùs prædicta reprobatio ex conditione naturæ ſive Angelicæ, ſive humanæ, quæ ex ſe defectibilis eſt, ex perfectione univerſi, ex plenitudine bonitatis Dei, & ex ſuavi rerum diſpoſitione ſuam originem trahat.

Verùm, ſi hac mea reſponſione contentus, ulteriùs à me quæras, quid reſponſurus eſſem Reprobis Angelis & hominibus, qui ſic iterùm argutarentur: *Fatemur quidèm, Deum habuiſſe ex parte noſtra ad nos negativè reprobandos, & à Gloria æterna excludendos aliquod fundamentum, ſeu noſtræ naturæ defectibilitatem, cui nos reliquit Deus, permiſitque ut laberemur in culpam, propter quam decrevit infligendam nobis damnationis pænam, excludendo nos à Gloria, & pæna ſenſus puniendo: hoc lubentiſſimè fatemur, quippè qui ſcimus, Deum citrà injuſtitiam potuiſſe nobis denegare Gratias per ſe efficaces, quæ naturam noſtram, licèt ex ſe defectibilem, à defectu præſervaſſent, & quorum præſidio muniti in culpam non fuiſſemus prolapſi, nec ſubindè ab æterna Gloria excluſi: At, de Deo in hoc tantùm conquerimur, quòd etiamſi certiſſimè ſciret, omnes Angelos & homines habere naturam ex ſe defectibilem, attamen quoſdam Angelos, & homines, nobis in defectibilitate naturæ pares, propriæ ipſorum defectibilitati non reliquerit, nec permiſerit ut laberentur in culpam, ſed illos gratuita ſua voluntate elegit ac prædeſtinavit ad Gloriam; Nos verò, potiuſquàm illos, naturæ noſtræ defectibilitati reliquit, permiſit ut laberemur in culpam, &, poſt prævisam culpam noſtram, reprobavit nos, excludendo nos à Gloria, & pænam ſenſus, ſeu æterni ignis ſupplicium, nobis decernendo.*

Si, inquam, à me quæras, quid reprobis, ſive Angelis, ſive hominibus, ſic argutantibus, & de infauſta ſua forte querentibus, reſponſurus ſim? Fatebor ingenuè, hoc unum mihi dumtaxat ſupereſſe quod reſpondeam, videlicet, Reprobationem tàm Angelorum, quàm hominum, comparatè ſumptam, quatenùs nimirum importat voluntatem Dei permittentis cur iſte, potiùs

quàm

quàm ille, labatur in culpam, & propter culpam excludatur à Gloria, non aliam habere rationem niſi Divinam voluntatem, ſeu Dei Beneplacitum.

Hanc meam Reſponſionem ſuffulciam iſta luculenta evidentique ratione: In his, qui in defectibilitate naturæ pares ſunt, & omninò æquales, nulla prorsùs ratio aſſignari poteſt, cur iſte, potiùs quàm ille, à Deo, communi omnium tam Angelorum, quàm hominum, proviſore, ſuæ defectibilitati permittatur, ſed hoc tandèm reduci debet in ſolam Dei voluntatem, quæ id permittit: Atquì omnes creaturæ, ſive Angelicæ, ſive humanæ, ſicut ad finem ſupernaturalem, ſeu ad Gloriam, ſunt elevatæ, ita poſſunt propter innatam naturæ ſuæ defectibilitatem, ab æterna Gloria per peccatum excidere & à ſolo Deo habent, ut reipſa non deficiant; igitur ex ſola Dei voluntate procedit quòd illi, ſive Angeli, ſive homines, potiùs quàm iſti, ſuæ defectibilitati permiſſi, labantur in culpam; iſtis verò, ſive Angelis, ſive hominibus, à divina voluntate ſic provideatur ut reipsà minimè deficiant.

Reprobatio itaque *negativa* ſive Angelorum, ſive hominum, quatenùs, (ſicut ſuperiùs expoſui) importat voluntatem Dei permittentis, ut aliqui, tùm Angeli, tùm homines, ſuæ propriæ defectibilitati relicti, incidant in culpam, & propter culpam excludantur à Gloria; Reprobatio, inquam, *negativa* poteſt bifariàm conſiderari, primò, *abſolute*, ſecundò, *relativè*. Reprobatio *negativa* Angelorum & hominum, ſi *abſolutè* in ſe ſpectetur, aliquod ex parte reproborum habet fundamentum, ſeu congenitam eorum defectibilitatem. Permittit enim Deus, ut aliqui, ſivè Angeli, ſivè homines, ſuæ defectibilitati relicti, prorumpant in peccatum, & propter peccatum excludantur à Gloria. At reprobatio *negativa* ſive Angelorum, ſivè hominum, ſi ſpectetur *comparatè* & *relativè*, prout nimirùm importat voluntatem Dei permittentis ut hic, ſive Angelus, ſive homo, potiùs quàm iſte, labatur in culpam, & proptèr culpam ab æterna Gloria excludatur; hoc pacto, inquam, conſiderata reprobatio *negativa* tùm Angelorum, tùm hominum, nullum habet ex parte reproborum motivum ac fundamentum, cùm omnes reprobi in naturæ defectibilitate ſint æquales; ſed unicè pendet à voluntate Dei permittentis, ut hic potiùs quàm iſte, naturæ ſuæ defectibilitati relictus, incidat in culpam, & propter culpam excidat à Gloria.

Quocircà, reprobatio *negativa* ſive Angelorum, ſive hominum, ſi *relativè* conſideretur, non aliam rationem habet niſi divinam voluntatem, juxta illud Apoſtoli cap. 9. Epiſt. ad Romanos: *Cujus vult* (ſeu Deus) *miſeretur*, & *quem vult indurat*. Et iterùm: *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quarè me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere quidèm aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hanc Apoſtoli *Pauli* doctrinam conſtantèr docent Sancti Patres, præſertìm *Auguſtinus*, & *Thomas*, quorum prior Tractatu 26. in *Joannem*, & pluribus aliis in locis ait: *Quarè hunc trahat, & illum non trahat? noli velle judicare, ſi non vis errare*. Alter verò S. Pater, videlicèt Angelicus meus Præceptor I. Part. Quæſt. 23. Art. 5. ad 3. hæc habet: *Quarè Deus hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit* (idest reprobatione negativa, quæ relativa eſt) *non habet rationem, niſi divinam voluntatem*; id autèm ibidèm *S. Thomas* explicat clariſſimo iſto exemplo: *Sicut in rebus naturalibus, quare hæc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & iſta ſub alia, dependet ex ſimplici voluntate Dei; ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet, quòd iſte lapis eſt in iſta parte parietis, & illa in alia, quamvis ratio artis habeat, quòd aliqui ſint in hac, & aliqui ſint in illa*.

Porrò, in eo modo explicandi Angelorum & hominum reprobationem negativam, comparatè ſeu relativè ſumptam neceſſe eſt, ut etiam Moliniſtæ, qui Gratiæ *congruæ* neceſſitatem defendunt, conſentiant (velint nolint) cum Thomiſtis. At enim, iſti Molinianæ Scho-

læ

læ Theologi docent, eos ſivè Angelos, ſivè homines, qui reipſa æternam ſalutem conſequuntur, potuiſſe à Deo collocari in alia circumſtantiarum ſerie, in qua Deus præſcivit, illos pe rituros, & verſa vice, reprobos, ſivè Angelos & homines, qui pereunt, potuiſſe à Deo conſtitui in alia rerum ac circumſtantiarum ſerie, in qua prævidit, illos non perituros, ſed æternam ſalutem adepturos. Semèl autem poſita hac Congruiſtarum Scholæ Molinianæ Theologorum hypoteſi, certum eſt, nullam poſſe ab illis afferri rationem, cur Deus, qui omnes rerum, circumſtantiarum ſeries & vias tùm Angelorum, tùm hominum, diſponit, hos collocaverit in ea rerum & circumſtantiarum ſerie ac via, in qua illos certiſſimè perituros prævidebat, potiùs quàm in alia rerum & circumſtantiarum ſerie ac via, in qua illos æternam ſalutem adepturos præſciebat. Quocumque igitur vertat ac volvat ſe humanum ingenium, fateatur tandèm neceſſum eſt, Angelorum & hominum *negativam* reprobationem, comparatè ac relativè ſumptam ex ſolo divino beneplacito pendere, nec aliam habere rationem, niſi voluntatem Dei.

Cave tamen, ne hinc inferas, eorum, qui pereunt, ruinam in Dei voluntatem eſſe refundendam, aut illos poſſe adversùs Deum juſtè conqueri; id, inquam, cave ne inferas; Deus enim, ut ait *Tertullianus*, *de ſuo bonus eſt*, *de noſtro juſtus*. Ordinat Deus omnes omninò homines ad Gloriam æternam, ſuppeditat ſingulis, vel ſaltem offert Media, ſeu auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quibus etiam reprobi poſſunt adipiſci gloriam æternam. Aſt, cùm omnis creatura ex ſe ſit defectibilis, immò, ex intimis naturæ ſuæ principiis exigat, & ſuo quaſi jure poſtulet, ut deficere permittatur; ideò Deus, tanquàm proviſor univerſalis, qui defectum creaturæ removere non tenetur, permittit, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines naturæ ſuæ defectibilitati relicti, Gratiis ſufficientibus (in ſenſu Thomiſtico intellectis) ſibi à Deo vel collatis vel oblatis, reſiſtant, eiſque propria ſua malitia ac culpa reſiſtentes labantur in peccatum; ſicque deficiant & excidant à Gloria æterna. Hic autem creaturæ, ſive Angelicæ, ſivè humanæ, defectus non poteſt habere Deum Auctorem, quia primordialitèr eſt ex nihilo, ſed ſuam originem trahit ex creatura, ſivè Angelica, ſivè humana, quæ per creationem cùm ex nihilo condita ſit, in nihilum ſuapte natura tendit, & eſt defectus ac peccati capax.

V. Ex his, quæ hactenùs dixi, nullo negotio intelligere potes, quænam inter Catholicorum Theologorum ſententias circà reprobationem negativam tàm Angelorum, quàm hominum, verior ac probabilior mihi appareat, quamque ſubinde aliis, quæ ſuper hac re circumferuntur, opinionibus anteponere debeas. Cenſeo quippè, Reprobationem negativam tum Angelorum, tum hominum, importare voluntatem Dei permittentis, ut aliqui, ſive Angeli, ſive homines, ſuæ naturali defectibilitati permiſſi, incidant in culpam, & proptèr eorum à Deo culpam præviſam excludantur à Gloria.

Qua in re fateor me diſcrepare è nonnullis Thomiſtis; qui docent, reprobationem negativam tam Angelorum, quàm hominum, fieri per abſolutam voluntatem, ſeu per efficax & poſitivum Decretum, quo Deus vult aliquos, ſive Angelos, ſive homines, ante præviſam eorum culpam, excludere à Gloria æterna, tanquàm à beneficio indebito. Hæc, inquam, non mihi probatur ſententia, quia licèt libens concedam, Reprobationem negativam tam Angelorum, quàm hominum, ſi *relativè* conſideretur, quatenùs videlicèt importat voluntatem Dei permittentis, ut iſte, ſive Angelus, ſive homo, potiùs quàm ille, incidat in culpam, & propter culpam excludatur à Gloria æterna, non aliam habere rationem niſi voluntatem divinam & beneplacitum Dei; contendo attamen, Reprobationem negativam ſive Angelorum, ſive hominum, ſi *abſolutè* ſpectetur,

prout

prout nimirùm importat voluntatem Dei permittentis, ut aliqui ſive Angeli, ſive homines, excidant à Gloria, non fieri niſi poſt prævifam à Deo eorum culpam, in quam iſti, ſive Angeli, ſive homines, ſuæ naturæ defectibilitati à Deo derelicti, incidunt, eiſque Deus, propter prævifam illorum culpam, vult infligere damnationis pænam, eos videlicèt excludendo à Gloria, & pæna ſenſus, ſeu ignis æterni ſupplicio, puniendo, ſicùt ſuperiùs laté expoſui, ac pluribus argumentis comprobavi.

Hanc igitur ſententiam (cui ipſe nunc lubentiſſimè ſubſcribo) de Angelorum & hominum reprobatione negativa, tàm *abſolutè*, quam *relativè* conſiderata, conſtantèr defende, eamque velim præponas ſententiæ illorum Theologorum, qui docent, Reprobationem tàm Angelorum, quàm hominum, ſivè abſolutè, ſivè relativè conſideretur, non aliam habere rationem niſi abſolutam voluntatem divinam, & poſitivum Decretum; quo Deus, antè prævifam illorum culpam, vult illos excludere à Gloria, tanquàm à beneficio eis indebito. Quod quidèm (ut ingenuè dicam) mihi videtur, cohærere & conciliari non poſſe cum illa vera ac ſincera voluntate, quam Deus habet, ſalvandi omnes omninò homines, & cum ordine divinæ juſtitiæ, quæ (ut concors eſt omnium Orthodoxorum ſententia) pænam (qualis eſt excluſio à Gloria) non infligit ante prævifionem culpæ.

Repudiare etiam debes opinionem *Molinæ*, ejuſque diſcipulorum, qui (ſicut jam obſervavi) contendunt, reprobationem negativam tam Angelorum, quàm hominum, pendere è Scientia Media, per quam Deus prævidet aliquos, ſive Angelos, ſive homines, in his circumſtantiis, locis, & temporibus conſtitutos, Gratiis verſatilibus & indifferentibus, ſibi à Deo oblatis, malè uſuros, eaſque per ſuum diſſenſum reddituros inefficaces, ſubindèque illos in peccata prolapſuros; quo ſemèl per Scientiam Mediam prævifo, ajunt *Molinæ* Diſcipuli, Deum velle illos, ſive Angelos, ſive homines, excludere à Gloria, eumque efficaci intentione decernere ipſos collocare in hac circumſtantiarum ſerie, in qua per Scientiam Mediam prævidit, aliquos, ſive Angelos, ſive homines, Gratiis verſatilibus malè uſuros, eaſque per ſuum diſſenſum reddituros inefficaces, ſicque in peccata lapſuros, proptèr quæ Deus iſtis, ſive Angelis, ſive hominibus, infligit damnationis pænam, ſeu excluſionem à Gloria, & æterni ignis ſupplicium.

Sed iſtud Moliniſtarum circà Prædeſtinationem & reprobationem Angelorum Syſtema, cui etiam adhærent illi Theologi, qui vulgò *Auguſtiniani* appellitari ſolent, jam abundè confutavi in meis ſuperioribus Epiſtolis, in quibus (juxta germanam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam) oſtendi, Scientiam Mediam nullo pacto eſſe admittendam, eamque, perindè ac Moliniſtanas illas Gratias verſatiles, indifferentes, & ſubditas (quantum ad efficaciam) libero, ſive Angelorum, ſive hominum, arbitrio, nullum planè locum habere ſive in ſtatu naturæ lapſæ, ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in prædeſtinatione & reprobatione Angelorum, ſivè denique in prædeſtinatione & reprobatione hominum lapſorum. Cùm igitùr iſtud Moliniſtarum, & Auguſtinianorum Syſtema duobus falſis nitatur principiis, videlicèt Scientia Media, & Gratiis verſatilibus, quas in nullo ſtatu Thomiſtæ admittunt, debes jure optimo rejicere Syſtema Auguſtinianorum circà prædeſtinationem & reprobationem Angelorum, & repudiare penitùs opinionem Moliniſtarum tàm circa Prædeſtinationem & reprobationem Angelorum, quàm circà prædeſtinationem & reprobationem hominum lapſorum.

VI. Supereſt modò, antequàm impugnem impium errorem hæreſiarchæ *Calvini*, aſſerentis, unicam & adæquatam tum negativæ, tum poſitivæ reprobationis tam Angelorum, quàm hominum lapſorum cauſam eſſe

ſolam

ſolam voluntatem Dei, qui independentèr à præviſione cujuslibet peccati, ſivè Originalis, ſivè actualis, quoſdam Angelos, & quoſdam homines ab æterna Gloria excluſit, illiſque, antè præviſam eorum culpam, præparavit pœnam tùm damni, ſeu privationem viſionis Beatificæ, tùm pœnam ſenſus, ſeu æterni ignis ſupplicium: Supereſt, inquam, antequàm hunc impium *Calvini* errorem confutandum ſuſcipiam, ut hìc brevitèr mentem meam aperiam circà aliam ſententiam, quam de Motivo Reprobationis negativæ hominum lapſorum propugnant non tantùm omnes illi Theologi, qui *Auguſtiniani* appellantur, ſed plures etiam doctiſſimi Thomiſtæ, ut videre eſt apud noſtrum *Joannem Baptiſtam Gonetum*, Tomo 4. *Clypei Thomiſtici* Diſput. 5. Art. 3. Cenſent porrò hi Theologi Orthodoxi, Motivum Reprobationis negativæ hominum lapſorum eſſe peccatum originale, ſive aliquandò remitti & deleri debeat per baptiſmum, ſivè nunquàm remitti & deleri debeat. Quid igitur de hac Catholicorum Theologorum ſententia circa Motivum Reprobationis negativæ lapſorum hominum ipſe ſentiam, triplici Aſſertione hìc declarare haud pigebit.

Aſſertio prima: ***Peccatum originale in his, in quibus Deus illud per baptiſmum non delere ac remittere decrevit, eſt motivum ſufficiens Reprobationis negativæ lapſorum hominum.***

Hanc Aſſertionem nullus negat Catholicus, tùm quia Fide certum eſt, & in pluribus Conciliis adversùs Pelagianos definitum, per peccatum originale, quod ad omnes Adami poſteros per ſeminalem propagationem transfuſum eſt, totum genus humanum fuiſſe infectum, eoſque naſci filios iræ, mancipia diaboli, & reos mortis & temporalis & æternæ: Tum quia etiam peccatum originale (ſicut docent omnes Theologi) fuit à Deo præviſum ante lapſorum hominum reprobationem, eoque præviſo, voluit Deus excludere à Gloria æterna non tantùm adultos, in quibus peccatum originale non remittitur per baptiſmum, verùm etiam parvulos, qui, ſolo peccato originali coinquinati, ex hac vita diſcedunt abſque baptiſmo. Igitur, juxtà Catholicam Fidem, peccatum originale in his, ſive parvulis, ſivè adultis hominibus, in quibus per baptiſmum non remittitur, eſt motivum ſufficiens eorum reprobationis negativæ, ſeu perpetuæ damnationis, ſeu excluſionis ab æterna Gloria.

Fuerunt, ſat ſcio, aliqui poſtremis hiſce temporibus Theologi, quos inter cenſentur *Ludovicus Molina*, *Ambroſius Catharinus*, *Albertus Pighius*, & *Cæleſtinus Sfondratus*, qui docuerunt, infantes, peccati originalis reos, decedentes abſque baptiſmo, futuros poſt univerſale judicium beatos beatitudine naturali, ſine ulla moleſtia & dolore, extra Regnum Cælorum, & procùl à carcere damnatorum, hoc eſt, in loco medio inter gehennam & Cælum, eos, velut in quodam paradiſo terreſtri, perpetuò feliciterque victuros. Sed hanc ſententiam, tanquàm falſam & erroneam rejicit ac improbat Cardinalis *Bellarminus* Tomo 3. *Controverſiarum* lib. 6. ibidemque probat, Fide Catholica tenendum eſſe, pueros, ex hac vita ſine baptiſmo migrantes, abſolutè eſſe damnatos, & non ſola cæleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros. *Bellarmino*, in eo explodendo & confutando errore, ſuffragatur Eminentiſſimus Cardinalis *De Laurea* Diſputatione 27. *De ſtatu* Parvulorum Art. 4. Num. 40. ubi hæc habet: *Parvuli cum originali peccato decedentes, poſitivè damnandi ſunt. Eſt communis, & ex Fidei principiis colligitur.* Quin, Cardinalis *Noriſius* in *Vindiciis Auguſtinianis* cap. 3. parag. 5. eamdem ſententiam duriore cenſura percellit. Siquidèm, poſt relatum, multiſque confutatum argumentis Pelagianorum errorem, quo pueris, necdùm ſacro lavacro tinctis, medium quemdam felicitatis locum concedebant, ita demùm ad Scholaſticos ſermonem convertit: ***Et tamen videmus plures Scholaſticos beatitudinem naturalem perfectiſſimam, citrà***

dolores

Digitized by Google

dolores & triſtitiam parvulis promittere extra Regnum Dei: quorum ſententia minùs tolerari poteſt, quàm illa Pelagianorum; quia iſti contendebant, Infantes eſſe innocentes & nulla culpa coinquinatos: Undè non adeò grave abſurdum videbatur, quamdam eis felicitatem præparare; cùm tamen Scholaſtici, nec ignobiles, aſſerant cum Eccleſia Catholica, pueros eſſe Originali labe infectos, ſub poteſtate dæmonis, filios iræ, nec poſteà dubitent, eiſdem beatam quamdam vitam promittere.

Ex quibus momentis ſic argumentum ipſe conficio: Illud peccatum eſt motivum ſufficiens ad negativè reprobandos homines lapſos, ſeu illos ab æterna Gloria excludendos, per quod omnes & ſinguli homines, per ſeminalem propagationem ab Adamo deſcendentes, fiunt (juxta Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & conſtantem SS. Patrum Traditionem) filii iræ, mancipia diaboli, & rei mortis æternæ: Atqui per peccatum originale, quod non eſt baptiſmo remiſſum, omnes & ſinguli homines ſunt filii iræ, mancipia diaboli, & rei mortis æternæ; ergo peccatum originale eſt motivum ſufficiens reprobationis lapſorum hominum.

Hanc doctrinam circa motivum ſufficiens reprobationis negativæ hominum lapſorum (quod dixi eſſe peccatum originale per ſacramentum baptiſmi non remiſſum) paſsim in ſuis operibus inculcat *S. Auguſtinus*, ſummus Divinæ Gratiæ Doctor. Docet quippe primò, omnes omninò homines proptèr peccatum originale juſtam promeruiſſe damnationem æternam, hoc eſt, peccatum originale eſſe motivum ſufficiens ad omnes homines reprobandos, licèt non fuerit à Deo pro omnibus acceptatum, cùm in benè multis per baptiſmum remittatur.

Secundò, Aquilinus ille Doctor, diſputans contra Pelagianos, ſæpiùs aſſerit, non poſſe hominem in ſtatu naturæ lapſæ conqueri ob Gratiam ſibi denegatam, quia omnes ea erant penitùs indigni propter primigeniam Protoparentis culpam: *Nunc autem* (inquit S. ille Doctor) *quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt*, ſeu peccati originalis, cap. XI. libri *De correptione & Gratia*. Hinc *S. Auguſtinus*, ad comprimendas querelas Pelagianorum, dictitantium, Deum videri minùs juſtum, ſi ante propria merita unum eligat, alterum reprobet: ad hanc, inquam, reprimendam Pelagianorum querimoniam *S. Auguſtinus* perpetuò recurrit ad peccatum originale, quod eſt motivum ſufficiens abſolutè reprobandi homines lapſos: *Hæc maſſa generis humani* (ait S. Pater Epiſtola CVI.) *ſi ita eſſet media ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtrà videretur iniquitas, ut ex ea fierent vaſa in contumeliam: cùm verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſa defluxerit, quod ex ea fiant vaſa in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ, abſit, ut ſit apud Deum, ſed judicio deputandum eſt.* Ubi diligenter obſerva, ſi placet, *S. Auguſtinum* hìc apertè innuere, peccatum originale eſſe juſtum motivum reprobationis & damnationis omnium hominum: cum enim non omnes homines damnentur, manifeſtum eſt eum loqui dumtaxàt de motivo ſufficienti damnationis omnium lapſorum hominum, quod tamen à Deo reapsè non pro omnibus lapſis hominibus acceptatur, quia vult Deus (ſicut mox oſtendam) ut peccatum originale in multis hominibus lapſis per baptiſmum remittatur.

Denique, *S. Auguſtinus* (ut innumeris penè aliis ejus teſtimoniis referendis ſuperſedeam) docet Epiſtola 105. cauſam, ſeu motivum reprobationis & obdurationis infidelium, in quibus per baptiſmum culpa originalis non eſt remiſſa, quique in eadem culpa perpetuò indurati manent, eſſe peccatum originale: *Quærimus* (inquit) *cauſam obdurationis & invenimus, merito namque peccati* (id eſt, originalis) *univerſa maſſa damnata eſt.* Idem poſt *S. Auguſtinum* aſſerit fideliſſimus ejus Diſcipulus *S. Thomas*, qui pluribus in locis reprobationem negativam, & denegationem Gratiæ in infidelibus, in quibus peccatum originale

Digitized by Google

nale nunquàm per baptiſmum remittetur, refertur ad originale peccatum: *ſalutaria beneficia* (ait Angelicus ille Doctor Primæ Secundæ Quæſt 98. Art. 4 ad 2) *Deus humano generi confert ex ſua Gratia, undè, ut Auguſtinus dicit, omnes, quos Deus docet, miſericordia docet, quos autem non docet, judicio non docet: hoc enim venit ex damnatione generis humani per peccatum primi parentis.* Item ait Angelicus præceptor Primæ Secundæ Quæſt. 103. Art. 3. ad I. *Humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio Gratiæ, & ideo quibuſcumque non datur, hoc eſt, ex juſtitia ut dicit S. Auguſtinus.*

Id poſtremò confirmat *S. Thomas* Secundæ Secundæ Quæſt. 2. Art. 5 ad I. ubi ait: *Auxilium quibuſcumque datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltèm originalis, ut dicit Auguſtinus.* Ex quibus locis liquet; *Sanctum Thomam* unà cum *S. Auguſtino* docere, peccatum originale tam in parvulis, quàm in infidelibus, in quibus illud non eſt remiſſum per baptiſmum, eſſe juſtum motivum illorum damnationis, ſeu reprobationis, denegationis Gratiæ, & excluſionis à Gloria æterna.

Ex quo inferes, reprobationem negativam hominum lapſorum, ſi abſolutè ſpectetur, habere ex parte reproborum ſufficiens & juſtum motivum, videlicèt peccatum originale, quod multis parvulis, & infidelibus, non remitti ur per baptiſmum.

VII. Aſſertio ſecunda: *Quamvis Sancti Patres Auguſtinus, & Thomas doceant peccatum originale in his in quibus non eſt remiſſum per baptiſmum, eſſe cauſam, & ſufficiens ac juſtum motivum illorum negativæ reprobationis. Hoc eſt, tametſi, Sancti Auguſtinus, & Sanctus Thomas cenſeant, cauſam & juſtum motivum cur, exempli gratia, quidam parvuli & infideles ſint à Deo abſolutè reprobati, ſeu excluſi a Gloria æterna, eſſe peccatum originale, quod in eis per baptiſmum non eſt remiſſum ac condonatum, & eſt tam parvulis, quàm adultis infidelibus commune; attamen Sancti Patres Auguſtinus, & Thomas apertè docent, lapſorum hominum reprobationem negativam, ſi comparatè ſpectetur, nullam aliam rationem & cauſam habere niſi ſolam Dei voluntatem; ideſt, Sancti illi Patres, quandò inquirunt, cur quidam parvuli, & infideles, ſint reprobati à Deo, & relicti in peccato originali nunquàm per baptiſmum remittendo, dùm tamen alii parvuli & infideles, qui perindè peccati originalis rei ſunt, à Deo prædeſtinantur ad Gloriam, & à culpæ originalis labe mundantur per baptiſmum? ad hanc, inquam, quæſtionem Reſpondent Sancti Patres Auguſtinus, & Thomas, non aliam hominum lapſorum reprobationis negativæ, ſic comparatè ſpectatæ, cauſam aſſignari poſſe, quàm ſolam Dei voluntatem. Similitèr, cur ex duobus juſtis, quibus per ſuſceptionem baptiſmi fuit remiſſum peccatum originale, unus perſeveret in Gratia, alter non perſeveret? non alia ratio, ſeu cauſa (juxta doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ) afferri poteſt niſi voluntas Dei.*

Ad probandam hujus Aſſertionis veritatem abundè ſufficiet hic proferre aliquot Teſtimonia Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, qui, dùm loquuntur de lapſorum hominum reprobatione negativa, non abſoluta, ſed relativa; nullam illius rationem & cauſam afferunt, niſi divinam voluntatem: *Quare hunc trahat* (Deus) *illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare*, inquit *S. Auguſtinus* Tractatu 26. in *Joannem*, idemque repetit S. ille Doctor pluribus in locis. Mentem *S. Auguſtini* egregiè explicat *S. Thomas* Commentario in cap. 9. Epiſt. ad Rom. lect. 45. & in cap. 6. Evangelii *Joannis*, ubi duplicem diſtinguit Reprobationem negativam hominum lapſorum, unam, quam vocat *generalem*, & quæ eſt reprobatio negativa, quam Theologi vocant *abſolutam*: altera reprobatio negativa hominum lapſorum appellatur à S. Thoma *ſpecialis*, quam Theologi nominant Reprobationem *comparativam*.

Hac utriuſque Reprobationis, *generalis*, ſeu *abſolutæ*, & *ſpecialis*, ſeu

com-

Digitized by Google

comparativæ, præmiſſa diſtinctione, ſic *S. Thomas* priori loco mentem ſuam aperit: *Circà electionem bonorum, & reprobationem malorum duplex quæſtio moveri poteſt: una quidèm in generali, quarè Deus velit quoſdam indurare, & quorumdam miſereri? alia verò in ſpeciali, quarè vel iſtius miſereri, & hunc vel illum indurare? Et poteſt quidèm ratio primæ quæſtionis aſſignari; ſecundæ autem quæſtionis non poteſt aſſignari, niſi ſimplex Dei voluntas*. Poſteriori autem loco, ſeu Commentario in c. 6. Evang. *Joannis*, idem utriuſque hominum lapſorum negativæ reprobationis, ſive *abſolutæ*, ſive *relativæ* diſcrimen affert Angelicus Doctor, dicens: *Quarè autem non omnes averſos trahit* (Deus) *ſed aliquos, licet ſint omnes æqualitèr averſi, ratio quidem* IN GENERALI (ideſt, quantùm ad Reprobationem, quæ à Theologis *abſoluta* appellatur) *poteſt aſſignari, ut ſcilicèt in illis, qui non trahuntur, appareat & refulgeat ordo divinæ juſtitiæ, in illis autem, qui trahuntur, immenſitas divinæ miſericordiæ: Quarè autem* IN SPECIALI (hoc eſt, quantùm attinet ad Reprobationem, quæ à Theologis vocatur *comparativa*) *trahat hunc, & illum non trahat? non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis divinæ*.

Ex hac *S. Thomæ* doctrina tria infero quæ præſenti, quam verſamus, quæſtioni de Reprobatione negativa hominum lapſorum haud mediocrem poterunt afferre claritatem. Infero in primis, duplicem à *S Thoma* diſtingui reprobationem negativam lapſorum hominum, unam nimirùm quam vocat *Generalem*, quæque prorsùs eadem eſt ac ea reprobatio negativa, quam nunc Theologi nuncupant *abſolutam*; alteram reprobationem negativam hominum lapſorum *Sanctus Thomas* appellat *SPECIALEM*, quam nunc Theologis vocitare placet *comparativam*.

Infero ſecundò, Reprobationem negativam hominum lapſorum, quam *S. Thomas* vocat *Generalem*, quamque nunc Theologi appellant *abſolutam*, habere aliquam rationem ſeu cauſam ex parte reproborum, videlicèt peccatum Originale, quod (ſicut ſuperiùs oſtendi) in his, in quibus per Sacramentum baptiſmi non eſt remiſſum, nec unquam remittendum, juſtum ac ſufficiens eſt motivum reprobationis negativæ lapſorum hominum. At, idem dici non poteſt de lapſis hominibus reprobis, in quibus per ſuſceptionem baptiſmi cùm ſit remiſſum peccatum originale, non poteſt ampliùs, ſicut mox oſtendam, peccatum originale, jam per Sacramentum baptiſmi remiſſum, eſſe cauſa & motivum ſufficiens reprobationis negativæ, quæ ſivè *Generalis*, ſivè *abſoluta* dicitur. Quapropter, probabilius cenſeo (ſicut anteà fusè probavi) reprobationem negativam, quæ vel *generalis*, vel *abſoluta* dicitur, non habere quidèm ex parte reproborum hominum, in quibus per Sacramentum baptiſmi jam remiſſum eſt peccatum originale, aliquam cauſam, ſeu aliquod ſufficiens motivum cùr *negativè* reprobentur à Deo, & excludantur à Gloria, illam tamen ex parte reproborum, in quibus jam condonatum eſt peccatum originale, ſupponere aliquod fundamentum, ſeu eorum naturæ defectibilitatem; nec importare (ut quidam docent) voluntatem Dei abſoluta & efficaci intentione aliquos, ante prævisam eorum culpam, excludendi à Gloria, tanquàm à beneficio indebito; ſed dumtaxàt reprobationem *negativam*, quæ *abſoluta* dicitur, importare voluntatem Dei, permittentis, ut aliqui eorum, in quibus per Sacramentum baptiſmi deletum eſt peccatum originale, congenitæ ſuæ defectibilitati relinquantur, eique relicti labantur in culpam actualem, propter quam Deus, qui eam prævidit, vult eis denegare donum per ſe efficax perſeverantiæ, ſubindèque illos excludere à Gloria.

Hanc ſententiam longè probabiliorem eſſe judico tùm ea opinione illorum Theologorum, qui exiſtimant, hominum lapſorum reprobationem negativam, quæ *abſoluta* dicitur, pendere unicè è ſola efficaci voluntate Dei, abſoluta intentione decernentis aliquos, an-

tè

Digitized by Google

tè prævisam eorum culpam, privare auxiliis per ſe efficacibus, eoſque excludere à Gloria, tanquàm à beneficio eis prorsùs indebito; tùm etiàm alia opinione quorumdam Theologorum, qui aſſerunt, reprobationem negativam, quæ *absoluta* dicitur, habere ex parte reproborum, in quibus remiſſum eſt peccatum originale, cauſam, ſeu juſtum ac ſufficiens motivum, ſcilicèt peccatum originale, quamvis per Sacramentum baptiſmi jam deletum ſupponatur.

Inſero tertiò, lapſorum hominum reprobationem negativam, quam *S. Thomas* vocat *ſpecialem*, & nunc Theologi appellant *comparativam*, non aliam rationem, ſeu cauſam habere niſi voluntatem Dei. Si enim à me quæras, cur ex duobus hominibus, peccati originalis æqualitèr reis, Deus uni per baptiſmum remittat peccatum originale, perſeverantiæ donum tribuat, & gloriam æternam; alterum verò hominem relinquat in peccato originali nunquàm remittendo, perſeverantiæ dono privet, & excludat à Gloria æterna? incunctantèr reſpondebo, hujus diſcriminis, ſeu iſtius reprobationis comparativæ non aliam rationem, ſeu cauſam afferri poſſe, niſi voluntatem & beneplacitum Dei. Si iterùm à me perconteris, quorsùm ex duobus hominibus, vel Angelis, quorum natura defectibilis eſt, Deus unum, ſive hominem, ſive Angelum, naturæ ſuæ defectibilitati relinquat, permittatque, ut cadat in culpam, eumque, propter ejus culpam prævisam, deſtituat efficaci dono perſeverantiæ, & ab æterna Gloria excludat; alium verò, ſive Angelum, ſive hominem, perindè licèt ex natura ſua defectibilem, non permittat Deus deficere, ſeu cadere in culpam, ſed illum Gratiis per ſe efficacibus, & potiſſimùm perſeverantiæ dono ſic muniat & roboret, ut Gloriam æternam infallibilitèr conſequatur? conſeſtìm cum Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma* reſpondebo, hujuſce negativæ reprobationis comparativæ tàm Angelorum, quàm hominum lapſorum, non aliam ſuppetere rationem, ſeu cauſam, niſi voluntatem Dei. Dicam cum Apoſtolo *Paulo* in Epiſtola ad Romanos, ubi multis capitibus verſat prædeſtinationis & reprobationis Myſterium: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientię Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?*

VIII. Aſſertio tertia: *Peccatum Originale in his, quibus per Sacramentum baptiſmi fuit remiſſum, non eſt cauſa, ſeu ſufficiens motivum reprobationis.*

Hæc Aſſertio puram Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* complectitur doctrinam. Enimverò, *S. Auguſtinus* Cap. 8. lib. *De Correptione & Gratia* quærit motivum, proptèr quod Deus illos, quibus jam largitus eſt gratiam, & peccatum originale remiſit, reprobet, denegando illis donum perſeverantiæ? qui quidem eſt ipſiſſimus quæſtionis, quam in præſentia agitamus, ſtatus. Ad hanc autem ſolvendam ſibi propoſitam quæſtionem non modò *S. Auguſtinus* non recurrit ad originale peccatum, utì ad illud recurrere debuiſſet, ſi revera exiſtimaſſet peccatum originale, etiàm in his, in quibus per baptiſmum fuit remiſſum, eſſe motivum reprobationis, verùm etiàm S. ille Doctor ultrò & candidè fatetur, ſe nullam poſſe aſſignare cauſam, cùr Deus his, quibus gratiam jam largitus eſt, & peccatum originale remiſit, deneget donum perſeverantiæ, atque, id referendum eſſe ad altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. *Si à me* (inquit Aquilinus ille Doctor) *quæratur, cùr eis Deus perſeverantiam non dederit, quibus eam, qua Chriſtianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare reſpondeo: non enim arrogantèr, ſed agnoſcens modulum meum, audio dicentem Apoſtolum, O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? & O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus. . . . . . . Mirandum eſt quidèm, multùmque mirandum, quòd filiis ſuis Deus quibuſdam, quos regeneravit in Chriſto, quibus Fidem, ſpem, dilectionem*

nem dedit, non det perſeverantiam, cùm filiis alienis tanta ſcelera dimittat, atque impertita ſua gratia faciat filios ſuos, quis hoc non miretur?

Porrò, ſi *S. Auguſtinus* ſenſiſſet, peccatum originale etiam in his, in quibus fuit remiſſum, eſſe cauſam, ſeù motivum ſufficiens reprobationis, omni procùl dubio non recurriſſet ad inſcrutabilia Dei judicia, nec tantoperè fuiſſet miratus, cùr Deus, his, quibus jam præbuit gratiam, & peccatum originale remiſit, deneget donum perſeverantiæ, illoſque reprobet; ſed potiùs hanc quæſtionem è veſtigio ſolviſſet, dicendo, non ſolùm peccatum originale in his, quibus non fuit remiſſum, ſed etiam in his, quibus fuit remiſſum, eſſe motivum ſufficiens reprobationis, & denegationis Doni perſeverantiæ. Cùm igitur *S. Auguſtinus* in hac dirimenda quæſtione nunquàm recurrerit ad peccatum originale, tanquàm ad cauſam denegatæ perſeverantiæ his, qui jam gratiam, & peccati originalis remiſſionem acceperunt; argumento eſt, *S. Auguſtinum* non exiſtimaſſe peccatum originale eſſe cauſam, ſeu juſtum ac ſufficiens motivum reprobationis eorum, quibus jam remiſſum & condonatum eſt; eadem quippè ratio eſt reprobationis ac denegationis perſeverantiæ.

De mente etiam ac ſententia *S. Thomæ* nullus, ut mihi videtur, extat dubitandi locus. Cùm enim S. ille Doctor pluribus in locis, ſed præſertìm I. Part. Quæſt. 23. reprobationem diligentèr explanaverit, ad ſolvendam tamen eamdem quæſtionem, cùr videlicèt Deus his, qui jam gratiam & peccati originalis remiſſionem acceperunt, deneget perſeverantiam, eoſque reprobet & ab æterna gloria excludat? ad hanc, inquam, ſolvendam quæſtionem non recurrit Angelicus Doctor ad peccatum originale, tanquàm ad cauſam, & juſtum ac ſufficiens motivum reprobationis, & denegatæ perſeverantiæ his, qui jam gratiam & peccati originalis remiſſionem ſunt adepti; ſed potiùs ad ſolvendam hanc quæſtionem *S. Thomas* recurrit ad generalia quædam principia, hominibus perindè ac Angelis communia, ſeu ad congenitam defectibilitatem naturæ cùm Angelicæ, tùm humanæ, & ad rationem, quæ in Deo eſt, Proviſoris univerſalis, ad quem pertinet aliquos, ſivè Angelos, ſivè homines, ſuæ propriæ defectibilitati relinquere, & permittere ut cadant in culpam, ac tandèm, proptèr prævisam illorum culpam, eos reprobare, privare Dono perſeverantiæ, & excludere à Gloria, ſicut ſuperiùs à me ſat ſuperque expoſitum eſt. Hæc autem reprobationis & denegationis perſeverantiæ ratio, petita ex defectibilitate naturæ tàm Angelicæ, quàm humanæ, & ex conditione univerſalis Proviſoris, qui aliquos in rerum natura defectus permittere debet; hæc, inquam, *S. Thomæ* ratio locum etiam habet in his reprobis hominibus, qui jam gratiam receperunt, & quibus remiſſum eſt peccatum originale. At enim, cùm iſti homines ſint ex natura ſua defectibiles, Deus, tanquàm proviſor univerſalis, quoſdam ex illis ſuæ naturali defectibilitati relinquit, ac permittit ut aliqui deficiant, & incidant in culpam, proptèr quam culpam Deus, qui eam prævidit, illos reprobat, dono perſeverantiæ privat, & pæna damnationis caſtigat. Sic hanc quæſtionem ſolvit Doctor Angelicus, qui nullibi, vel verbulo tenùs, innuit, originale peccatum in his, quibus remiſſum eſt, fuiſſe cauſam, ſeu juſtum ac ſufficiens motivum reprobationis & denegationis perſeverantiæ his, qui gratiam acceperunt, & quibus peccatum originale fuit jam remiſſum.

Quòd ſi verò à me poſtules, quorsùm igitur *S. Auguſtinus* inter diſputandum contra Pelagianos recurrat ad peccatum originale, tanquàm ad cauſam, juſtumque motivum Reprobationis lapſorum hominum?

Reſpondebo ipſe, unum è præcipuis Pelagianorum erroribus, quos impugnabat S. ille Doctor, in hoc fuiſſe ſitum, quòd aſſererent illi hæretici, Deum fore iniquum, ſi antè præviſa actualia hominum peccata, quemquam repro-

reprobaret: *S. Auguſtinus*, ut hanc Pelagianorum querelam reprimat, recurrit ad peccatum originale, tanquàm ad ſufficiens motivum reprobandi omnes omninò homines, qui per peccatum originale æternam damnationem merebantur, undè inferebat S. ille Doctor, neminem juſtè poſſe conqueri de Gratia ſibi denegata, cùm omnes homines ea eſſent indigni propter contractam communem culpam originalem. Hæc ratio *S. Auguſtini* intellecta (ſicut intelligi debet) de peccato originali in his, quibus nunquàm eſt remittendum, erat contrà Pelagianos peremptoria, cùm certum ſit, peccatum originale in his, quibus nunquàm remitti debet, eſſe cauſam ſeu juſtum ac ſufficiens motivum eorum reprobationis.

At, quandò *S. Auguſtinus* hanc quæſtionem dedita opera movet, *cùr Deus illis, quibus originale peccatum remiſit, perſeverantiam deneget?* tùnc Aquilinus ille Doctor non recurrit ad peccatum originale, quaſi eſſet cauſa & motivum ſufficiens reprobationis & denegatæ perſeverantiæ his, qui gratiam & peccati originalis remiſſionem jam obtinuerunt, ſed potiùs *S. Auguſtinus* hac in diſſolvenda quæſtione recurrit ad occulta & inſcrutabilia judicia Dei, necnon ad defectibilitatem naturæ humanæ, cui Deus, tanquàm Proviſor univerſalis, nonnunquàm relinquit etiam illos homines, quibus remiſit peccatum originale, permittitque, ut ſuæ propriæ defectibilitati relicti incidant in culpam, propter quam efficaci perſeverantiæ dono privati, deficiant à fine, ſeu excidant ab æterna gloria.

Hinc, juxtà Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam, diſtingui debent tres reproborum Claſſes, quorum alii è vita decedunt cum ſolo originali peccato non remiſſo, ſicut ſunt parvuli morientes abſque baptiſmo, qui damnantur propter ſolum peccatum originale, quod non fuit eis remiſſum. Alii ex hac vita migrant, culpa originali ſimùl & multis peccatis actualibus coinquinati, ſicut ſunt Infideles adulti, & illi damnantur tàm propter culpam originalem, quàm propter peccata actualia, quæ propria voluntate commiſerunt. Alii poſtremò recipiunt quidèm gratiam & peccati originalis remiſſionem, ſed non perſeverant in accepta juſtitia, ſicut ſunt plerique Chriſtiani, & illi damnantur non quidem propter peccatum originale, quod per baptiſmum fuit eis remiſſum, ſed propter ſola peccata actualia, quia videlicet Deus iſtos homines propriæ ſuæ defectibilitati relinquit, &, tanquàm proviſor univerſalis permittit, ut etiam plerique Chriſtiani, quibus per baptiſmum fuit remiſſum peccatum originale, incidant in peccata actualia, quibus Deum deſerunt, & ideò à Deo meritò deſeruntur.

Cæterùm, cùr Deus iſtos Chriſtianos, quibus jam per baptiſmum eſt remiſſum peccatum originale, naturæ defectibilitati relinquat, & permittat ut labantur in culpam, propter quam eis denegat perſeverantiæ donum; cùr, inquam, Deus ergà iſtos Chriſtianos ita ſe gerat? Sancti Patres *Auguſtinus*, & *Thomas* cauſam non aſſignant peccatum originale, ſed potiùs id totum referunt ad occultum Dei judicium. Patet igitur, *S. Auguſtinum*, & *S. Thomam* non exiſtimaſſe peccatum originale, in his, quibus remiſſum eſt, juſtum ac ſufficiens eſſe motivum reprobationis, & denegationis perſeverantiæ.

IX. Sed & alia ad idem probandum accedit efficaciſſima ratio: Si peccatum originale in his, quibus per Sacramentum baptiſmi remiſſum eſt, ſufficiens eſſet motivum reprobationis & denegationis perſeverantiæ, remaneret in baptizatis aliquid damnationis, quod eſſet reprobationis motivum; Atqui hoc, tanquàm à Fide Catholica alienum, damnat Sacro Sancta Synodus Tridentina Seſſ. 5. Canone V. ubi hæc habet: *In renatis nihil odit Deus, quia ex Apoſtolo ad Romanos c. 8. nihil eſt damnationis in iis, qui reverà conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem.* Et ſanè Fides Catholica docet, Deum per baptiſma perfectè ac ſincerè reconciliari cum homine, eique plenè condonare non tantùm reatum

culpæ, ſed etiam cujuſvis pœnæ æternæ & temporalis: Atquì Deus per Sacramentum baptiſmi perfectè ac ſincerè non reconciliaretur cum homine, ſi in illo peccatum originale, jam remiſſum, retineret tanquàm motivum puniendi illum, reprobandi, & à gloria æterna excludendi, quæ ſeveriſſima punitio eſt; igitur peccatum originale, in his, quibus per baptiſmum jam eſt condonatum, nequit eſſe cauſa, ſeù juſtum motivum reprobationis, & denegatæ perſeverantiæ.

Non clàm me eſt, quoſdam eſſe Theologos, qui, ut ab hoc argumento ſeſe expediant, fatentur quidèm, Deum per baptiſmum verè remittere peccatum originale quantùm ad culpam, pertendunt attamen, Deum illud non remittere quoad omnem pœnalitatem; cùm certum ſit in baptizatis remanere concupiſcentiam, quæ ex peccato originali profecta eſt, & per quam homo ſit pronior ad peccatum, infirmior ad benè agendum,& inſtabilior in bono jam adepto. Undè inferunt, peccatum originale, non quidèm formalitèr in ſe, ſed virtualitèr & ratione ſui reſidui effectus, videlicèt concupiſcentiæ, etiam, poſtquàm per Sacramentum baptiſmi remiſſum eſt, cauſam eſſe ſeu motivum reprobationis & denegationis perſeverantiæ, non ratione iniquitatis, quæ dimiſſa eſt, ſed ratione concupiſcentiæ & infirmitatis, quæ ablata non eſt, ſed remanet etiam in juſtis.

Verùm, hæc Reſponſio facilè confutatur, quia licèt ultrò fatear, remanere etiam in baptizatis concupiſcentiam infirmitatem &c. contendo attamen, concupiſcentiam illam non eſſe propriè peccatum, ſubindeque eſſe non poſſe juſtum ac ſufficiens motivum reprobationis, & denegationis perſeverantiæ. Hæc quippè concupiſcentia, quæ remanet in baptizatis, *nocere non conſentientibus non valet*, inquit Synodus Tridentina, *ſed ad agonem relicta eſt*, ut videlicèt hi, qui Chriſtiana Fide per Sacramentum baptiſmi ſunt initiati, fortitèr ſuperſtiti concupiſcentiæ reſiſtendo, vincant, & corona digniores evadant; Ergò hæc infirmitas, ſeù concupiſcentia, quæ poſt baptiſmum reſidua eſt, cùm non habeat rationem culpæ, nullo pacto trahi poteſt ad motivum reprobationis & denegationis perſeverantiæ.

Quòd ſi illi Theologi mihi concedant, infirmitatem ſeu concupiſcentiam, quæ remanet in baptizatis, non eſſe motivum reprobationis, & denegationis perſeverantiæ, eo modo, quo culpa eſt motivum reprobationis, proindèque reprobationem, & denegationem perſeverantiæ non fieri in pœnam peccati originalis, in his, quibus per Sacramentum baptiſmi eſt remiſſum; ſi, inquam, id mihi concedant iſti Theologi, velintque dumtaxàt, infirmitatem, ſeù concupiſcentiam, quæ remanet in baptizatis, concurrere ad reprobationem baptizatorum & denegationem perſeverantiæ per modum defectus, ad eam diſponentis, quatenùs homo (etiam poſtquàm in Sacramento baptiſmi gratiam & peccati originalis remiſſionem adeptus eſt) multis plagis (quæ ſunt reliquiæ peccati originalis) vulneratus, proniorem ſe ſentit ad malum, inſtabiliorem in bono, & infirmiorem ad vincendas ingruentes tentationes, adeoque ex ſua miſera conditione exigentem ut deficiat, ſibique à Deo denegetur perſeverantiæ donum; Si, inquam, nihil aliud ſibi velint iſti Theologi, nulla profectò inter me & illos ſupererit quæſtio niſi de ſolo nomine.

Fateor, enim, hoc modo ſuſtineri poſſe, peccatum originale per ſuos effectus, nimirùm infirmitatem, concupiſcentiam &c. concurrere etiàm aliquo modo ad reprobationem illorum, quibus jam per Sacramentum baptiſmi remiſſum eſt peccatum originale. Fateor quoque cum *S. Auguſtino*, defectum, ſeu denegationem perſeverantiæ in illis, qui in baptiſmo gratiam, & peccati originalis remiſſionem acceperunt, aliquo modo referri ad concupiſcentiam, ſeù infirmitatem, ex peccato originali contractam, quatenùs (inquit S. ille Doctor lib. *De Correptione & Gratia* c. 12.) juſtorum in hoc ſtatu naturæ lapſæ voluntas,

luntas, ſuæ infirmitati relicta, & ſola Gratia ſufficienti, ſeu ſolo adjutorio ſine quo, adjuta, tot inter ac tantas tentationes infirmitate ſua ſuccumbit, & ideò (ut ſubdit S. ille Doctor) fortiſſimo eget auxilio, & efficaci perſeverantiæ dono, quo, dùm aliqui juſti privantur, juſtam non habent rationem querendi de Deo, qui illos relinquit propriæ ſuæ defectibilitati ac infirmitati, quam ex peccato originali contraxerunt, permittitque ut ſibi derelicti non perſeverent in bono.

In hoc, inquam, cum iſtis Theologis, quos vulgò *Auguſtinianos* appellant, ultrò conſentio; at indè non exiſtimo conſequi, perſeverantiam nunc denegari in pænam originalis peccati, iis, quibus per Sacramentum baptiſmi remiſſum eſt. Ratio manifeſta eſt, quia Deus peccatum originale non punit, nec denegat juſtis perſeverantiæ donum ob illam infirmitatem, quasi illa eſſet juſtum ac ſufficiens motivum eos puniendi, ac finali perſeverantia privandi; cùm enim hæc infirmitas, quam juſti contraxerunt ex peccato originali, quantumvis jam remiſſo, non ſit peccatum, pænam certè non meretur. Quò fit, ut hæc infirmitas ſe habeat duntaxàt inſtàr cujuſdam diſpoſitionis, qua fit, ut juſtus, ſibi derelictus, non perſeveret; quòd autem juſtus ſibi derelinquatur, non ex aliqua ejus præcedenti culpa procedit, ſed ex inſcrutabilibus Dei judiciis, ſicut apertè docet *S. Auguſtinus*. Concludo itaque, infirmitatem illam, quæ in juſtis ex peccato originali, etiam remiſſo, relicta eſt, concurrere quodammodò ad non perſeverandum, tamquàm videlicèt diſpoſitionem quamdam ex parte liberi arbitrii; ſed non eſſe ſufficiens motivum reprobationis ac denegationis perſeverantiæ, non ſecùs ac inſtabilitas, ſeu defectibilitas naturæ Angelicæ (ſicut ſuperiùs expoſui) eſt quidèm ex parte Angelorum quædam diſpoſitio, ſeu conditio ſine qua Deus non permitteret aliquos Angelos deficere, labi in culpam, & proptèr culpam privari perſeverantia, & excludi à Gloria æterna; attamen illa inſtabilitas, ſeu naturæ Angelicæ defectibilitas non eſt cauſa, ſeu motivum ſufficiens cur Deus reprobet aliquos Angelos, eiſque deneget perſeverantiæ donum.

X. Sed ſatis hactenùs, opinor, ſententias Catholicorum Theologorum circà motivum Reprobationis negativæ tàm Angelorum, quàm hominum, expoſui, & eam, quæ mihi præ cæteris magis probatur, ſolidis confirmavi argumentis. Nunc operæ pretium eſt, impium confutare errorem *Calvini* aſſerentis, unicam & adæquatam tùm negativæ, tùm poſitivæ hominum reprobationis cauſam eſſe ſolam Dei voluntatem, quæ, independentèr à prævisione cujuslibet peccati ſive originalis, ſive actualis, quoſdam homines ab æterna gloria excludit, eoſque punire vult pæna tum damni, tum ſenſus, ſeu æternis cruciatibus.

Hunc *Calvini* errorem deteſtantur omnes Catholici, primò, quia non tantùm lædit, ſed penitùs evertit ordinem divinæ providentiæ, quæ exigit ut non ſit miſeria, niſi culpa præceſſerit, ſicut pluribus in locis docet *S. Auguſtinus*; atquì ſi unica & adæquata cauſa reprobationis tàm negativæ, quàm poſitivæ hominum eſſet ſola Dei voluntas, quæ antè omnem prævisionem cujuslibet peccati, ſivè originalis, ſivè actualis, quoſdam ab æterna gloria excluderet, eoſque damnationis pæna tùm damni, tùm ſenſus punire vellet (ſicut impiè docet Calvinus) ſequeretur, aliquos homines forè miſeros, & pænis obnoxios, antequàm eſſent alicujus culpæ rei, Deumque hominibus infligere pænam abſque præcedente aliqua culpa: Porrò (ſecundùm doctrinam omnium Sanctorum Patrum, Sacris Litteris, & definitionibus Eccleſiæ comprobatam) repugnat omninò providentiæ & juſtitiæ divinæ, necnon æternæ & incommutabili Legi Dei, quòd pæna alicui imponatur ſine ulla illius præcedente culpa; his, inquam, divinis attributis penitùs repugnat quòd pæna præcedat culpam, ſubindèque quòd pænæ præparatio præcedat culpæ prævisionem, ſeu quòd crea-

turæ rationalis, nullius peccati rea, ad æternum ſupplicium deſtinetur.

Hinc impius *Calvinus* Deum facit omni Tyranno crudeliorem, dùm Libro 3. *Inſtitutionum* cap. 23 Parag. 6. aſſerere audet, *Deum conſilio nutuque ſuo ita ordinaſſe, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent*. Et Parag 7. ejuſdem capitis non pudet peſtilentiſſimum illum Hæreſiarcham ſcribere, *Decretum fuiſſe à Deo, ut ſua defectione periret Adamus*, & inſupèr addere, eamdem eſſe rationem cæterorum hominum lapſorum ac ipſius Adami: *Decretum quidèm* (ait) *horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præſciverit Deus quem exitum habiturus eſſet homo antequàm ipſum conderet, & ideò præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinarat*.

Prætereà, *Calvinus* impiè docet, Deum, ut ſuum exequatur abſolutum decretum (quo ſtatuit quoſdam homines, antè præviſa eorum demerita, æternis addicere cruciatibus) neceſſitatem peccandi eis imponere, illos excæcare, indurare, proindèque Deum eſſe authorem peccati, non permiſſivo tantùm, ſed etiam poſitivo & abſoluto decreto: Atqui, impium eſt iſtud *Calvini* dogma, & meritò in Sacro-Sancta Synodo Tridentina damnatum, igitur omnes fideles ab hoc *Calvini* erroneo Syſtemate de Reprobatione tàm negativa, quàm poſitiva lapſorum hominum abhorrere penitùs debent. Minorem hujuſce argumenti Propoſitionem nullus negat Catholicus. Majoris verò Propoſitionis veritas patet ex diſertiſſimis teſtimoniis ipſiuſmet *Calvini*, qui pluribus in locis ait, ex peccato primi parentis invectam eſſe neceſſitatem peccandi, & hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dùm peccat, liberum quidem eſſe à coactione & violentia, ſed liberum non eſſe à neceſſitate. Qui Hæreſiarchæ *Calvini* error pugnat cum definitionibus Eccleſiæ, pluribus in Conciliis congregatæ; pugnat cum perpetua doctrina Sanctorum Patrum, præſertìm *S. Auguſtini*, qui in lib. *De Vera Religione* cap. 14. hæc habet: *uſquè adeò peccatum, voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium, & hoc quidèm tam manifeſtum eſt, ut nulla indoctorum turba diſſentiat: quarè aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi*. Sed hunc execrabilem *Calvini* errorem de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ pluribus argumentis in meis ſuperioribus Epiſtolis confutavi, videlicèt in ea, quæ in prima Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine ſexta; & in altera, quæ in ſecunda Epiſtolarum mearum Claſſe eſt ordine prima.

Deindè, aliquos homines ex decreto illo abſoluto & efficaci, quo Deus (juxtà *Calvinum*) eos reprobat, obdurari & excæcari, ita ut peccatorum, quæ ex illorum obduratione & excæcatione ſequuntur, Deus author ſit non permiſſivo tantùm, ſed etiam poſitivo & abſoluto Decreto, ſæpiùs inculcat impius *Calvinus*, ſed præſertìm in Cap I. Epiſtolæ ad Romanos, ubi exertè docet, *Deum non ſinendo tantùm & connivendo permittere homines prolabi, ſed judicio id ordinare, ut tum à propria conſcientia, tum à diabolo in hujuſmodi & alia agantur*. Quod quidèm abſque horrore audiri non poteſt, quia Deus (ſicut Fides Catholica docet) permittit quidèm peccata, tanquàm proviſor univerſalis, ſed ad ea non impellit. Deus etiam dicitur in Sacris Litteris reprobos excæcare & indurare, non quòd infundat, ſeù impertiatur eis malitiam; abſit: Sed quòd indignis peccatoribus ſuam ſubtrahat gratiam.

Hinc *S. Auguſtinus* Lib. I. ad *Simplicianum* Quæſt. 2. docet, Deum in hoc ſenſu dici *obdurare peccatores quoſdam, quia non eorum miſeretur, non quia impellit ut peccent*, & *S Thomas* hæc Apoſtoli verba, de *Pharaone* dicta in Epiſtola ad Romanos: *In hoc ipſum excitavi te*, explanando; ſic Lectione tertia ſcribit: *Inſtinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum & malum: alitèr tamen ad bona, alitèr ad mala: nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per ſe tanquàm author*

thor

Digitized by Google

thor bonorum; ad malum autem dicitur inclinare homines occaſionaliter, in quantùm ſcilicet Deus homini aliquid proponit, vel exteriùs, quod, quantùm eſt de ſe, eſt inductivum ad bonum, ſed homo, propter ſuam malitiam, perversè utitur ad malum.

XI. Rejecto igitùr impio *Calvini* errore (quem omnes Catholici deteſtantur) debemus huic, tanquàm probabiliori, adhærere ſententiæ Theologorum, qui, ſicut ſuperiùs oſtendi, docent, Reprobationem negativam tùm Angelorum, tùm hominum, non importare abſolutam & efficacem intentionem, ſeu voluntatem Dei excludendi aliquos, ſive Angelos, ſive homines, antè prævifam eorum culpam, à Gloria æterna, eiſque pœnam damni & ſenſus præparandi; ſed potiùs Reprobationem negativam tàm Angelorum, quàm hominum importare dumtaxàt voluntatem permiſſivam, qua videlicèt Deus aliquos, ſive Angelos, ſive homines, propriæ & congenitæ ſuæ defectibilitati relinquit, ac permittit, ut aliqui ex illis incidant in culpam, & propter prævifam illorum culpam Deus illos excludat à Gloria æterna, eiſque præparet pœnam damnationis, ſeu pœnam damni & ſenſus. Adduntetiam iidem Theologi, quorum ſententiam calculo noſtro probamus, peccatum originale in his, quibus per Sacramentum baptiſmi non eſt remiſſum, eſſe cauſam, ſeu juſtum ac ſufficiens motivum Reprobationis negativæ lapſorum hominum; at peccatum originale in his, quibus condonatum eſt, dici haud poſſe cauſam, ac ſufficiens motivum eorum reprobationis negativæ, ſicut jam pluribus rationibus Theologicis evicimus.

Sed, inquis in ea, quam ad me nuperrimè ſcripſiſti, Epiſtola: *Si prædeſtinatio Electorum ad gloriam (ſicut docent omnes Thomiſtæ) ſit purè gratuita & antevertens omnem prævifionem meritorum, ſequitur planè, Reprobationem itidèm negativam tàm Angelorum, quàm hominum, pendere unicè è ſola voluntate Dei, & antevertere omnem prævifionem culpæ ex parte reproborum, ſive Angelorum, ſive hominum. At enim, ideò Thomiſtæ dicunt, prædeſtinationem Electorum ad Gloriam eſſe purè gratuitam, & antecedere prævifionem meritorum, quia Deus, cùm ſit proviſor ordinatè procedens, debet in prædeſtinatione Electorum priùs velle finem, ſeu dare Gloriam æternam, quàm velle dare Media, ſeu auxilia per ſe efficacia, merita, & bona opera, quæ conducunt ad Gloriam æternam: Atqui ſimilitèr Deus in reprobatione negativa tàm Angelorum, quàm hominum, ſe habet velut proviſor ordinatè procedens, ergò Deus illorum reprobationem negativam incipit ab efficaci intentione, ſeu voluntate illos excludendi à Gloria, & deindè permittit ac prævidet illorum culpas, ſeu peccata actualia, quæ ſunt Media conducentia ad finem reprobationis negativæ, ſeu ad excluſionem ab æterna Gloria. Quo ſemel ſuppoſito, palàm conſequitur, Deum velle quibuſdam reprobis, ſive Angelis, ſive hominibus, infligere pœnam, priuſquàm permiſerit ac prævîderit eorum culpam, quia Deus, qui eſt proviſor ordinatè procedens, antequàm permittat & prævideat aliquorum reproborum, tàm Angelorum quàm hominum, culpas & peccata, quæ ſunt Media conducentia ad finem reprobationis, debet priùs velle finem reprobationis, ſeu excluſionem à Gloria æterna; porrò, à Gloria in æternum excludi graviſſima pœna eſt, & ſumma miſeria; immò eſt ipſiſſima eſſentialis damnatio, ſeu pœna damni, ſicut fatentur omnes Theologi; igitur, facta ſemèl illa hypotheſi, Deus in reprobatione negativa aliquorum, tàm Angelorum, quàm hominum, priùs vellet illis infligere pœnam, quàm eorum permitteret ac prævideret culpam; quod ſanè ab ordine divinæ providentiæ, & à ſanctiſſimis ejus juſtitiæ legibus eſt prorsùs alienum.*

Hæc objectio, quam mihi in tua Epiſtola proponis, duo, tanquàm certa, ſupponit, quæ tamen, pace tua dixerim, oppidò falſa ſunt. Supponit quippè in primis, Deum perindè ſe habere in reprobando ac in prædeſtinando,

O 4 quod

quod ipſe nego ac pernego. Duplex enim admittendum eſſe cenſeo diſcrimen inter reprobationem & prædeſtinationem, quoad diſpoſitionem effectuum in ordine divinæ intentionis. Primum diſcrimen in hoc ſiſtit, quòd ultimus prædeſtinationis finis, ſeu gloria æterna, eſt aliquid de ſe bonum; quò fit, ut non ſit contrà, ſed potiùs juxta ordinem bonitatis Dei, Electos prædeſtinantis ad gloriam, ut primò velit abſoluto & efficaci decreto aliquos eligere ad gloriam, deindè eadem efficaci intentione præparet illis merita, quæ ſunt Media conducentia ad finem prædeſtinationis, ſeu ad gloriam æternam. Hoc etenim oſtendit Dei immenſæ bonitatis, & gratuitæ ipſius ergà Electos liberalitatis exceſſum. Sed, verſa vice, ultimus reprobationis effectus, ſcilicet damnationis pœna, non eſt aliquid de ſe bonum, ſed induit dumtaxàt rationem boni & juſti ſuppoſita culpa, indèque repugnat divinæ bonitati, ut velit pœnam antequàm prævideril culpam.

Alterum diſcrimen in hoc ſtat, quòd prædeſtinatio eſt cauſa efficiens rerum omnium, quæ ad conſecutionem gloriæ conducunt: Reprobatio verò non eſt cauſa ejus quod per ſe ad pœnam tendit, videlicèt culpæ, & ideò poteſt Deus gratuita & efficaci ſua voluntate alicui gloriam dare, antequàm ullum ex ejus parte meritum prævideat, quoniam ipſe eſt, qui donat meritum. Contrà verò, bonitati Dei omninò repugnat, ut alicui pœnam infligere velit, antequàm ex illius parte culpam prævideat; ratio eſt, quia pœna, ut talis, pendet à culpa, quam Deus nec facit, nec poteſt velle, proindequè ut pœnam efficaciter velit, debet aliquam culpam ex parte reprobi ſupponere, ſicut *S. Auguſtinus* lib. 3. contra *Julianum* cap. 18. appoſitè ait: *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus, poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* Falſum igitur eſt, Deum perindè ſe habere in reprobando ac in prædeſtinando. Cùm enim prædeſtinatio reſpiciat aſſecutionem finis, ſeu gloriæ æternæ, Deus prædeſtinationem incipit ab efficaci intentione perducendi ad finem, dein, Media, ſeù Merita, conducentia ad finem, ſeù ad gloriam æternam, diſponit. At, cùm reprobatio reſpiciat defectum à fine, ſeu à Gloria æterna, Deus reprobationem non incipit ab intentione efficaci illius defectus, nec quidquam ad illum ordinat, ſed è contrà reprobationem incipit à permiſſione deficiendi à fine, ideſt, ſicut anteà expoſui, relinquit Deus aliquos, ſive Angelos, ſive homines, propriæ defectibilitati, & permittit ut cadant in culpam, ac denique hunc defectum, ſeu culpam iſtam, ordinat ad aliquod bonum, nempè ad pœnam. Juſtum eſt enim, ſubindèque bonum, ut qui per culpam ſeſe gloria æterna præſtiterit indignum, ab ea in pœnam excludatur.

Quarè, pœna, ſeu excluſio à Gloria æterna, non eſt finis, à quo Deus reprobationem negativam tàm Angelorum, quàm hominum, incipit, & propter quem culpam permittit, ſed hæc excluſio à Gloria, quæ habet rationem pœnæ, eſt tantum finis, ad quem Deus culpam, jam permiſſam, ordinat. Verus autem finis, à quo Deus incipit reprobationem tàm Angelorum, quàm hominum, eſt ordo, ſeu manifeſtatio ſuæ juſtitiæ punitivæ, ita ut tamen Deus non ſtatim & immediatè velit pœnam, ſeu excluſionem à Gloria, ſed priùs velit aliquos reprobos, tàm Angelos, quàm homines, propriæ defectibilitati relinquere, & permittere ut labantur in culpam, eorumque prævîſam culpam ad bonum & manifeſtationem ſuæ juſtitiæ punitivæ ordinare per illorum excluſionem à Gloria. Quamvis enim Deus velit (tanquàm finem) oſtenſionem ſuæ juſtitiæ, indè tamen haùd ſequitur, Deum ſtatim primò velle punitionem, & deindè permittere culpam, ſed potiùs ſequitur, Deum non velle punitionem, niſi ob prævîſam culpam; ratio eſt, quia punitio antè culpam non eſt medium aptum

tum ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ, ſed potiùs ſic præfeſtinè volita punitio antè culpam redolet & oſtendit crudelitatem, quæ oppoſita eſt juſtitiæ vindicativæ.

Altera falſa ſuppoſitione nititur tua objectio. Supponit quippè, Deum in reprobatione negativa aliquorum, ſivè Angelorum, ſivè hominum, ità ſe habere, ut priùs velit manifeſtationem ſuæ juſtitiæ, deindè punitionem, ſeu pænam, tertiò culpam, & deniquè permiſſionem culpæ. At, hæc falſa ſuppoſitio eſt, procedens ex præpoſtero quodam modo intelligendi ordinem, quem Deus in reprobatione negativa quorumdam, ſive Angelorum, ſive hominum, tenet inter punitionem, culpam, & culpæ permiſſionem. Non enim Deus (juxta ſententiam, quam ipſe ſequor) in reprobatione negativa tàm Angelorum, quàm hominum, primò vult manifeſtare juſtitiam ſuam, deindè punire, poſteà, ut habeat cauſam puniendi, permittere culpam; hic enim ordo ſapit (ut mihi videtur) inclementiam, & aliquod crudelitatis genus, quod procùl à Deo amandari debet. Sed cenſeo ipſe, Deum, in reprobatione negativa aliquorum tàm Angelorum, quàm hominum, velle quidèm, tanquàm finem, manifeſtationem ſuæ juſtitiæ, Deum tamen non ideò ſtatim & immediatè velle punitionem (ſicut jam expoſui) ſed priùs Deum velle relinquere aliquos reprobos, ſive Angelos, ſive homines, naturæ ſuæ defectibilitati, & permittere ut labantur in culpam, ac denique prævìſam eorum culpam ordinare ad pænam, ſeù ad excluſionem à Gloria æterna.

Hoc pacto explicata reprobatio negativa tùm Angelorum, tùm hominum, non ſolùm crudelitatem non ſapit, ſed etiam oſtendit ſuavitatem providentiæ divinæ, quæ unicuique providet juxtà cujuſque modum & conditionem. In hoc enim, quòd Deus aliquos, ſive Angelos, ſive homines, naturæ ſuæ defectibilitati non relinquit, nec permittit eos cadere in culpam, ſed illos gratiis per ſe efficacibus præmunit ne deficiant, in hoc, inquam, eluceſcit erga Electos miſericordia Dei, illos gratuita ſua voluntate ad Gloriam eligentis ac prædeſtinantis: in hoc verò, quòd Deus aliquos, ſivè Angelos, ſive homines, naturæ ſuæ defectibilitati relinquit, & permittit illos cadere in culpam, eorumque prævìſam culpam ordinat ad pænam, ſeu ad excluſionem ab æterna gloria; in hoc, inquam, Deus manifeſtat ſuam juſtitiam, quæ mala, ſeu peccata, non permitteret, niſi natura, ſivè Angelica, ſivè humana, ex ſe defectibilis eſſet, & niſi aliquod bonum ex permiſſione peccatorum procuraret, atque cum primis, intèr alia bona, divinæ juſtitiæ ordinem, qui pertinet ad perfectionem, & ſplendorem univerſi, ut ſcilicèt in eo varii ſint gradus, divinas perfectiones, ſeu miſericordiam & juſtitiam, repræſentantes, ſicut peregregiè diſcurrit *Sanctus Thomas* Prim. Part. Quæſtione 23. Artic. 5. ubi hæc habet: *Ex ipſa bonitate divina ratio ſumi poteſt prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum: Sic enim dicitur, Deus omnia feciſſe proptèr bonitatem ſuam, ut in rebus divina bonitas repræſentaretur. Neceſſe eſt autem, quòd divina bonitas, quæ in ſe eſt una & ſimplex, multiformitèr repræſentetur, quia omnes creaturæ ad ſimplicitatem Dei attingere non poſſunt, & indè eſt, quòd ad completionem univerſitatis requiruntur diverſi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in univerſo, & ideò ut multiformitas gratiæ conſervetur in rebus, Deus permiſit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur . . . Voluit igitur Deus quantùm ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ parcendo: & quantùm ad alios, quos reprobat per rigorem juſtitiæ puniendo, & hæc eſt ratio, quarè Deus quoſdam eligit & quoſdam reprobat, & hanc cauſam aſſignat Apoſtolus*

lus ad Romanos cap. 9. *dicens : Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, id eſt, permiſit, in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Et Epiſtola* 2. *ad Timotheum cap.* 2. *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia, & quædam quidèm in honorem, quædam in contumeliam.*

Sed dices fortaſſis: *Sententia, quam hactenùs expoſuiſti de Reprobatione negativa tam Angelorum, quàm hominum, incidit in idem inconveniens, quod velis remiſque declinare voluiſti; videlicèt ex tua ſententia ſequitur, Deum in reprobatione negativa ſive Angelorum, ſive hominum, priùs velle pœnam quàm culpam. At enim negare haùd potes, Deum eodem inſtanti & actu, quo aliquos eligit ad gloriam, cæteros excludere ab eadem gloria, atqui excluſio illa à Gloria eſt graviſſima pœna (ſicut tu fateris) igitur ſententia tua ſupponit, Deum in reprobatione negativa tùm Angelorum, tùm hominum velle illis infligere pœnam antequàm eorum præviderit culpam.*

Secundò, ſententiæ tuæ adhærendo, inficiari non potes, Deum incipere Reprobationem negativam à derelictione, qua nimirùm aliquos reprobos, ſive Angelos, ſive homines, derelinquit ſuæ defectibilitati, & permittit ut in culpam labantur : Atquì illa derelictio, ſeu deſertio, habet rationem pœnæ, & ideo docent Theologi, quòd Deus neminem deſerit, niſi prior ipſum deſeruerit per culpam, ſeu per peccatum. Igitur, velis nolis, fateri debes, Deum in Reprobatione negativa tam Angelorum, quàm hominum, velle illis inferre pœnam priuſquàm illorum præviderit culpam.

Hæc duo momenta (fateor) poſſes ſententiæ meæ opponere, & hac de cauſa hìc inferere volui, ut ex illorum dilucidatione intelligas, ſententiam, quam hactenùs expoſui, nullatenùs ſupponere, Deum in reprobatione negativa tam Angelorum, quàm hominum, priùs velle pœnam, quàm culpam in quem ſcopulum impingere videtur quorumdam, quos impugnavi, Theologorum ſententia. Quocircà, ad primum momentum Reſpondeo, duplicem diſtinguendo excluſionem à Gloria; videlicèt unam, quam appello *poſitivam*, & *immediatam*; Alteram, quam nuncupo *permiſſivam* & *mediatam*. Excluſio poſitiva & immediata à Gloria æterna, habet rationem pœnæ, & ideo ſupponit præviam ex parte reproborum culpam, conſiſtitque prædicta excluſio à Gloria in illo actu, quo Deus dicit: *Nolo iſti Gloriam æternam dare: immò volo providere, & Media eligere ut ab ea excludatur.* Excluſio verò à Gloria, quam ipſe voco *permiſſivam* & *mediatam*, ea eſt, qua Deus derelinquit aliquos, ſive Angelos, ſive homines, congenitæ ſuæ defectibilitati, & permittit ut cadant in culpam, qua interveniente, dignos ſe præbent, ut gloria æterna eis denegetur, illoſque Deus ab æterno Regno excludat: *Nolo iſtos eligere ad Gloriam, ſed volo ſuæ defectibilitati illos relinquere, & permittere ut labantur in culpam, propter quam dignos ſe præſtabunt, qui ab æterna Gloria excludantur.* Hæc excluſio à Gloria, quæ dicitur *permiſſiva*, non habet rationem pœnæ, ſicut ſuperiùs expoſui, ſubindèque non ſupponit culpam ex parte reproborum.

Hac præmiſſa diſtinctione, dico, Deum eodem inſtanti & actu, quò gratuita ſua voluntate aliquos eligit ac prædeſtinat ad Gloriam, alios, ſcilicèt Reprobos, excludere à Gloria excluſione *permiſſiva* & *mediata*, quæ non habet rationem pœnæ, hoc eſt, Deum quoſdam Angelos, & homines relinquere naturæ ſuæ defectibilitati, & permittere, ut in culpam incidant, atque, ob prævisam eorum culpam, velle illis infligere pœnam damnationis, ſeu pœnam damni, quæ conſiſtit in excluſione poſitiva à Gloria æterna, & pœnam ſenſus, ſeu ignis æterni ſupplicium. At, nego, eodem inſtanti & actu,

quo

Digitized by Google

quo Deus aliquos eligit ac prædeſtinat ad Gloriam, alios, ſivè Angelos, ſivè homines, excludi ab ipſomet Deo à Gloria æterna excluſione poſitiva, quæ habet rationem pænæ.

Ratio eſt quia ſi Deus eodem actu & inſtanti, quo aliquos eligit ad Gloriam, alios ab eadem Gloria excluderet excluſione poſitiva, indè ſequeretur primò, quòd Deus vellet imponere pænam, priuſquàm prævideret culpam, quia excluſio poſitiva à Gloria æterna eſt maxima pæna, utpotè pæna damni. Secundò, in hac hypotheſi nullo pacto dici poſſet, penès illos Reprobos, ſic à Deo à Gloria æterna excluſos excluſione poſitiva, ſtare cauſam cùr non ſalventur, ſive prævisam à Deo eorum culpam, ſed tantùm penès Deum eſſet, cùr iſti Reprobi gloriam æternam non aſſequerentur, quia Deus, ante prævisam illorum culpam, jam eos ab æterna Gloria excluſiſſet excluſione poſitiva, illos à ſe repuliſſet, eiſque ſalutis januam abſoluto & poſitivo Decreto occluſiſſet, quod ſanè concedi non poteſt, quia (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè probavi) Deus, etiam poſt illum actum, quo aliquos homines à Gloria æterna excluſit, vult voluntate antecedenti omnes ſalvos fieri, & offert ac præparat, quantùm eſt ex ſe, omnibus reprobis Gratias verè ſufficientes, quibus æternam ſalutem conſequi poſſunt, ſed cùm illis propria culpa, malitia, ac vitio ſuo reſiſtant, & in peccata labantur, Deus, ob prævisam illorum culpam, excludit illos ab æterna gloria excluſione poſitiva & mediata, ſeu mediante illorum culpa, vultque illis pænam damnationis infligere, hoc eſt, pæna tam damni, quàm ſenſus. *Liberum arbitrium* (inquit S. Thomas) *ex ſe deficientiam habet, ex Deo autem ut non deficiat.*

Ad alterum momentum, quod objicere poſſes, Reſpondeo, hominem duobus modis poſſe derelinqui, ſeu deſeri à Deo. Primò, quatenùs eum naturæ ſuæ defectibilitati derelinquit & permittit, ut nativa ſua fragilitate incidat in peccatum, ei non concedendo auxilium per ſe efficax, tametſi ei largiatur auxilia verè ſufficientia, in ſenſu tamen Thomiſtico intellecta. Quantùm ad hunc derelinquendi, ſeu deſerendi modum, non oportet, ut homo propriè deſeruerit Deum per peccatum, ſicut benè multi Theologi probant exemplo primi peccati, in quod prolabitur homo, & exemplo peccati Adami. Ad hanc igitur derelictionem, ſeu deſertionem, non requiritur prævisio culpæ, ſicut conſtans eſt omnium Theologorum ſententia, & hoc derelinquendi modo, Deus eodem actu & inſtanti, quo aliquos, ſivè Angelos, ſivè homines, eligit ac prædeſtinat ad Gloriam, deſerit alios, illos videlicet derelinquendo propriæ defectibilitati, & permittendo, ut ipſi auxilio per ſe efficaci, ipſis indebito, deſtituti, caderent in culpam, & proptèr culpam mererentur pænam æternam.

Secundò, Deus propriè hominem deſerere dicitur, cùm ab eo ſubtrahit dona ſua, ſcilicèt lumen interius Gratiæ, & protectionem, qua bonos ac juſtos dignatur, & in hoc ſenſu intelligendum eſt illud commune Theologorum Effatum: *Deus neminem deſerit, niſi priùs homo eum per peccatum deſeruerit.* Non enim Deus Gratiam habenti ſubtrahit, nec peculiarem ſuam protectionem, niſi homo priùs per peccatum receſſerit ab eo.

XII. Hìc Epiſtolæ meæ finem imponere animus erat, ſed opportunè mihi in mentem venit Factum Hiſtoricum, quod hìc inſerere operæ pretium duxi eo potiſſimùm nomine, quòd tàm Thomiſtarum doctrinæ, quam in iſta Epiſtola expoſui, de Reprobatione hominum lapſorum, quàm ſententiæ eorumdem Theologorum, in ſuperiori Epiſtola à me multis momentis ſtabilitæ, de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam & antè meritorum prævisionem, poteſt magnum conciliare robur.

Anno 1692 die 27. menſis Auguſti *Adrianus Van Wyck*, Presbyter, vulga-

gavit Epiſtolam per Hollandiam, in qua hanc Thomiſtarum Aſſertionem de Prædeſtinatione & reprobatione acriter perſtringebat: *Deus jam hominibus ob Adæ lapſum æternæ damnationi obſtrictis, per æternum Decretum meræ ſuæ miſericordiæ aliquos abſque reſpectu tunc ad futura eorum merita, ex illis elegit, quos propoſuit ſalvare; reliquis omnibus in damnatione relictis . . . . . . Adeò ut illi infallibilitèr ſalventur, & hi indeclinabilitèr omnes pereant*. Hanc, inquam, Thomiſtarum Aſſertionem conviciis proſcindebat *Adrianus Van Wych* in ſua Epiſtola, quæ graves inter Catholicos Hollandiæ Miſſionarios excitavit tumultus. Romam poſt menſes aliquot delata res eſt, ubi Eminentiſſimi Cardinales Congregationis S. Officii provinciam demandarunt aliquot viris Theologis prædictam Epiſtolam examinandi & de ea ſententiam, ſeu ſuffragium cenſorium, dicendi. Sic autem de vulgata illa cenſuerunt: *Nos infrà ſcripti attentè conſideravimus tranſlationem latinam Epiſtolæ Adriani Van Wych, Presbyteri, belgico ſermone impreſſæ die 27. Auguſti 1693. & unanimi voto judicamus, illam eſſe manifeſtè tranſgreſſivam Decretorum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, graviſſimè cenſurando ſententiam communem Sanctorum Patrum & Theologorum, de gratuita Prædeſtinatione, & Gratia per ſe efficaci: atque ex iſto capite, necnon & injurioſo modo procedendi, turbando unionem & pacem intèr Miſſionarios Catholicos, exiſtentes in partibus hæreticorum, cenſemus eſſe valdè ſeditioſam, atque adeò prohibendam. Salvo tamen &c. Ita cenſeo* Fr. Thomas BOSIUS, *Commiſſarius. Ita cenſeo ego* F. PHILIPPUS A' SANCTO NICOLAO, *Qualificator S. Officii, Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum*.

Cenſorium iſtud deputatorum Theologorum judicium probavit Eminentiſſimorum Cardinalium Sancti Officii Congregatio, injunxitque Apoſtolico Internuncio, Bruxellis commoranti, ut latum judicium *Adriano Van Vvych* ſignificaret, eumque ad parendum & ſubſcribendum adigeret; ſed cùm ille temerarius Scriptor obtemperare pervicacitèr detrectaſſet, & in audaciæ ſuæ defenſionem, Fidei Inquiſitoribus libellum ſupplicem typis editum obtuliſſet, ſub hoc titulo: *Ad Eminentiſſimos & Reverendiſſimos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales & Inquiſitores Supremos, ſupplicatio Adriani Van Vvych, Presbyteri ſecularis, & in Hollandia Miſſionarii, ut non cogatur ſubſcribere judicio Patris Commiſſarii, & alterius Qualificatoris;* cùm, inquam, hic temerarius Scriptor morem gerere manibus pedibuſque detrectaret, meruit habere fulmen ſecundum. Iterato mandato ei juſſum eſt, ut lato judicio ſubſcriberet, & ejus Epiſtola, cum aliis, quos ſcripturiverat, libellis, ſolemni Decreto confixa eſt die 19. Maii anni 1694. Hoc Factum Hiſtoricum, quod nuper in publico Orbis theatro contigit, nec inficias ire, nec in dubium revocare poſſunt Scholæ Thomiſticæ Adverſarii.

Porrò, quàm curta Theologicæ eruditionis ſupellectili inſtructus eſſet iſte *Van Vvych*, facilè, tanquàm ex ungue leonem, percipies ex illo *Schemate* bipartito, quod publicam in lucem protruſit, & in quo, doctrinæ Scholæ Thomiſticæ penitùs ignarus, hoc paradoxum probandum ſuſcepit, videlicèt ſententiam Thomiſtarum de Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam, poſſe nullo negotio conciliari cum Syſtemate Moliniſtarum. Hoc *Schema Vvychianum* non ſinè riſu & cachinnis legere potui, illudque, pro eo ac meretur, in mea ſuperiori Epiſtola, in qua Thomiſtarum ſententiam de gratuita Prædeſtinatione Electorum ad Gloriam fusè explanavi, diſpunxiſſem ac cribraſſem, niſi jam fuiſſet abundè & ſolidè confutatum ab erudito noſtro *Norberto Delbecquio*, olim noſtri Collegii Caſanatenſis Theologo, qui, perdocta lucubratione, in lucem edita, adversùs hunc ſingularem Molinianæ doctrinæ militem ſuccenturiatum, veram ac genuinam Thomiſta-

rum

rum ſententiam de prædeſtinatione gratuita electorum ad gloriam, & de ſincera voluntate Dei Antecedenti ſalvandi omnes omninò homines, egregiè vindicavit.

Vale, dilectiſſime Diſcipule, & ex his, quæ de Prædeſtinatione & Reprobatione diſſeruimus, colligere debes, ſic Deum conſulere hominum ſaluti, ratione quidem nobis inſcrutabili, ſed ut meliore non poſſit fieri, ſic velle ſuum beneficium à nobis ſentiri, ut inde nobis nihil poſſimus aſſerere ac vindicare; quid quid mali habemus, aut facimus id noſtris vitiis eſſe imputandum; quid quid verò eſt bonorum, ex Deo proficiſci omnia, velùt è fonte, per ipſum conferri velut Authorem, & in ipſo eſſe, velut in Domino munerum ſuorum, ut nullam hinc laudis portionem homo ſibi arrogare queat, cùm ad Deum pertineat & initium, & medium, & finis bonorum noſtrorum operum; cui uni ſubindè debetur honor, laus & gloria in omne ævum.

EPI-

EPISTOLA DECIMA ET ULTIMA:

In qua evincitur, Deum omnibus omninò hominibus præparaſſe, & offerre Gratias verè, & proximè ſufficientes, non in ſenſu Moliniſtico, ſed in ſenſu Thomiſtico acceptas, tametſi necdùm inter Theologos conſtet, an Deus ejuſmodi Gratias ſufficientes ſingulis, præſertìm obduratis & excæcatis, & Infidelibus, qui dicuntur negativi, largiatur?

POſtremam, quam ad me dediſti, Epiſtolam his verbis aùſpicaris: *Chriſtum Dominum, Salvatorem noſtrum, per mortem ſuam omnibus omninò reprobis præparaſſe, & quantùm in ſe eſt, offerre Gratias verè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, quæ dant veram, proximam, completam, & expeditam poteſtatem vincendi concupiſcentiam, refrænandi æſtuantes paſſiones, vitandi peccata, & ſalutem æternam conſequendi, jam probè compertum habeo ex duabus, quas ad me ſcripſiſti, Epiſtolis de morte, quam Chriſtus oppetiit pro ſalute æterna omnium, etiàm reproborum, nemine excepto. At, nunc alia, implexa ſatis, ſubit animum difficultas, utrùm videlicèt Chriſtus non ſolùm per mortem ſuam omnibus reprobis præparaverit, eiſque offerat ejuſmodi Gratias ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, verùm etiam illas reipſa conferat ſingulis reprobis, ſive parvulis, morientibus ſine baptiſmo, vel extinctis in utero materno; ſive obduratis, excæcatis, & Infidelibus; quos Theologi vocant negativos, quia nihil de Chriſto audierunt, eiſque necdum annunciata eſt Lex Evangelica. Hæc difficultas, ut ingenue dicam, crucem mihi figit propter diſcrepantiam & varietatem opinionum, in quas ſcinduntur Catholici Doctores. Alii quippè docent (ſicut nuperrimè didici à quodam Theologo, in materia de Gratia verſatiſſimo) Chriſtum ſuppeditare ſemper & omni tempore omnibus reprobis, etiam obduratis, excæcatis, & Infidelibus negativis actuales Gratias ſufficientes, in ſenſu Moliniano acceptas. Alii dicunt, peccatum, propriè & Theologicè dictum, nemini imputari poſſe niſi prævîſam habeat malitiæ peccati cognitionem, quæ datur à ſola Gratia ſufficienti, indèque inferunt, facta ſemel hypotheſi, quòd reprobi, qui dicuntur obdurati, excæcati, & Infideles negativi, omni auxilio ſufficienti eſſent deſtituti, (maximè dum urget obſervatio alicujus præcepti) peccatum, quod in illius præcepti tranſgreſſione committerent, non poſſe juſte illis imputari. Alii affirmant, obduratos, excæcatos, & Infideles, qui dicuntur negativi, nullas omninò Gratias ſufficientes ad ſalutem, ſive in ſenſu Thomiſtico, ſive in ſenſu Moliniano, intellectas recipere à Deo, etiam dùm inſtat præcepti obſervatio, peccatum tamen (quod violando præceptum) perpetrant, juſte ipſis imputari. Alii poſtremò volunt, reprobos, qui ſunt obdurati, excæcati, aut Infideles negativi, non recipere quidèm à Deo (etiam dùm urget aliquod præceptum) Gratias proximè ſufficientes,* in ſenſu Thomiſtico intellectas, recipere tamen à Deo Gratias *remotè ſufficientes ad ſalutem* in ſenſu Thomiſtico *acceptas, eoſque à peccato excuſari non poſſe, dum tranſgrediuntur præceptum.*

Has inter ſe diſcrepantes Catholicorum Theologorum opiniones, ſicut &

mo-

momenta, queis eas fulcire ſatagunt, poſtquàm in Epiſtola tua retuliſti, hæc feſtivè ac lepidè ſubdis *: Tot varias Theologorum opiniones, & ingentes, quas ſecum invehunt, difficultates, dùm tacitus mecum perpendo, video me eſſe ſimilem homini micanti in tenebris, vel hærenti ad aquas, & neſcienti quà vadum tentare debeat. Quocircà, obſecro te atque obteſtor* (ais mihi) *ut oberranti in tenebris facem præferas, auxiliarem manum porrigas atque digito mihi commonſtres, quam, citrà ullum erroris periculum, ſententiam tutiorem ac probabiliorem ſectari valeam.*

I. Implicatiſſimam, fateor, proponis difficultatem, quæ tangit incomprehenſibilia Dei judicia, per quæ Gratiam diſpenſat. Quò fit, ut eam ſobriè & cùm ſingulari moderatione attingere debeamus, ne ſapiamus pluſquàm oportet ſapere. Ut autem clariori, qua fieri poterit, methodo in hac dilucidanda, difficultate procedam omneſque tuos ſcrupulos eximam; tres præmittam obſervationes ad quas oportet ut ſeriò animum advertas.

In primis, præſtat ut ſedulò obſerves, duplex à Thomiſtis diſtingui auxilium ſufficiens, unum, quod appellant *remotum* & alterum, quod vocant *proximum*. Auxilium ſufficiens *remotum* dicitur illud (juxtà Thomiſtas) quod hominem reddit non quidèm proximè potentem & habilem ad aliquem perfectum & difficilem actum exerendum, illum tamen reddit in eo ſenſu potentem ut aliquem actum facilem elicere valeat, quem ſi (accedente auxilio per ſe efficaci, quod Deus ei offert) producat, Deus ei largietur auxilium, quod Thomiſtæ vocitant, *proximè ſufficiens*, cujus beneficio evadet homo proximè potens & habilis, ut actum difficilem operari queat, ita ut verè dici poſſit, hominem infidelem ideò carere auxilio *ſufficienti proximo*, quia propria ſua malitia reſiſtendo auxilio *ſufficienti remoto*, quod Deus ei confert indignum ſe præbet, qui recipiat à Deo auxilium *proximè ſufficiens*, non ſecùs ac (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis ſæpiùs inculcavi) Vir Chriſtianus, qui auxilio *proximè ſufficienti*, quo inſtructus eſt, propria ſua culpa ac malitia reluctatur, ejuſque impedit curſum, indignum ſe præſtat, cui Deus impertiatur Gratiam per ſe efficacem, cujus ope obſervaret Mandata Dei & abſtineret à peccato. Id totum duobus clariſſimis exemplis illuſtro.

Sit (exempli cauſa) aliquis infidelis, cui deeſt habitus Fidei, & nulla divinæ veritatis cognitione ſit inſtructus; is certiſſimè non habet auxilium proximè ſufficiens ad credendum, utpotè qui virtute Fidei eſt deſtitutus; at, ſi Deus in illius Infidelis corde bonam excitet cogitationem, piamque affectionem, qua ſui miſeram ſentiat conditionem, & ad implorandam Dei opem inſtigetur, jam intelligitur habere auxilium ſufficiens remotum ad Fidem, adeò ut ſi culpa ac malitia ſua huicce auxilio ſufficienti *remoto* reſiſtat ipſe ſolus in cauſa ſit, cur non recipiat à Deo auxilium proximè ſufficiens ad credendum. Similitèr, ſit aliquis peccator diuturna & inveterata peccatorum ac vitiorum conſuetudine conſtrictus, is, certè non habet auxilium proximè ſufficiens ad declinanda peccata, ad virtutes amore proſequendas & ad Deum ſuper omnia diligendum, immò ad hæc præſtanda meritò dicitur impotens, non quidèm impotentia abſoluta & phyſica; ſed impotentia morali, voluntaria & libera, quam ex diuturna peccandi conſuetudine contraxit (ſicut infrà copioſius exponam) hic tamen peccator, licèt deploratus, & in vitiorum voragine immerſus habere poteſt divinam inſpirationem, auxiliumque remotè ſufficiens, quod illum potentem reddat ad aliquem actum facilem producendum, quem ſi (cum auxilio per ſe efficaci, quod nunquàm excludi debet, quodque Deus ſemper paratus eſt ei dare) producat; Deus ei ſuppeditabit auxilium proximè ſufficiens, quo poſſit è miſero illo ſtatu emergere, & ad plenam, perfectamque converſionem pervenire, ita ut, ſi hic peccator culpa ac malitia ſua renitatur

huic

huic auxilio remotè ſufficienti, quod Deus ei confert, juſtè ſibi imputari debeat, quod Deus illi deneget auxilium proximè ſufficiens, quo poſſet ad plenam converſionem pervenire.

Hinc primò inferre debes, quod, ſicut auxilium remotè ſufficiens reddit hominem potentem & habilem ad aliquem actum facilem, ita auxilium ſufficiens proximum præſtat immediatè homini plenam boni operis faciendi poteſtatem.

Secundò, inferre debes, negari haud poſſe, Deum interdùm præbere Infidelibus Gratias ſaltèm *remotè ſufficientes*, cùm certum ſit, Catholicam Eccleſiam damnaſſe *Bajum*, *Janſenium*, & *Queſnellum*, quòd aſſererent, ***Fidem eſſe primam Gratiam, & antè Fidem nullam eſſe Gratiam***. Si ergò credere debeamus, Fidem non eſſe primam Gratiam, ſed aliquas Gratias actuales præcedere Fidem, profectò negari non poteſt, Infideles, qui carent Dono Fidei, donari tamen aliquandò Gratiis actualibus, ſaltèm remotè ſufficientibus ſive ad ſalutem, ſive ad vitandum peccatum, maximè dum urget obligatio præcepti; quibus Gratiis dùm ſua culpa reſiſtunt infideles, juſtè à Deo privantur Gratiis proximè ſufficientibus, & auxiliis per ſe efficacibus, neceſſariis ad actu credendum, & abſtinendum à peccato. Cùm verò Infideles (præventi tamen auxilio per ſe efficaci, quod Deus ex ſe paratus eſt dare) auxiliis remotè ſufficientibus non reſiſtunt, dat illis Deus auxilium proximè ſufficiens, quo poſſint proximè credere & benè operari, immò Deus ipſis non denegat auxilium per ſe efficax, quo actu bona opera ordinis naturalis moralia edant, ſicut, poſt *Gabrielem Vaſqueſium*, inſignem Societatis Jeſu Theologum, ſentiunt Cardinalis *Noriſius*, & noſter *Vincentius Contenſonus*, & alii Catholici Theologi, qui docent, Infideles, adjutos ſpeciali Gratia, ſeu auxilio efficaci, quod certè in his ſupponit auxilium tàm remotè quàm proximè ſufficiens, aliquandò elicere bona opera moralia, quæ ſunt ex omnibus circumſtantiis bona, & in hoc ſenſu damnant prædicti Theologi hanc in *Bajo*, *Janſenio*, & *Queſnello* confixam à Sede Apoſtolica Propoſitionem: ***Omnia Infidelium opera ſunt peccata***.

Præterea, velim obſerves, me nullam hìc de hominibus juſtis, qui Gratia Sanctificante ſunt exornati, inſtituere quæſtionem, quia in meis ſuperioribus Epiſtolis latè contra *Janſenium* ex Sacris Litteris, Summis Pontificibus, Conciliis & Patribus probavi, adeſſe juſtis Gratiam non tantùm remotè, ſed etiam proximè ſufficientem, qua ipſis præcepta Dei fiunt poſſibilia. Idem dicendum eſſe cenſeo de peccatoribus ordinariis, ideſt, qui non ſunt obdurati, & excæcati, & quos à Deo donari Gratia tàm remotè, quàm proximè ſufficienti, qua ſervare poſſint præceptum hìc & nunc obligans, communis eſt Theologorum opinio, cui meum calculum lubens adjicio. Ad ſolos ergò inſigniores peccatores, qui dicuntur obdurati, & excæcati, vel ad Infideles, qui non credunt Evangelio, tametſi fuerit apud illos prædicatum, vel denique ad Infideles, qui dicuntur *negativi*, quòd de Chriſto & de Evangelio nihil adhùc audierunt, præſens hæc noſtra devolvitur difficultas, quæ in hoc ſita eſt, utrùm Deus illis deneget omnem Gratiam tàm proximè, quàm remotè ſufficientem, qua obſervare poſſint præcepta hìc & nunc obligantia, & vincere ingruentem tentationem.

Poſtremò obſervare debes, me hìc, tanquàm omninò in Schola Thomiſtica certum & indubitatum, ſupponere, Deum nec juſtis, nec reprobis offerre, aut conferre Gratias ſufficientes, in ſenſu Moliniano acceptas, quæ videlicèt ſint verſatiles, indifferentes, ſubditæ libero hominis arbitrio, evadantque efficaces, aut inefficaces per conſenſum vel diſſenſum voluntatis creatæ; id, inquam, tanquàm certum ſuppono, quia (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis palàm feci) Gratia ſufficiens, in ſenſu moliniano intellecta, planè chymerica

merica eſt, quæ in rerum natura nunquàm extitit, id eſt, tàm in ſtatu naturæ innocentis, quàm in ſtatu naturæ lapſæ, & cujus nullum vel minimum extat veſtigium in Operibus Sanctorum Patrum, præſertìm *Auguſtini*, & *Thomæ*; in Conſtitutionibus Summorum Pontificum, in Decretis & definitionibus Conciliorum, potiſſimùm Concilii Tridentini, ac denique in Libris antiquorum Theologorum. Apage ergò penitùs Gratiam ſufficientem in hoc Moliniano ſenſu intellectam, de qua impræſentiarum nullam prorsùs mentionem habere volo, ſed tantummodò de Gratia tàm remotè, quàm proximè ſufficienti, quæ (juxtà verum ac germanum Thomiſtarum ſenſum) dat quidèm in ordine ſupernaturali potentiam benè operandi, præter quam tamen ad actu benè operandum alia Gratia neceſſaria eſt, ſeu Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax.

II. His præmiſſis Obſervationibus, nunc me accingo ad præſentem elucidandam graviſſimam iſtam difficultatem, quæ bifariàm agitari poteſt. Primò, an non tantùm Chriſtus Dominus per mortem ſuam præpararit (quantum eſt ex ſe) & offerat auxilia verè ſufficientia in ordine ad ſalutem omnibus omninò hominibus, verùm etiam ea reprobis actu elargiatur? Secundò, an reprobi recipiant à Deo Gratias ſufficientes ad vitandum hìc & nunc peccatum, & ad præceptum implendum, cùm obligat? De iſto dumtaxàt ſecundo modo, quo hæc quæſtio ventilari poteſt, in præſentia agam, nam de priori modo ſat ſuperque diſſerui in duabus ſuperioribus Epiſtolis, quas de morte Chriſti, Salvatoris noſtri, jam ad te ſcripſi, in quibus oſtendi, Chriſtum ſincera voluntate antecedenti offerre omnibus, & ſingulis hominibus Gratias verè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, ita ut illi, qui eas non recipiunt, culpa illorum ſit, quippè qui propria culpa ſua & malitia, vitiis ſuis, cupiditatibus & ignorantiis irretiti, obicem ponunt receptioni Gratiæ ſufficientis, & (ſicut ait Scriptura) *rebelles ſunt lumini*; ac dicunt Deo: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*, exceptis tamen parvulis, qui moriuntur antè ſuſceptionem Baptiſmi, quibus licèt Deus voluntate antecedenti offerat auxilium verè ſufficiens in ordine ad ſalutem, videlicèt baptiſmum, non vult tamen voluntate conſequenti hanc ipſis impertiri Gratiam, non quòd illi ob præcedentem aliquam actualem culpam receptioni hujus Gratiæ, ſeu ſuſceptioni obicem, & impedimentum poſuerint (talis enim culpæ capaces non ſunt ejuſmodi parvuli) ſed proptèr peccatum originale, quod, cùm per baptiſmum non ſit eis remiſſum, eſt motivum ſufficiens eorum reprobationis, & in cauſa eſt, cùr Deus velit voluntate conſequenti, ut baptiſmus eis non conferatur, ſicut diſertè docet *S. Auguſtinus* his verbis: *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui eum puerum in hac vita non tenuit, ut daretur*, cap. 12. Lib. *De Dono Perſeverantiæ*.

Dico igitur primò, *pueros Infidelium ante rationis uſum ex hac vita decedentes, nec non pueros fidelium, qui pereunt vel in utero matris, vel tali caſu, ut nulla ope humana iis baptiſmus adminiſtrari poſſit; deſtitui in pœnam peccati originalis auxilio ſufficienti ad ſalutem*.

In hoc conſentiunt omnes Theologi, paucis tamen exceptis, qui, tanquàm probabile cenſuerunt, pueros fidelium, quibus nulla ope humana baptiſmus conferri poteſt, ſalvari poſſe per Fidem parentum, ſeu per baptiſmum in voto, non quidem ſuo, ſed parentum. Sed hæc opinio nullum prorsùs habet in Sacris Litteris fundamentum, nec conſentanea eſt Traditioni Eccleſiæ Catholicæ, quæ conſtantèr ſemper docuit, hominibus quidèm adultis votum proprium ſuſcipiendi baptiſmum, quandò illum actu ſuſcipiendi copia non ſuppetit, ſufficere ad ſalutem; non tamen unquàm ſenſit, votum alienum, ſeu parentum, ſufficere parvulis ad ſalutem, id, inquam, à ſæculis inauditum

eſt in Eccleſia. Hinc, cùm hanc novam & peregrinam opinionem ſubtilis noſter *Cajetanus* in ſuis Commentariis inſeruiſſet, juſſu Summi Pontificis S. Pii V. in editione Romana Operum *S. Thomæ* fuit expuncta, adeò ut mirum ſit, noſtrum *Ludovicum Bancellum*, Theologum alioquì doctiſſimum, in eumdem impegiſſe ſcopulum in eo, quem edidit, *Curſu Theologico*.

Huic opinioni affinis eſt ſententia *Vegæ*, inſignis Theologi Ordinis *S. Franciſci*, Academiæ Salmanticenſis Profeſſoris, qui in ſuis Commentariis ſuper Concilio Tridentino lib. 15. cap. 16. cenſet, pueris in utero materno exiſtentibus non deeſſe omninò auxilium ſufficiens ad ſalutem, non quòd citrà baptiſmum actu collatum ſalvari poſſint, ſed quia preces parentum & aliorum juſtorum ità apud Deum valere poſſunt, ut pueri, qui in utero materno morituri erant ſine baptiſmo, ſupervivant, quouſque ſacro baptiſmi lavacro fuerint abluti. Sed huic ſententiæ nec Scriptura Sacra, nec traditio Eccleſiæ ſuffragatur.

Non defuerunt etiam alii Theologi, qui exiſtimarunt, parvulis, in utero materno periclitantibus, adeſſe auxilium ſufficiens ad ſalutem, quatenùs ablutio baptiſmatis, qua corpus matris lavatur, ad filium in utero exiſtentem, pervenit. Sed hæc opinio omni probabilitate caret, primò, quia (ſicut docet *S. Thomas* 3. part. Quæſt. 68. Art. 11.) regenerari & renaſci nemo poteſt, niſi primò naſcatur, cùm itaque baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, nullus regenerari poteſt priuſquàm ex utero naſcatur, prodeatque in lucem. Hanc rationem hauſit S. ille Doctor ex *S. Auguſtino* in Epiſtola 187 aliàs 57. ad *Dardanum*. Secundò (ait Doctor Angelicus) baptiſmatis aqua, qua perfunditur mater, ad filium, in utero exiſtentem, pervenire haud poteſt; tum quia anima pueri, ad cujus Sanctificationem ordinatur baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris: Tum quia etiam corpus pueri animati jam eſt formatum, adeòque à corpore matris diſtinctum; & ideò baptiſmus, quo corpus matris abluitur, non redundat in prolem, in utero matris exiſtentem. Hanc rationem deprompſit itidèm *S. Thomas*, ex *S. Auguſtino*, qui lib. 6. contrà *Julianum*, Pelagianum, cap. 5. hæc habet: *Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertinet, ita ut pars ejus reputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt aliquo urgente mortis articulo, cùm eum geſtaret in utero: nunc vero, cùm ipſe etiam baptizetur, non utique ad maternum corpus, cùm eſſet in utero, pertinebat*. Eadem Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina ſtabilitur in canone *Qui in maternis*, ſumpto ex *S. Iſidoro*, lib. I. *Sententiarum*, cap. 24. in canone *Si ad matris*, & in canone *Si qua mulier* Diſtinct. 4. *De Conſecratione*.

III. His rationibus abundè confutata manet quædam Diſſertatio, quam nuperrimè adornavit *Hieronymus Florentinius*, Clericus Regularis Congregationis Matris Dei, & cui hic titulus eſt: *Diſputatio de miniſtrando baptiſmo humanis fœtibus Abortivorum*, in qua non rationibus Theologicis, ſed argumentis phyſicis, anatomicis, aliiſque id genus conjecturis probandum ſuſcipit, parvulis, in utero matris de vita periclitantibus, adeſſe auxilium ſufficiens ad ſalutem, quatenùs videlicèt aliquis, ope ſiphonis, ea arte & induſtria (ſicut à pharmacopolis, in dandis Clyſteribus, fieri ſolenne eſt) poteſt aquam ſiphone incluſam premere, & ita extrudere, ut ipſa ad corpus pueri, in utero matris exiſtentis, perveniat, illudque abluat, dùm eodem tempore, ille, qui hoc ſiphone utitur, profert verba, quibus conſtituitur forma Sacramenti baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; atque hoc pacto puer, in utero matris exiſtens, baptiſmum percipiat.

Profectò, ejuſmodi argutias & commenta, quæ quidam Theologi, mentem habentes paſtam chymeris, proprio marte excogitarunt, ut ſuadere poſſent, adeſſe parvulis, in utero matris exiſtentibus, aliquod auxilium ſufficiens ad ſalutem, dùm tacitus mecum

per-

perpendo, non poſſum (ut ingenuè fatear) quin uſurpem verba Eminentiſſimi, juxta ac doctiſſimi Cardinalis *de Laurea*, qui ſub finem Articuli 7. diſputationis 27. *De ſtatu Parvulorum morientium abſque baptiſmo*, refellens novellas opiniones aliquot Theologorum, qui ejuſmodi parvulos, ex hac vita ſine baptiſmo migrantes, negabant eſſe damnatos, eoſque aliqua beatitudine naturali potiri pertendebant, tales, inquam, Theologos his verbis ſuggillat ac perſtringit, dicens: *Quod dicunt noſtri moderni, hùc uſque cenſeo inane, novum & ridiculum: nempè de ſtatione, habitaculo & deambulatione ſuper terram*(dicam ipſe de auxilio ſufficienti ad ſalutem, quod adeſſe parvulis, in utero materno exiſtentibus, dictitant quidam recentes Theologi) *unde id habent? Quis eis revelavit? . . . . . Ideò non poſſum in conſcientia, ab hac, quam puto veram, ſententia recedere; niſi aliud me doceat Sancta Mater Eccleſia, cujus magiſterio innoteſcit Principatibus & Poteſtatibus multiformis gratia Dei*.

Sed (inquis in Epiſtola, quam ad me ſcripſiſti) *quid ergò? Deus parvulis morientibus ſine baptiſmo, vel extinctis in utero materno denegabit omne auxilium ſufficiens ad ſalutem, & tamen illos puniet æterna pæna damni, eos videlicèt excludendo à Regno Cælorum, ſeu à Gloria æterna, nullaque beatitudine, etiam naturali, ipſos donando? Hæc certè ſententia videtur mihi paulò durior & inclementior: quantò meliùs (ſicut nuperrimè dicebat mihi vir quidam eruditus) cenſet Ludovicus Molina in ſua* CONCORDIA, *quæſt.* 23. *Art.* 4. & 5 *Membro* 9. *ubi loquens de ſtatu parvulorum decedentium abſque baptiſmo, hæc habet: Parvuli reprobati perindè ſe habent, ac ſi in ſolis naturalibus fuiſſent conſtituti: imò poſt diem judicii, cùm ipſorum animæ ſuis fuerint corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubjacemus, ſupernaturalitèr liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omnis mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquàm mortalium duxerit. Hanc benignam Molinæ ſententiam ſectantur (ſicut mihi narrabat idem vir eruditus) plerique Theologi, quorum unus, inſtar omnium, haberi debet Cardinalis Cæleſtinus Sfondratus in ſuo libro, cui titulus eſt*: Nodus Prædeſtinationis diſſolutus.

Papæ! placent tibi (ut video) meliores ac benigniores Theologorum ſententiæ. Sed cave, ne infelicem habeas ſortem, quam, proh dolor! nacti ſunt moderni quidam Theologi, qui erga peccatores nimiùm indulgentes, commenti ſunt certas quaſdam mitiores & laxiores ſententias, quas, tanquàm ſaluti animarum omninò pernicioſas, jure optimo proſcripſit Sancta Mater Eccleſia. Dicas ergò, quantùm volueris ſententiam *Molinæ*, & *Celeſtini Sfondrati* de ſtatu parvulorum decedentium abſque baptiſmo, eſſe mitiſſimam, atque benigniſſimam; ego conſtanter tibi reponam, hanc opinionem eſſe falſam, & Sanctorum Patrum Traditioni contrariam.

Nec alium noſtræ controverſiæ (ut brevitati conſulam) impræſentiarum judicem & arbitrum volo, quàm *Robertum Bellarminum*, inſignem Societatis Jeſu Theologum, qui lib. 6. *de ſtatu peccati*, qui & tertius eſt *de peccato Originali*, hæc capite primo docet: *Altera ſententia paulò quidèm minùs liberalis, ſed tamen valdè mitis, fuit illorum, qui parvulos non baptizatos excludebant à Regno Cælorum, & à vita beata, Sanctis promiſſa; tamen eis dabant vitam æternam & naturalem beatitudinem, ſine ulla moleſtia aut dolore, extra regnum beatorum, & procùl à carcere damnatorum; hoc eſt in loco medio inter gehennam & Cælum, qualis locus vix fingi poteſt alius, quàm terræ convexum. Ita ſenſiſſe olim Pelagianos docet S. Auguſtinus in libro de Hæreſibus cap.* 8. Nam, *inquit*, etiamſi non baptizentur (parvuli) promittunt eis, extrà Regnum quidèm Dei, ſed tamen æternam & beatam quamdam vitam. *Quòd autem per Regnum Dei intelligat Auguſtinus non ſolùm domum cæleſtem, ſed etiam viſionem Dei; & quòd Pelagiani non promiſerint*

parvulis non baptizatis vitam æternam ſupernaturalem, quæ conſiſtit in viſione Dei, ſed ſolùm vitam æternam, ſive beatitudinem naturalem, perſpicuum eſt ex libro V. in Julianum cap. 8. ubi, Auguſtino teſte, Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos à vita Dei, cùm alienarent à Regno Dei. Quid eſt autem vita Dei, niſi viſio Dei? Sed neque Regnum Cælorum in ſcripturis aliud ſignificat, niſi felicitatem æternam, quæ in Dei viſione conſiſtit . . . . . itaque Pelagiani non vitam æternam ſimpliciter, ſed, ut Auguſtinus loquitur, quamdam ſuam vitam infantibus non baptizatis promittebant. Ad quem errorem proximè acceſſiſſe videtur Ambroſius Catharinus in libro de ſtatu parvulorum decedentium ſine baptiſmo, Albertus Pighius in prima Controverſia, & Hieronymus Savonarola in libro de Triumpho Crucis. Docent enim, infantes, ſine baptiſmo morientes futuros poſt judicium beatos naturali beatitudine, & in quodam veluti paradiſo terreſtri, perpetuò feliciterque victuros.

Viden, dilectiſſime diſcipule, Cardinalem *Bellarminum* (cujus judicio de ſtatu parvulorum decedentium ſine baptiſmo firmiter adhærent duo alii doctiſſimi Cardinales, videlicet *Laurentius de Lauræa* loco mox à me laudato, & *Henricus Noriſius* in ſuis *Vindiciis Auguſtinianis*) hanc ſententiam de ſtatu parvulorum, decedentium abſque baptiſmo, quam tu *mitem* & *benignam* appellas, reprobare non ſolùm tanquàm falſam, ſed (ut ipſemet ait initio capitis ſecundi ejuſdem libri) velut *hæreticam*; *quia* (inquit) *de Fide Catholica tenendum eſt pueros, ſine baptiſmo decedentes, eſſe abſolutè damnatos, & non ſola cæleſti, ſed etiam naturali beatitudine carituros.* Quid, quæſo te, clariùs aut expreſſiùs dici poteſt? nec certè mirari debes quòd doctiſſimus ille Cardinalis Bellarminus cæteris hujus Aſſertoribus erroris *Ludovicum Molinam* non accenſuerit; id, inquam, mirari non debes, quia necdùm vulgatus erat CONCORDIÆ liber (in quo *Molina* hunc errorem apertè docet) quandò Cardinalis *Bellarminus* ſuum Controverſiarum Opus jam abſolverat.

In hoc igitur, quod ais in Epiſtola tua, te in illam mitem & benignam opinionem, quam, de ſtatu parvulorum, decedentium abſque baptiſmo, excogitavit *Ludovicus Molina*, quamque noſtris temporibus recoxit *Cæleſtinus Sfondratus*, haùd parùm propendere, in hoc certè te non laudo, quià hæc opinio ab omnibus Orthodoxis Theologis reprobatur. In hoc tamen te laudo, quòd in eadem Epiſtola mihi ſignifices, probari tibi nullo pacto poſſe alteram ſententiam, quam idem *Nodi Prædeſtinationis* Diſſolutor in gratiam Infidelium, & barbararum gentium, quas ſupponit invincibili, ſubindeque inculpabili laborare ignorantia exiſtentiæ Dei, tradit pag. 152. ſui libri. Sic enim (ais) ſcribit ille Auctor: *Demus barbaras gentes ità Deum ignoraſſe: id quoque magna beneficii & gratiæ pars fuit. Cùm enim peccatum ſit eſſentialiter offenſio & injuria Dei, ſublata Dei cognitione neceſſariò ſequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pænam eſſe. Ergò cum hac ignorantia impeccabiles redderentur, alioquin certiſſimè peccaturi, ſi agnoſcerent, ſequitur hoc ipſum beneficium eſſe. Ergò ſive barbari agnoſcant, ſicque invocare illum & ſalutem conſequi poſſint, ſive penitùs ignorent, & ideo nec poſſint peccare, ſemper verum erit, nec illis miſericordiam deeſſe.*

Hanc Diſſolutoris *Nodi Prædeſtinationis* opinionem, ais, te multis nominibus improbare. Primò, quia conſtans eſt omnium Theologorum ſententia, non dari ignorantiam Dei involuntariam & inculpabilem, quæ excuſet à peccato, ſed voluntariam dumtaxàt & culpabilem, quæ neminem à peccato reddit immunem. Secundò, quia dogma Fidei eſt, Fidem in Chriſtum Mediatorem ità omni ævo eſſe ad ſalutem neceſſariam neceſſitate medii, ut qui ea, moriendo, ſunt deſtituti, æternis pænis addicantur. Porrò, Infideles & barbaræ Gentes Fide in Chriſtum Mediatorem carent. Tertiò, ex ea opinione Infideles redduntur à peccato immunes & impeccabiles, quos (portenta licèt

licèt libidinum conſectantes) Deus tanta gratia, hoc eſt, cæcitate mentis, & ſui ignoratione donaverit, ſicut optimè obſervant quinque illuſtriſſimi Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi in Epiſtola, quam 7. Kal. Martii anni MDCXCVII. ad INNOCENTIUM XII. ſcripſerunt, quamque te nuper legiſſe declaras. Poſtremò, ais, quòd ſi peccata Infidelium, qui ignorant Deum, non promererentur pænam æternam, aſſignandus eſſet aliquis medius locus, ab Inferno & Paradiſo omninò diſtinctus, & in perpetuum duraturus, in quo ejuſmodi Infideles poſt mortem reciperentur. Hujus autem medii loci nullum in Sacra Scriptura extat veſtigium, cum Chriſtus venturus ad judicandum homines dicturus ſit Electis, qui erunt ad ejus dexteram conſtituti: *Venite benedicti patris mei, percipite Regnum &c.* Reprobis verò, qui erunt ad ſiniſtram collocati, imprecaturus ſit his verbis: *Ite maledicti in ignem æternum &c.* Tertium locum, quæſivi (ut lepide ais) ſed non inveni.

Hæc momenta, quibus te à nova iſta Nodi Prædeſtinationis Diſſolutoris opinione omninò alienum prodis, dum in tua Epiſtola perlegi, ſum lubentiſſimè deoſculatus, certamque concepi ſpem, fore ut aliam ejuſdem Auctoris de ſtatu parvulorum, decedentium abſque baptiſmo, ſententiam procùl à te abjicias. Quod quidèm ut faciliùs ac promptiùs præſtare valeas, tuis oculis hìc ſubjiciam aliquot propoſitiones, quæ, circà ſtatum parvulorum morientium, velùt totidèm paradoxa in ſana Theologia, paſſim leguntur in hocce *Nodi Prædeſtinationis diſſoluti* libro, quibus (ut certiſſimè confido) tuum nunquàm præbebis aſſenſum, & quas hìc retuliſſe, abundè confutaſſe eſt.

Prima Propoſitio, quæ extat in libro *Nodi Prædeſtinationis diſſoluti* pag. 98. 114. & 118. hæc eſt: *Parvulus ſolo peccato originali detentus, & ita ex hoc Mundo ſublatus, nec Deum deſeruiſſe dici poteſt, nec à Deo deſertus; nec demùm perit, nec damnatur.*

Altera Propoſitio, quæ legitur in eodem libro pag. 114. 119. 120. 164. iſta eſt: *Parvuli non abluti, culpam non habent, immò illibatam habent innocentiam perſonalem.*

Tertia Propoſitio, quæ legitur in eodem libro, pag. 48. & 118. his verbis concepta eſt: *Parvulis ſine peccato ſublatis reſervatur in altera vita bona aliqua compenſatio pænarum, quas in præſenti patiuntur: quarè nec excluduntur à felicitate naturali.*

Quarta Propoſitio, quæ legitur in eodem libro pag. 48. 120. 164. hæc eſt: *Parvuli ſalutari lavacro non abluti eo beneficio donantur in altera vita, quod & cæleſti felicitati anteponendum eſt: nemoque prudens fuerit, qui ſtatum illorum, ſi daretur optio, non anteponere ſuo, cæloque præferret.*

Quinta Propoſitio, quæ colligitur ex pagin. 164. ejuſdem libri, iſta eſt: *S. Auguſtinus alitèr quidèm de puerorum ſorte pronunciaſſet: at nequaquàm nobis ſublata libertas eſt nova Syſtemata procudendi, cùm novis jam armis utendum ſit ad Calviniſtas & Janſenianos debellandos.*

Has novas & peregrinas Nodi Prædeſtinationis diſſolutoris Propoſitiones penitùs rejicere debes, nec dubitare, quin parvuli, decedentes abſque baptiſmo, ſint damnati, ac nulla beatitudine naturali perfruantur. Cæterùm, an præter pænam damni, patiantur pænam ſenſus, ſeu ignis, tametſi mitiſſimam? ita ſentiunt multi viri eruditi, quorum ſententiam probabilem eſſe cenſeo; tametſi ipſe probabilius cum Doctore Angelico, & tota Schola Thomiſtica exiſtimem, parvulos, decedentes abſque baptiſmo, æternùm quidèm eſſe damnatos, plecti pæna damni, & omni felicitate tàm ſupernaturali, quàm naturali, privari; illos tamen non torqueri pæna ſenſus, ſeu pæna ignis, etiam mitiſſima, ſicut copiosè ſatis memini jam me oſtendiſſe in Paragrapho ſecundo Diſſertationis vigeſimæ primæ *Tractatus de Myſteriis & annis Chriſti Salvatoris Noſtri*, quem Romæ anno MDCCXXIV. ſecundis curis adornavi.

IV. Venio nunc ad quatuor præcipuas, quas in Epiſtola tua proponis, difficultates graviſſimas, quas pro ingenii mei modulo explanandas aggredior. In primis quæris, an Infidelibus, qui dicuntur *poſitivi*, Deus pro loco & tempore conferat gratias actuales vel proximè vel ſaltèm remotè ſufficientes, quarum ope poſſint adimplere præcepta legis naturæ, & ſe convertere ad Deum? Prætereà, quæris, an peccatores, qui dicuntur obdurati & excæcati, ſint, urgente præcepto, deſtituti omni Gratia tam proximè quam remotè ſufficienti? Tertiò quæris, an facta hypotheſi, quòd peccatores obdurati & excæcati (etiam dum inſtat obligatio præcepti) careant omninò Gratia tam proximè, quàm remotè ſufficienti, debeant ipſis imputari peccata, quæ committunt tranſgrediendo legem? Quæris denique, an Infideles, qui appellantur *negativi* (quòd De Chriſto nihil unquàm audierunt) recipiant Gratias actuales, ſivè proximè, ſive remotè ſufficientes, quarum beneficio poſſint adimplere præcepta legis naturæ, ſeſeque convertere ad Deum? Has quatuor difficultates brevitate, quoad fieri poterit, cum claritate conjuncta explicabo, poſtquàm præmiſero Obſervationem ſummè neceſſariam, ex qua pendet facilis ac perſpicua harumce difficultatum dilucidatio.

Obſervare itaque debes, Gratiam, ſivè remotè, ſive proximè ſufficientem (ſicut ſuperiùs expoſui) ſitam eſſe in pia cogitatione, quæ illuſtrat intellectum, & in affectione, ſeu motione, quæ vel remotè, vel proximè excitat voluntatem ad benè operandum, eique confert potentiam aut remotam, aut proximam benè operandi. Hoc autem ſemel poſito, quod eſt in confeſſo apud omnes Orthodoxos Theologos, pertendunt Moliniſtæ, Deum omnibus omninò hominibus non ſolùm offerre, verùm etiam promiſcuè conferre Gratias ſufficientes, in ſenſu moliniſtico intellectas, quæ per ſolum conſenſum, & bonam liberi arbitrii determinationem redduntur efficaces. Aſſerunt etiam Moliniſtæ, quòd ſi eſſent aliqui homines, quibus Deus Gratiam illam Moliniſticè ſufficientem denegaret, peccata, quæ committerent, tranſgrediendo præcepta, non deberent illis juſtè imputari, quia, deſtituti Gratia ſufficienti Moliniſtica, verſarentur in neceſſitate peccandi, & in ignorantia invincibili malitiæ peccati; neceſſitatem autem peccandi, & ignorantiam invincibilem excuſare à peccato, nemo catholicus inficias ire poteſt.

At iſta Moliniſtarum ſententia falſa (ut mox oſtendam) nititur ſuppoſitione. Supponit quippè primò, hominibus, qui, in pœnam ſuorum præcedentium peccatorum, præviam non habent notitiam malitiæ peccati, juſtè non poſſe peccata imputari, quam certè Moliniſtarum ſuppoſitionem falſam eſſe, latiſſimam aperire viam ad laxitatem morum, & ad excuſandas excuſationes in peccati, ſubindèque jure optimo fuiſſe proſcriptam, mox invictis (ni meus me fallit animus) momentis demonſtrabo. Falsò itidèm ſupponit hæc Moliniſtarum ſententia, homines, qui, in pœnam præcedentium peccatorum, deſtituti ſunt Gratia ſufficienti, adeòque non ampliùs ſentiunt bonas cogitationes in intellectu, & pias affectiones in voluntate, laborare ignorantia invincibili malitiæ peccati, quæ illos excuſet à formali & propriè dicto peccato. Hanc autem alteram Moliniſtarum ſuppoſitionem falſam pariter eſſe, eamque apertè munire viam ad errorem de *peccato Philoſophico*, ab ALEXANDRO VIII. Pontifice Maximo, damnatum, pro viribus evincere ſatagam.

Sed quemadmodùm non mihi probatur hæc laxior Moliniſtarum ſententia, ita deteſtor horridum dogma *Janſenii*, qui aſſerere auſus eſt, neceſſitatem peccandi, & ignorantiam invincibilem in ſtatu naturæ lapſæ non excuſare à peccato, quia (inquit) licèt homini in ſtatu naturæ lapſæ liberum non ſit abſtinere à peccato, & ſuperare ignorantiam invincibilem, fuit tamen liberum in Adamo. Hoc execrabile dogma, ne

Jan-

Digitized by Google

Janſenio gratis affingere videar, ipſiſſima ipſius verba, quæ leguntur capit. 4. lib. 2. *De ſtatu naturæ puræ*, hìc exſcribam: *Sed hìc* (inquit Janſenius) *gigantea occurrit moles, & , ut videbitur, nodus indiſſolubilis, quì fieri poſſit, ut ex invincibili ignorantia peccatum poſſit proficiſci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque ſcit, neque ſcire potuit, neque voluntate ſua, ſive volente, ſive torpeſcente, talis ignorantiæ cauſam dedit? hujuſmodi enim peccata jam non erunt nequidèm voluntaria, quod ad peccati rationem omninò neceſſarium eſt, ſed neceſſaria: Et quis credat tale portentum potuiſſe doctiſſimum ſanctiſſimumque virum* (Auguſtinum) *docere? Si te, benigne Lector, iſta difficultas fortaſſe movet, profectò movet & me; non tamen itaut vel dubitem, doctrinam illam Auguſtinum tradidiſſe, vel in ea tradendo fluctuaſſe, vel hallucinatum fuiſſe; ſed potiùs ut obſtupeſcam, & exhorreſcam profunditatem judiciorum Dei. Certiſſimum eſt enim, hoc Auguſtinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæſtinum, ſine ulla fluctuatione, ut rem in Catholica Eccleſia extrà omnem controverſiam, tanquàm in ſcripturis traditam, docuiſſe; rectè an ſecùs, pietas noſtra in dubium revocare non ſinit, ne eadem opera victoriæ quoque veritatem & æquitatem, qua de Pelagiana hæreſi triumphatum eſt, in dubium revocemus. Quæcumque hìc nos movent rationes, humanæ, ſed plerùmque vana terriculamenta ſunt; hæc munimenta divina ſunt.* Sic *Janſenius*, ſimilis homini, qui colat culicem & deglutit camelum, de induſtria ſimulat, ſe tremula manu hæc ſcribere, dùm tamen ibidem impium illum errorem totis ingenii ſui viribus defendere, atque Sanctis Patribus *Auguſtino*, *Hieronymo*, & Concilio Palæſtino tribuere non veretur.

Hac præmiſſa obſervatione, præſtat ut, abjecta omni mora, eas, quas in Epiſtola tua propoſuiſti, difficultates exponam, ſicque Moliniſtas inter & Janſeniſtas, qui, in eodem pertractando argumento, ad extrema deflectunt; media via incedam, ut, declinando errorem *Janſenii*, non incidam (quod Deus avertat) in laxiorem Moliniſtarum ſententiam.

Dico itaque Secundò, *Deum non tantùm offerre voluntate antecedenti peccatoribus obduratis & excæcatis Gratias verè in ſenſu Thomiſtico ſufficientes ad ſalutem, ſed etiam illis* (*antequàm in hunc deploratiſſimum obdurationis & cæcitatis ſtatum decidant*) *reverà conferre Gratias tam remotè, quàm proximè ſufficientes, quibus tamen cùm illi propria ſua culpa ac malitia reſiſtant, juſto tandèm Dei judicio, in pœnam præcedentium peccatorum, privantur* (*quamdiù in hoc obdurationis ſtatu permanent*) *omni Gratia tam proximè, quàm remotè ſufficienti.*

Et primò quidèm, Deum omnibus & ſingulis hominibus voluntate generali & antecedenti præparare & offerre Gratias actuales tàm remotè, quàm proximè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, quas ex ſe paratus eſt conferre, eaſque his, dumtaxàt denegat, qui propria ſua malitia & culpa earum receptioni obicem ponunt, jam prolixè ſatis oſtendi in duabus, quas ad te ſcripſi, Epiſtolis, quæque in ſecunda Epiſtolarum mearum Claſſe ſunt ſeptima & octava. Quapropter in hoc Argumento probando diutiùs hìc non immorabor, ſed tantùm obitèr advertam, id, ſecundùm Sanctos *Auguſtinum* & *Thomam*, inter homines damnatos, & homines, qui adhuc in via ſunt, in peccatis obdurati, obſtinati & excæcati, intereſſe diſcriminis, quòd Deus damnatis nec præparet, nec offerat Gratias verè ſufficientes ad ſalutem; Peccatoribus verò, qui adhùc ſunt in via, licet ſint obſtinati, obdurati, & excæcati, ſempèr offerat Gratias verè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico, quas tamen ideò actu & intrinſecè non recipiunt, quia ipſimet ejuſmodi Gratiarum receptioni propria ſua obſtinatione impedimentum ponunt.

Et in hoc ſenſu intelligendi veniunt *Sanctus Auguſtinus*, & *S. Thomas*, quorum prior Enarratione in Pſalm. 6. explicando hæc verba Epiſtolæ *Pauli* ad Ro-

Romanos Cap. I. *Dedit illos in reprobum ſenſum*, ait: *Ea eſt cæcitas mentis. In eam quiſque datus fuerit*, AB INTERIORI LUCE SECLUDITUR, *ſed nondùm penitùs cùm in hac vita eſt*. Quibus verbis innuit *S. Auguſtinus*, Peccatores, qui, adhùc in via exiſtentes, ſunt in malo obdurati, & excæcati, eſſe quidèm *ab interiori luce ſecluſos*, ideſt, quamdiù ſunt in ſtatu obdurationis, privatos eſſe omni Gratia tàm remotè, quàm proximè ſufficienti, *ſed nondùm penitùs cùm in hac vita ſunt*, quia Deus, peccatoribus obduratis, & excæcatis (quamdiù ſunt in hac mortali vita) ſemper offert Gratias ſufficientes ad ſalutem, quas ipſi propria ſua malitia recipere nolunt. Quod certè Deus non facit ergà damnatos, quibus nec confert, nec offert Gratias ſufficientes ad ſalutem.

Hinc *S. Auguſtinus* Tractatu 53. *In Joannem* explicando hæc verba: *Propterà non poterant credere, quia hoc Iſaias Propheta prædixit*, ſic loquitur: *Hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quarè autem non poterant credere, ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant: malam quippè eorum voluntatem prævidit Deus*. Quibus verbis Sanctus ille Doctor impotentiam credendi (qua laborabant Judæi) refundit in ipſam Judæorum malam voluntatem, qua Gratiam ſufficientem, ſibi à Deo oblatam, tametſi non intrinſecè receptam, propria ſua culpa ac malitia rejecerunt. Quemadmodùm igitur ex *S. Auguſtino* culpabiles fuerunt Judæi, quia oblatam ſibi à Deo Gratiam ſufficientem, qua credere potuiſſent, propria ſua obſtinatione recipere noluerunt, ità peccatorum obduratorum & excæcatorum vitio ac culpæ verti debet, quòd non poſſint benè operari, quia ipſimet, rejicientes ac pervicacitèr recipere nolentes Gratias ſufficientes, quas Deus voluntate antecedenti ſemper illis offert, ſibi ſponté ac liberè accerſiverunt illam benè operandi impotentiam, quæ (ſicut mox oſtendam) non eſt abſoluta & phyſica & involuntaria, quæ (ut docent omnes Theologi) excuſat à peccato; ſed eſt tantummodò benè operandi impotentia moralis, conſequens, & voluntaria, profecta videlicèt ex diuturna & inveterata peccandi conſuetudine, in qua callum obduxerunt.

Addo etiam, culpabiles eſſe peccatores obduratos & excæcatos, & in hoc potiſſimùm diſtingui à damnatis, quòd Deus nunquàm conferat damnatis Gratias ſivè remotè ſivè proximè ſufficientes ad ſalutem; at verò Deus peccatoribus (quamdiù ſunt in hac vita mortali) antequàm propria ſua culpa ac malitia obdurati & excæcati evadant, confert illis aliquandò Gratias non tantùm remotè, ſed etiam proximè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico, quæ, inſtàr cujuſdam levis cæleſtis auræ, illis interdùm aſpirant. Sicut enim nemo fit de repentino bonus, ita nemo fit de repentè malus, & in malo obduratus, & (inquit *S. Bernardus* Lib. I. *De Conſideratione* cap 2) *paulatim in cordis duritiem itur*. Peccatoribus igitur in hac vita Deus non tantùm offert voluntate antecedenti auxilia verè ſufficientia, ſed etiam illis largitur, maximè dum urget aliquod præceptum, auxilia tàm remotè, quàm proximè ſufficientia ad ſalutem.

At, poſtquàm illi, ſuis cupiditatibus, ignorantiis & vitiis obſurduerunt voci Dei, & bibentes iniquitates, ſicut aquam, in ſuis peccatis planè obdurati & excæcati facti ſunt, tunc Deus juſto judicio eis in hoc ſtatu obdurationis, & excæcationis non ampliùs confert Gratias actuales ſivè proximè, ſivè remotè ſufficientes, ſed eas tantùm illis offert, quas tamen ipſi, infixi in limo profundi, & in denſiſſimis concupiſcentiæ ſuæ tenebris immerſi, recipere nolunt.

In hoc ſenſu intelligendus eſt *S Thomas*, dùm pluribus in locis (ſed præſertìm in I. Sent. Diſtinct. 48 Quæſt. I. Art. 3. ad 2. & 3. Part. Quæſt. 86. Art. I.) ait, *nullum eſſe in hac vita, qui mentis obſtinationem non poſſit deponere*: Et *nullum eſſe peccatum in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit*. Non enim

vult

Digitized by Google

vult *S. Thomas*, nullum in hac vita eſſe peccatorem ita obſtinatum, ut non poſſit per actualem Gratiam, in ſe intrinſecè receptam, obſtinationem deponere, eumque peccati ſui non pænitere; (certè hanc ſententiam nullibi docet *S. Thomas*) ſed vult duntaxàt Doctor ille Angelicus, neminem in hac vita eſſe adeò obſtinatum & induratum, ut non poſſit obſtinationem deponere per Gratiam, quam Deus omnibus peccatoribus, etiam obduratis, offert, eiſque reverà illam conferret, niſi ipſi ſua malitia & obſtinatione receptioni Gratiæ impedimentum ponerent: *Quod enim* (inquit *Sanctus Thomas* 1. 2 Quæſt. 100. Art. 4. ad 2.) *per amicos poſſumus, aliqualitèr nos poſſumus*. Si igitur Peccatores propria ſua malitia nolint recipere hanc Gratiam, quam Deus illis ſemper offert, immò data opera receptioni ipſius impedimentum ponunt, tunc cenſet *Sanctus Thomas*, peccata illis, tametſi omni auxilio ſufficienti, ſua culpa, deſtitutis, meritò imputari.

Unum dumtaxàt palmare Angelici illius Doctoris proferam teſtimonium, quod legimus lib. 3. *contra Gentes* cap. 159. & 160. ubi de neceſſitate Gratiæ diſputans, hoc argumentum ſibi primo loco proponit: *Cùm, ſicut ex præmiſſis habetur, in finem ultimum aliquis dirigi non poſſit, niſi auxilio divinæ Gratiæ, ſine qua etiam nullus poteſt habere ea, quæ ſunt neceſſaria ad tendendum in ultimum finem, ſicut eſt ſpes, Fides, dilectio & perſeverantia; poteſt alicui videri, quod non ſit homini imputandum, ſi prædictis careat; præcipuè cùm auxilium gratiæ mereri non poſſit, nec ad Deum converti, niſi Deus eum convertat. Nulli enim imputatur quod ab alio dependet*. Ad hanc ſolvendam propoſitam ſibi objectionem non utitur *Sanctus Thomas* pervulgata iſta reſponſione, quam adhibere ſolent Moliniſtæ, dictitantes, Gratiam quidèm efficacem ſubtrahi peccatoribus obduratis & excæcatis, ſed non gratiam actualem ſufficientem. Sic ſanè non reſpondet Doctor Angelicus, ſed ait: *Ad hujus dubitationis ſolutionem conſiderandum eſt, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrii divinam Gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen ſe ipſum impedire, ne eam recipiat*. Et, poſt pauca interjecta, ſubdit: *Cùm hoc ſit in poteſtate arbitrii impedire gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præſtat Gratiæ receptioni. Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare (vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire) ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant*.

Hanc Angelici noſtri Præceptoris doctrinam ſi ſedulò perpendas, ultrò fateberis, peccata hominibus, qui actuali gratia ſufficienti ſunt planè deſtituti, meritò, ob duplicem rationem, imputari, primò, quidèm, quia peccatores etiamſi intrinſecè Gratiam ſufficientem non habeant, poſſunt tamen illam recipere à Deo, qui eam illis offert, & (ut ait S. Thomas) *paratus eſt omnibus dare*, eamque reverà conferret, ni peccatores, ſuis cupiditatibus irretiti, & magis tenebras, quàm lucem, amantes, divinæ gratiæ receptioni reniterentur. Secundò, ut peccata hominibus obduratis & excæcatis juſtè imputari valeant; ſatis & abundè putat eſſe Doctor Angelicus, quòd hanc gratiæ ſubtractionem, objecto propriæ Iniquitatis impedimento, promeriti ſint, eamque præviis ſuis delictis ſibimetipſis accerſiverint.

V. At, inquis in Epiſtola, quam ad me dediſti, *Hæc ſententia, quæ peccatoribus obduratis & excæcatis denegat Gratias tàm proximè, quàm remotè ſufficientes, damnata videtur ab Eccleſia in Janſenio, qui lib. 3. De Gratia Chriſti cap. 13. aſſerit, Gratiam ſufficientem Infidelibus, & peccatoribus obduratis & excæcatis denegari à Deo, eamque etiam juſtis interdùm deeſse*.

Præterea (inquis) *Janſenius pertendit, peccatores obduratos & excæcatos, omni Gratia ſufficienti deſtitutos laborare ignorantia invincibili, & tamen ipſis peccata imputari, quia (ut docet) ignorantia*

tia invincibilis in ſtatu naturæ lapſæ non excuſat à peccato (quòd ab Eccleſia fuit optimo jure damnatum) Porrò, ſubdis, *Idem Janſenii error naturali fluxu promanare videtur ex ſententia illorum Theologorum, qui peccatoribus obduratis & excæcatis denegant Gratiam, tàm proximè, quàm remotè ſufficientem. Facta quippè ſemèl illa hypotheſi, peccatores obdurati & excæcati nullam perſentient malitiæ peccati notitiam, quam à ſola Gratia, aut proximè, aut remotè, ſufficienti, quæ conſiſtit in pia cogitatione, quæ mentem illuſtrat, percipere poſſunt. Admiſſa igitur illa hypotheſi, peccatores obdurati & excæcati verſabuntur in ignorantia invincibili, quæ tamen illos non excuſabit à peccato, ſed potiùs (ut volunt illi Theologi) peccata eorum ipſis imputabuntur ad damnationem æternam. Hæc eſt* (ità argumentationem tuam concludis) *una è præcipuis difficultatibus, quæ me hac in quæſtione vehementèr torquet, & ad quam quid reſponſurus ſis, ſollicitè expecto.*

Vin, cariſſime Diſcipule, ut tibi citrà fucum & adulationem reſpondeam? Pace tua dicam, Dogma Fidei, quod Eccleſia adversùs *Janſenium* ſanxit, necdùm ſatis tibi perſpectum atque exploratum eſſe. Scias igitùr velim, Fidei Dogma, quod Eccleſia adversùs Novatores, præſertìm, *Lutherum*, *Calvinum*, & *Janſenium* definivit, hoc unum dumtaxàt ſtatuere, videlicèt *juſtis non deeſſe Gratiam, qua ipſis poſſibilia ſint præcepta Dei*. De ſolis enim juſtis loquitur Concilium Tridentinum Seſſ. VI. Cap. XI & Canone 18. De ſolis etiam juſtis actum eſt in prima ex quinque famoſis *Janſenii* Propoſitionibus, damnatis à Summo Pontifice INNOCENTIO X Quapropter, *comperti ſſimum eſſe debet* (utor verbis doctiſſimi noſtri *Antonini Maſſoulie* Tom. 2. Diſſert. 4. *De Gratia Adami* Quæſt. 3. Art. 2.) *compertiſſimum*, inquam, *eſſe debet, minimè ad errorem Janſenii pertinere, ſi quis obduratis & excæcatis denegari à Deo gratiam contenderet. Cùm enim eodem Janſenii loco* (Lib 3 De Gratia Chriſti cap. 13.) *univerſaliſſima hæc Janſenii referatur Propoſitio*: Infidelibus, excæcatis, obduratis, juſtiſque interdùm deeſſe gratiam, qua præcepta poſſibilia fiant; *ultimam hujus Propoſitionis partem* (quæ ſpectat juſtos) *Sanctus Pontifex dumtaxàt proſcripſit, Alteram verò partem* (quæ tangit tantùm obduratos & excæcatos) *intactam reliquit. Quæ obſervatio* (addit idem eruditiſſimus ille Theologus) *prætermittenda non fuit, ne quis ultrà quàm debeat, imò & ultrà quàm Sanctus Pontifex voluerit, Pontificiam cenſuram extendat.* Hanc noſtri *Antonini Maſſoulie* Obſervationem ſuo etiam calculo probat *Honoratus Tournely* Tomo 2. ſuarum *Prælectionum Theologicarum De Gratia Chriſti* pag. 617. quamvis tamen ibidèm hic Theologus, purus putuſque Molinianus, omnes ingenii & eloquentiæ ſuæ nervos contendat, ut probet, Deum peccatoribus etiam obduratis & excæcatis largiri Gratias actuales ſufficientes, in ſenſu moliniano intellectas. Hac reſponſione in fumum faceſſit prima tua de accuſatione Janſeniſmi argumentatio.

Addam dumtaxàt obitèr, doctiſſimum Cardinalem *Joſephum De Aguirre* in Præfatione Tom. I. *Conciliorum Hiſpaniæ* irridere quoſdam in Janſeniſmo improperando nimiùm faciles. Ibi Eminentiſſimus ille Scriptor, poſt allatam quamdam *Bellarmini* ſententiam, hæc habet: Exeat nunc aliquis recentiorum quorumdam, & propterea Bellarminum Janſeniſmi, aut Bajaniſmi arguat. Hanc enim notam ex eodem doctrinæ Morum ſeverioris capite inurere auſi ſunt plurimis aliis Catholiciſſimis Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus & Scriptoribus, licèt nullo fermento hæreſeos, vel doctrinæ erroneæ aſperſis, & palàm rejicientibus illas quinque famoſas Theſes ab INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. fulguritas, atque in iis Illuſtriſſimo *Fagnano*, quo neminem in Sacris Canonibus doctiorem, aut celebriorem ætas noſtra tulit. Sed calumnia hujuſmodi, dùm linguario oribus quorumdam injecto coerceri nequit, contemptu aut riſu exſibilanda erit, juxta illud adversùs convitia injuſta,

Digitized by Google

juſta: SPRETA EXOLESCUNT.

Eadem chorda oberrat altera tua argumentatio. Nec enim illi Theologi, qui cenſent, Peccatores obduratos & excæcatos, qui, in pænam præcedentium peccatorum, ſunt deſtituti omni gratia tàm proximè, quàm remotè ſufficienti, aſſerunt, ejuſmodi obduratos peccatores laborare ignorantia invincibili & involuntaria, quæ tamen illos non excuſet à peccato. Ab hoc certè deteſtabili *Janſenii* errore adhorrent iſti Theologi, quippè qui docent, ignorantiam illam, in qua verſantur peccatores obdurati, dùm omni Gratia, ſua culpa, deſtituti, non ampliùs advertunt ad malitiam peccati, eſſe voluntariam, & culpabilem, quæ illos minimè excuſat à peccato, quia hæc eorum ignorantia originem habet ex præviis, graviſſimiſque actualibus peccatis, quibus, ſcientes ac volentes, ſeſe conſpurcarunt.

Non ergò errant hi Theologi, ſed tu potiùs, cariſſime Diſcipule, in errore (ſit venia verbo) verſaris, utpotè qui falsò tibi perſuades; ideò obduratos & excæcatos laborare ignorantia invincibili, & involuntaria, *quia* (ut inquis) *cùm ſupponantur planè deſtituti omni Gratia ſufficienti, nulla ampliùs in iſto obdurationis ſtatu eis affulgeret prævia notitia malitiæ peccati, ſine qua tamen prælucente (ſicut legi in multis recentiorum Caſuiſtarum libris) peccatum non poteſt eſſe voluntarium, nec proindè imputari*. Subdis tamen (quod valdè me ſolatur) *id quidèm non ex animi ſententia dico, abſit; ſed dumtaxàt ut dubiis ac difficultatibus (quibus ſolvendis impar ſum) pro tua ſingulari humanitate facias ſatis, quò deinceps ad ſanæ doctrinæ defenſionem promptior, atque paratior eſſe poſſim.*

VI. Rem itaque, tuæ utilitati conſulturus, protinùs aggredior, & iſtud principium (quod in quorumdam recentiorum Caſuiſtarum libris te legiſſe aſſeris) videlicèt, *eis, qui non habent præviam notitiam malitiæ peccati, non poſſe imputari peccatum*; multis momentis atque definitionibus Eccleſiæ refellendum ſuſcipio. In primis, quia hæc ignorantia, in qua verſantur peccatores obdurati & excæcati, dùm omni Gratia ſufficienti, ſua culpa deſtituti, nullam ampliùs gravitatis & peccati malitiæ præviam cognitionem habent, nulloque illius vitandi deſiderio ſtimulantur, hæc, inquam, peccatorum obduratorum ignorantia non eſt involuntaria (ut perperàm ſupponunt laxiores quidam Caſuiſtæ) ſed eſt voluntaria & culpabilis, utpotè originem habens ex innumeris præcedentibus graviſſimis peccatis, ſive ex inveterata peccandi conſuetudine, quæ ſenſim ſine ſenſu altiſſimas in cordibus peccatorum radices egerunt, eiſque denſiſſimas tenebras offundunt.

Hæc autem ignorantia, quæ eſt voluntaria & proprio vitio accerſita, peccatores obduratos & excæcatos à peccato nullatenùs excuſare poteſt, quia ſi illos excuſaret, per indè ejuſdem ignorantiæ obtentu, immaniſſima peccata Atheorum, Epicureorum, & Perſecutorum Eccleſiæ poſſent excuſari. Certum quippè eſt, Atheos, Epicureos, & Perſecutores Eccleſiæ præviam non habuiſſe notitiam gravitatis & malitiæ peccatorum, in quorum cæno ſe volutabant, nec ad illa vitanda fuiſſe aliquo deſiderio ſtimulatos. Excuſabis ne Deicidium Judæorum, qui Chriſtum Dominum crucifixerunt, neſcientes quid facerent? ſicut teſtatur ipſemet Chriſtus, orans pro illis in Cruce, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*; &, ut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 2. Epiſtolæ I ad Corinthios: *Si cognoviſſent* (ideſt Judæi) *nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Et tamen Judæos, crucifigentes Dominum Jeſum (non obſtante illorum ignorantia, quæ erat voluntaria) peccaſſe, docet nos *S. Petrus*, qui in Actis Apoſtolorum Cap. 3. Judæos, ut pænitentiam agerent peccatorum, quæ, Chriſtum crucifigendo, commiſerant, adhortatur his verbis: *Fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri; pænitemini igitùr, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Quin, & Apoſtolus *Paulus* teſtatur, ſe ignoraſſe quid ageret, dùm furiis actus, Eccleſiam Chri-

ſti

ſti perſequeretur, nec tamen indè ſe excuſat, ſed potiùs Epiſtolæ I. ad *Timotheum* cap. 1. v. 13. fatetur, ſe priùs fuiſſe blaſphemum: *Priùs*, inquit, *blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: Sed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*.

Sed dicas, amabo te, quid cenſes de perſecutoribus Apoſtolorum? putaſne illos non peccaſſe, adeòque nulla pæna eſſe dignos, quia, tantùm abeſt, ut perſequendo Apoſtolos, animum adverterent ad malitiam & gravitatem ſui peccati, ut potiùs hac ipſa perſecutione ſe obſequium præſtare Deo arbitrarentur, juxta illud Chriſti, Diſcipulos ſuos alloquentis, oraculum: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo?* cap. 16. Evang. *Joannis*. Putaſne etiam populis illis, de quibus Apoſtolus cap 4. Epiſtolæ ad Epheſios loquitur, & qui (ut ibidem ait) *ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*; putaſne, inquam, iſtis populis, qui ad ſcelerum ſuorum pravitatem non attendunt, ſed effræni potius impetu, ebullienti paſſionum ſuarum æſtu abrepti, ac ſacrilega quadam oſtentatione nefanda ſcelera perpetrant, nulloque retrahente conſcientiæ morſu, laxatis habenis in illicita deſideria ruunt; peccata non imputari? Certus ſum, te id nunquàm conceſſurum; alioquì eadem opera fateri deberes, ejuſmodi perditiſſimos homines, qui Deum ignorant, quique habent cor durum, quod (ſicut ait *S. Bernardus* lib. I. *de Conſideratione* cap. 2.) *nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, & ad conſilia infidum eſt &c.* fateri, inquam, itidèm deberes, ejuſmodi ſceleſtiſſimorum hominum ſortem ac conditionem *longè feliciorem eſſe* conditione fidelium, qui, cùm Deum norint, & seriò delictorum gravitatem ac malitiam cognoſcant ac perſentiant, Deum offendunt, quandò peccant, aliàs non peccaturi (ſicut dictitant iſti laxiores Caſuiſtæ, quos legiſti) ſi nec ſcirent, nec adverterent. Concedas itaque mihi neceſſe eſt, peccari re ipſa poſſe, & peccatum ad pænam æternam reverà imputari, tametſi, nulla in anteceſſum ſubluceat menti illuſtratio, nullaque ſupernaturali excitatione pulſetur humana voluntas, ac ſubindè peccare obduratos & excæcatos homines, qui in pænam præcedentium ſuorum graviſſimorum peccatorum, juſto Dei judicio privantur Gratia ſufficienti, quæ (ut docent Theologi) in mentis illuſtratione ac voluntatis excitatione poſita eſt.

His omnibus, quæ hactenùs dixi, ſubnectam definitiones Eccleſiæ, quæ illos anathemate perculit, qui auſi ſunt aſſerere, ignorantiam, voluntariam ſcilicèt, excuſare à peccato. Epiſcopi Eccleſiæ Palæſtinæ, in Synodo Palæſtina congregati, damnarunt errorem *Pelagii* aſſerentis, *oblivionem & ignorantiam* (utique voluntariam) *non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem*, ut videre eſt apud *S. Auguſtinum* cap. 18. libri *de Geſtis Pelagii*. ALEXANDER VIII. Pontifex Maximus die XXIV. menſis Auguſti anni MDCXC. proſcripſit tanquam *ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam*, & *erroneam*, Propoſitionem quorumdam laxiorum Caſuiſtarum, his verbis conceptam: *Peccatum Philoſophicum ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò & morale eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei cum homine, neque æterna pæna dignum*.

Nota tibi eſt (ut non dubito) palinodia, quam die 3. Menſis Aprilis Anni MDCC. jubente piæ memoriæ Eminentiſſimo Cardinali *Ludovico Antonio de Noailles*, Archiepiſcopo Pariſienſi, decan-

decantavit *Germanus Becheſerius*, Societatis Jeſu Profeſſor Theologus, circa Propoſitionem, quam die 14. menſis Decembris anni MDCXCIX. publicæ diſputationi in Theſibus expoſuerat, his verbis conceptam: *Alii errant dùm aſſerunt, peccatori planè obcæcato & indurato peccata nihilominùs imputari.* In hac autem palinodia, ſeu publica retractatione, hæc habet prædictus ille Theologus: *Primùm itaque profiteor, nunquàm in ea me ſententia fuiſſe, ut crederem eos, qui vocantur obcæcati & indurati, non peccare ampliùs, vel ſua illis peccata minimè imputari à Deo, immò me ſemper tenuiſſe; & nunc etiam tenere, ex ſcriptura & Patribus certò conſtare, quòd peccent, & quòd peccata illis imputentur. Simul agnoſco poſitionem meam ita generalibus verbis conceptam fuiſſe, ut juſtam hujus explicationis poſtulandæ cauſam præbuerit. Profiteor inſuper, quantumvis mihi perſuaſum ſit, obduratos nequaquàm omni carere interiori gratia, quæ ad implenda præcepta ſufficiat; haud propterea voluiſſe me ulla cenſura notare illos, qui nec pauci ſunt, nec infimi nominis, Theologos Catholicos, quos contraria in opinione æquè in Eccleſia permiſſa, verſari certum eſt: neque, cùm in prædicta poſitione dixi errare illos, aliud à me intellectum eſſe, quàm quod fallantur.*

Anno MDCXLI. Gallicani Præſules in Comitiis Generalibus die 12. Aprilis & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores hanc Propoſitionem, ex famoſi *Baunii* libris excerptam: *Nunquàm peccatur, niſi prævia peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur*: concordi ſuffragio damnarunt *utì falſam, & viam ad excuſandas excuſationes in peccatis aperientem*. Similitèr Academia Lovanienſis die 4. Maji anni MDCLVII., ab Illuſtriſſimo Gandavenſi Epiſcopo ſententiam per Epiſtolas rogata de nonnullis laxioris moralis Propoſitionibus, hanc Aſſertionem, quæ eſt numero vigeſima quinta, quæque his verbis concepta eſt: *Ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat ab homine, qui noſcit & percipit quid boni malive in ea ſit: & antequàm id videat, & animum reflectat, actio neque bona eſt neque mala*; hanc, inquam, laxiorum Caſuiſtarum aſſertionem iſto cenſorio ſtigmate confixit Facultas Lovanienſis: *eſt contra communia Chriſtianæ Theologiæ principia; & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſat cum pernicie animarum.*

In idem Clerus Gallicanus ſibi ſemper conſtans, etiamnùm conſpirat, utpotè qui in Comitiis generalibus die 4. menſis Septembris anni MDCC. habitis, centum viginti ſeptem Propoſitiones cenſura perſtrinxit, quas inter, hæc numero centeſima duodecima legitur: *Si peccatores conſummatæ malitiæ cùm blaſphemant, & flagitiis ſe immergunt, non habent conſcientiæ ſtimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hiſce actionibus non peccare.* Aſſertionem hanc, in fætidis laxiorum Caſuiſtarum paludibus enatam, hac cenſura notavit Sacer ille Conſeſſus: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blaſphemias aliaque peccata excuſat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata eſt*: videlicèt (ſicut paulò antè obſervavi) die 12. menſis Aprilis anni MDCXLI.

In his Eccleſiæ judiciis clariſſimè (ni meus me fallit animus) vides, dilectiſſime diſcipule, neceſſariam non eſſe prævìam illam mentis illuſtrationem, voluntatiſque excitationem, ut quis admiſſi peccati reus cenſeatur, ſubindèque reverà peccare homines obduratos & obcæcatos, etiamſi, in pœnam præcedentium peccatorum ſuorum, omni planè gratia ſufficienti deſtituti, non habeant ampliùs notitiam malitiæ peccatorum, quæ patrant, nec in ſe ſentiant ullam mentis illuſtrationem, voluntatiſque excitationem.

Sed id etiam clariùs (ut ſpero) percipies, ſi tantiſpèr ad iſtud argumentum, quod hic ſubjicio, è Sacra Scriptura, & è Sanctis Patribus petitum, velis animum intendere. Sic igitur argumentor: Ignorantia, in qua verſantur

tur

tur obdurati & obcæcati, omni prorſùs Gratia ſufficienti orbati, & nullam omninò perſentientes illuſtrationem mentis & excitationem voluntatis; hæc, inquam, obduratorum, & obcæcatorum ignorantia non eſt involuntaria, ſed eſt voluntaria in cauſa, ſeu in præcedentibus actualibus peccatis, in quorum pænam Deus eos deſeruit, illiſque ſubtraxit omnem gratiam ſufficientem: ergò, ſi illa ignorantia voluntaria, & conſequens, qua laborant obdurati & obcæcati, illos excuſet à peccato, non erunt ampliùs peccata ignorantiæ, ſicque ignorantia voluntaria & conſequens perindè excuſabit à peccato, ac ignorantia involuntaria & antecedens, quæ (juxta Eccleſiæ Catholicæ doctrinam contrà Novatores) excuſat à peccato. Quod ſanè à veritate procùl abeſt, & Sacræ Scripturæ, Sanctiſque Patribus adverſatur. Legimus namque in Sacris Litteris, Deum inſtituiſſe in Veteri Lege ſacrificia ad delenda peccata, quæ fiunt ex ignorantia, utique voluntaria & conſequenti. *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam* (dixit Dominus ad Moyſem cap. 4. lib. Levitici) .... *Si omnis turba Iſrael ignoraverit, & per imperitiam fecerit, quod contra Mandatum Domini eſt, & poſteà intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum .... Quòd ſi peccaverit anima per ignorantiam, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognoverit peccatum ſuum, offeret capram immaculatam.* Et cap. xv. lib. *Numerorum* verſ. 27. *Quod ſi anima una, neſciens, peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo, & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inſcia peccaverit coram Domino, impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi. Tàm indigenis, quàm advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes.* Dantur itaque (juxta Scripturam Sacram) peccata ignorantiæ, non quidèm involuntariæ & antecedentis, ſed voluntariæ & conſequentis, quali laborant peccatores obdurati, & obcæcati in pænam præcedentium ſuorum delictorum.

Poſſem hìc benè multa proferre teſtimonia *S. Auguſtini*, aliorumque Patrum, qui docent, ſæpiùs nos peccare per ignorantiam & incogitantiam, ſubindèque culpa non vacare peccatores illos obduratos & obcæcatos, qui ignorantia voluntaria, propria ac libera iniquitate contracta, laborant, quique in omni vitiorum cæno demerſi, ſenſuum cupiditatibus implicìti, nullis ampliùs in hoc obdurationis & cæcitatis ſtatu actualibus illuſtrationibus, excitationibus, piis motibus, aut deſideriis tanguntur: verùm, quia nimis longum eſſet hìc innumera SS. Patrum recenſere teſtimonia, proferam dumtaxat *S. Bernardum*. & *S. Thomam*, qui mihi rem planè conficere videntur. Hæc aurea verba in Epiſtola ad *Hugonem de S. Victore* ſcribit S. Bernardus: *Si ignorantia nunquàm peccatum eſt, cur dictum eſt in Epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo Tabernaculo ſemèl in anno ſolus Pontifex intraret non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergò peccavit Saulus, quòd perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniàm quidèm ignorans hoc fecit in incredulitate. Benè itaque faciebat, quòd erat blaſphemus & perſecutor, & contumelioſus, & quòd erat ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini; in hoc ipſo quippè abundè æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergò debuit dicere miſericordiam conſecutus ſum; ſed mercedem accepi: quippè quem ignorantia à peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantia nunquàm peccatur, quid ergò cauſamur adverſùs occiſores Apoſtolorum, quoniàm quidèm non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? Sed & fruſtrà Salvator pro ſuis orabat crucifixoribus, quippè neſcientibus (ipſo teſte) quid facerent, & ità nequaquàm peccantibus. Numquid non ex his ſatis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari poſſe per ignorantiam.*

Mentem ſuam ſuper hac re ita dilucidè

dè pluribus in locis aperit *S. Thomas*, ut de ea dubitandi nullum planè locum relinquat. Ait enim 3. Parte, Quæſt. 47. Art. V. ad 3. *Dicendum, quòd ignorantia affectata non excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare. Oſtendit enim hominem ſic vehementer eſſe affectum ad peccandum, quòd vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet: & ideo judæi peccaverunt, non ſolùm tanquàm hominis, ſed etiam tanquàm Dei crucifixores*. Idem docet *S. Thomas* Primæ Secundæ Quæſt. 76. art. 3. & Quæſt. 3. de Malo art. 8. Talem porrò eſſe obduratorum & excæcatorum ignorantiam, de qua ibidem loquitur *S. Thomas*, & quæ (ut ipſemet docet) non excuſat à peccato, nemo inficias ire poteſt. De illis quippè peccatoribus, obduratis & obcæcatis loquitur Vates Regius, dùm pſalmo 35. ait: *Noluit intelligere ut benè ageret*. Diuturna etenim peccatorum conſuetudine liberè, ſcientes ac volentes, ſe devinxerunt, in ignorantiam data opera, & propria ſua malitia inciderunt, ne peccata vitarent, præfocarunt & penitùs extinxerunt internos omnes morſus, & ſtimulos, ut conſcientiam ſuam circa illicitum intrepidam redderent.

Hinc eſt, quòd longa ac profunda peccatorum nocte demerſi ſuis etiam delectentur tenebris, & (quod horrendum eſt) ipſimet Deo, qui Gratiam eis offert, & ex ſe paratus eſt illis dare, ferrea fronte reſiſtunt, illudque ingeminant, quod cap. 21. libri *Jobi* ſcriptum legimus: *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Vide ergò nunc, an, juxtà ſanioris doctrinæ principia, affirmare poſſis, peccatores obduratos & excæcatos, qui Gratiam, ſibi à Deo oblatam, & quam ſemper paratus eſt eis dare, contumaci voluntate recipere renuunt, quique dumtaxàt ignorantia voluntaria, ex præcedentibus ſuis peccatis contracta, laborant, culpa vacare, & peccata, in quæ labuntur, ipſis imputari non debere?

VII. Nunc paſſis velis accedo ad argumenta, quæ, inter legendum modernorum & laxiorum Caſuiſtarum libros, te offendiſſe candidè profiteris. In primis ſic argumentaris: Si ad imputanda obduratis & excæcatis peccata ſat ſuperque ſufficiat, ut peccata, quæ in ſtatu obdurationis committunt, originem habeant ex præcedentibus eorum peccatis, conſequens erit, ut & motus primò primi, ignorantia invincibilis, amentia, naſcendo contracta, atque etiam infidelitas *negativa* debeant, tanquàm peccata nobis imputari, utpotè quæ ex peccato originali ſobolefcunt; Atquì nullus Catholicus id dixerit; ergò licèt peccata, quæ obdurati & excæcati homines in ſtatu obdurationis committunt, conſequantur ex præcedentibus peccatis, quæ libere & voluntariè perpetrarunt, ipſis tamen imputari minimè debent, ſed illis inſunt, tanquàm pœnæ in ipſis ex præcedentibus peccatis relictæ.

Verùm, hæc tua difficultas unico flatu exſufflatur. Quandò enim cum doctiſſimis Theologis dico, peccata, quæ obdurati & excæcati committunt in ſtatu obdurationis, debere illis jure optimo imputari, quia illorum peccata procedunt ex aliis prævìis peccatis, quæ ante ſtatum obdurationis patrarunt, non intelligo quæcumque peccata prævia, ſed illa tantummodò prævia illa peccata actualia, quæ, ante ſtatum obdurationis, plena, integra & libera voluntate commiſerunt.

Hinc evaneſcit tua difficultas. Ideò enim motus primò primi, ignorantia invincibils, amentia, naſcendo contracta, & infidelitas *negativa*, non ſunt peccata, quæ imputentur, quia oriuntur ex ſolo peccato originali, & non ſunt in nobis libera ac voluntaria, ſed tantummodò ſunt voluntaria & libera in Adamo; quò fit, ut nobis culpæ ac crimini non vertantur, aut, tanquàm peccata nobis imputentur; Sed dumtaxàt in nobis cenſeantur pœnæ peccati originalis, quod ineluctabili neceſſitate naſcendo trahimus. At peccata, quæ peccatores obdurati & excæcati in ſtatu obdurationis patrant, ſoboleſcunt ex præcedentibus actualibus pec-

peccatis, quæ ipſimet, ante ſtatum obdurationis, plena, integra, & libera voluntate commiſerunt, adeòque mirari non debes, quòd illis, tanquàm vera & propriè dicta peccata, imputentur.

Non eſt par igitur utrobique ratio, ſed longum latumque diſcrimen, cujus rationem diſertè *S. Thomas* in lib. 2. Sent. Diſtinct. 30. Quæſt. I Art. 2. aſſignat, dicens: *Oportet ut ſecundùm hoc quod aliquid rationem culpæ habet, ſecundùm hoc ratio voluntarii in ipſo reperiatur. Sicut autem eſt quoddam bonum, quod reſpicit naturam, & quoddam, quod reſpicit perſonam; ita etiam eſt quædam culpa naturæ, quædam culpa perſonæ. Undè ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſonæ, ſicut patet in culpa actuali, quæ per actum perſonæ committitur: ad culpam verò naturæ, hoc eſt, Originale, peccatum, non requiritur niſi voluntas in natura illa.*

Ex qua *S. Thomæ* doctrina (quam altè memoriæ tuæ infigere debes) manifeſtò patet, motus primò primos, ignorantiam invincibilem, amentiam, naſcendo contractam, & infidelitatem *negativam*, ideò non eſſe peccata propriè dicta, quæ nobis imputentur, ſed dumtaxàt pœnæ in nobis cenſeantur relictæ ex peccato originali, quod inevitabili neceſſitate naſcendo contrahimus. Aſt, delicta, in quæ peccatores in miſerando obdurationis & excæcationis ſtatu præcipites ruunt, non procedunt ex neceſſitate quadam abſoluta & phyſica, quæ eis adimat libertatem, eoſque ſubindè excuſet à peccato, ſed procedunt tantummodò ex neceſſitate morali & conſequenti, quæ illos à peccato immunes nec reddit, nec reddere poteſt, quippè quæ voluntaria eſt & libera in cauſa, utpotè procedens ex pertinaci ſui & creaturarum amore, & nihil aliud eſt, quàm conſtans peccandi libido. De hac neceſſitate morali & conſequenti, quæ voluntaria eſt, & non excuſat à peccato, loquitur *S. Bernardus* ſermone 18. *in Cantica*, ubi hæc habet: *Neſcio quo pravo & miro modo ipſa voluntas, peccato quidèm in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm ſit illecta, excludat neceſſitatem.*

VIII. Nec magis premit aliud argumentum, quòd ſic proponis: *Sola Gratia ſufficiens* (inquis) *dat poteſtatem benè operandi, & abſtinendi à peccato*; *ergò* (infers) *ſi obdurati peccatores careant omninò Gratia ſufficienti, non poterunt obſervare præcepta, nec abſtinere à peccato, eruntque excuſabiles, quia nemo peccat in eo quod vitare haud poteſt.*

Non magis, inquam, premit hæc altera tua difficultas, quia, etiamſi obdurati & excæcati, deſtituti omni Gratia, verſentur in impotentia morali, & conſequenti, quæ (ſicut mox dixi) eſt voluntaria & libera in cauſa, utpotè quæ liberè & voluntariè ex præcedentibus peccatis fuit ab illis contracta; non ſunt tamen obdurati & excæcati peccatores in impotentia abſoluta abſtinendi à peccato. Retinent enim congenitam libertatem ſuam, Ideſt indifferentiam activam, & poteſtatem ad oppoſitum. Norunt, vident, & eligunt pro arbitrio; cùm dogma Fidei ſit ab Eccleſia contra *Lutherum*, *Calvinum* ſæpiùs definitum, nec abſolutam, nec hypotheticam peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ invectam eſſe ex peccato originali, proindèque non eſſe per culpam Adami deperditum liberum hominis arbitrium. Potiuntur igitur peccatores, tametſi obdurati & excæcati libertate ſua, & non ſunt in impoſſibilitate abſoluta & phyſica obſervandi præcepta, & abſtinendi à peccato; ſunt tamen, fateor, obdurati & excæcati in impotentia morali & conſequenti abſtinendi à peccatis, quæ impotentia, cùm ſit voluntaria & libera in cauſa, ſeu in præcedentibus actualibus peccatis, quæ liberè ac voluntariè commiſerunt, illos nullo pacto poteſt (ſecundùm S. Thomam) à peccato excuſare.

Audi, ſi placet, Doctorem illum Angelicum, pluribus in locis diſertiſſimè docentem, ſatis eſſe, ſi, quod peccatum admittitur, in cauſa liberum ſit, nec peccatorem poſſe à delicto excuſari,

ri, qui in eum neceſſitatis & impotentiæ moralis ſtatum libera voluntate & iniquitate devolutus eſt: *Si actus præcedens* (inquit *Sanctus Thomas* 2.2. Quæſt. 150. Art. 4.) *fuit culpabilis, ſic non totalitèr aliquis excuſatur à peccato ſequenti; quod ſcilicèt redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; in quantùm ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in ſequens peccatum*. Et 1.2. Quæſt. 77. Art. 2. ait Sanctus noſter præceptor: *Aliquid poteſt eſſe voluntarium, vel ſecundùm ſe, ſicut quandò voluntas directè in ipſum fertur: vel ſecundùm ſuam cauſam, quandò voluntas fertur in cauſam & non in effectum, ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur. Ex hoc enim quaſi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit*. Idem docet *S. Thomas* in 2. Sent. Diſtinct. 22. Quæſt. 2. Art. 2. ad 2. & lib. 3. contra Gentes cap. 160. ubi ſic diſcurrit Doctor ille Angelicus: *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent, vel ponant (ut oſtenſum eſt) niſi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominùs tamen hoc eis imputatur ad culpam; quia hic defectus ex culpa præcedenti in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit*.

Ex quibus *S. Thomæ* verbis, iſtud argumentum, quod *à minori ad majus* Schola appellitare ſolet, ſic colligo: Si homo, qui (ſicut ait *S. Thomas*) vino calet, & crapula immerſus eſt, reus agitur homicidii, ſi quod tunc fortaſſis admittat, modò in ebrietatem culpa ſua inciderit, tametſi quamdiù eſt vino recoctus, impotens ſit, & liberi ſui arbitrii uſu non potiatur; quanto magis homines, ſua culpa omni gratia ſufficienti deſtituti, & planè obdurati & excæcati, erunt rei ſcelerum, quæ eo in ſtatu obdurationis perpetrant; ob id unum, quòd in hunc deploratiſſimum ſtatum, volentes ac ſcientes, fuerint prolapſi, & omnem gratiarum ſufficientium ſubtractionem ſibi repetitis ſceleribus accerſiverint; immò, ſint in hoc ſtatu obdurationis culpabiliores ebrio, qui, vino ingurgitatus, patitur alienationem mentis, & nullo, aut ſaltèm debili admodùm liberi arbitrii uſu pollens, in ſcelera, more pecudum, ruit; obdurati verò & obcæcati, dum peccant, integra mente, & libero fruuntur arbitrio, atque, ſcientes, ac volentes, in peccata prorumpunt, eiſque ultrò conſentiunt.

Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, falsò à te ſupponi, obduratis & excæcatis, omni gratia ſufficienti deſtitutis, præcepta eſſe abſolutè & ſimpliciter impoſſibilia, eoſque nullo pacto poſſe abſtinere à peccato; id, inquam, falsò ſupponis, quia (ſicùt ſuperiùs ex *S Thoma* lib. 3. contra Gentes cap. 159 & 160. obſervavi) ut præcepta ſint obduratis & excæcatis poſſibilia, & ut ipſi poſſint abſtinere à peccato, non requiritur, ut actu & intrinſecè recipiant gratias ſufficientes, ſed (juxtà doctrinam *S. Thomæ*) ſufficit ut Deus, quantùm eſt ex ſe, gratias illas eis offerat, & paratus ſit eis dare, ita ut, ſi eas non recipiant, non ſit in culpa Deus, ſed id dumtaxat obduratis & excæcatis vitio ac crimini verti debeat, quippè qui propria ſua malitia & obſtinatione oblatam ſibi à Deo gratiam recipere nolunt. Obdurati itaque & obcæcati (juxta illud *S. Thomæ* principium) poſſunt in eo ſenſu obſervare præcepta, & abſtinere à peccato, in quantùm videlicèt Deus ſemper illis offert gratiam, eamque illis reverà conferret, niſi ipſimet, ſuis cupiditatis tenebris immerſi, eam repellerent, ejuſque receptioni data opera impedimentum ponerent.

Id confirmat Angelicus Doctor pluribus in locis, ſed potiſſimùm 2. 2. Quæſt. 2. Art. 5. ubi hanc objectionem ſibi proponit: *Nullus tenetur ad id, quod in ejus poteſtate non eſt: ſed credere aliquid explicitè non eſt in hominis poteſtate, quia ad hoc indiget divinæ gratiæ auxilio, quod in ſua poteſtate non habet, ergò credere aliquid explicitè nemo tenetur*.

Huic objectioni non reſpondet *S. Thomas*,

mas, dicendo (ſicut ajunt quidam recentiores) omnes teneri ad aliquid explicitè credendum, quia omnes habent actuales gratias ſufficientes, quarum ope, expedita pollent facultate credendi; non ſic ſanè reſpondet *S. Thomas*; ſed ait, hominem teneri ad aliquid explicitè credendum, quia hoc poteſt cum auxilio gratiæ (quod Deus omnibus offert) & quod tantùm denegat in pœnam præcedentis peccati: *Dicendum* (inquit Angelicus ille Doctor) *quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimilitèr ad credendum articulis Fidei, ſed tamen hoc poteſt cum auxilio Dei* (quod videlicèt Deus, quantùm ex ſe eſt, omnibus offert) *Quod quidèm auxilium quibuſcùmque diviniùs datur, ex miſericordia datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, aut ſaltèm originalis peccati, ut Auguſtinus dicit lib. De Correptione, & Gratia*. Planum itaque & expeditum eſt, rectè (juxtà *S. Thomæ* doctrinam) dici poſſe, peccatoribus obduratis & excæcatis non eſſe præcepta ſimpliciter & abſolutè impoſſibilia, eoſque in hoc ſenſu poſſe abſtinere à peccato, quia Deus ſemper illis offert gratiam, & ex ſe paratus eſt illis conferre, quam tamen ipſi recipere nolunt, & in cauſa ſunt, cùr Deus eos in his pœnalibus cæcitatibus relinquat proptèr illicitas eorum cupiditates.

IX. Alterum argumentum ſic proponis: *Chriſtus mortuus eſt ſufficientèr pro omnibus omninò hominibus, illis nimirùm ſuppeditando gratias proximè, vel ſaltèm remotè ſufficientes, quibus adjuti æternam poſſint ſalutem adipiſci; igitur ſi peccatores obdurati & obcæcati ſint omni gratia ſufficienti deſtituti, conſequens erit, Chriſtum non eſſe mortuum pro illis etiam ſufficientèr, quod certè haud video, qui conciliari poſſit cum eo Fidei dogmate, quo credimus, Chriſtum mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe pro ſalute omnium hominum, nemine excepto.*

At, ut liberè dicam, iſtud argumentum utroque genu claudicat, & pugnat cum doctrina Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ*, atque cum ipſamet experientia. At enim, Sancti Patres *Auguſtinus*, & *Thomas* docent (ſicùt latè oſtendi in duabus Epiſtolis, quas ad te ſcripſi de morte Chriſti, & de voluntate generali, quam habet de ſalute omnium hominum) docent, inquam, duo iſti Sancti Patres, Chriſtum Dominum mortuum eſſe, pro omninò hominibus in hoc ſenſu, quòd Chriſtus vera ac ſincera voluntate antecedenti præparet omnibus, & ſingulis hominibus offerat Gratias verè ſufficientes, per quas ſalutem æternam comparare poſſint, quamvis tamen ejuſmodi Gratias ſufficientes ſua culpa aliqui non recipiant, quia ſua ignorantia, concupiſcentia, prava voluntate, & inordinata ad creaturas adhæſione impediunt divinarum illarum gratiarum receptionem. *Deus* (inquit *Sanctus Auguſtinus* lib. 2. *De Sermone Domini in monte* cap. 7.) *ſemper eſt paratus dare lucem nobis non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritualem: Sed nos non ſemper ſumus parati accipere, cùm inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate tenebramur*. Idem conceptis verbis docet *S. Thomas* pluribus in locis, quæ ſuperiùs laudavi, & præſertìm lib. 3. contra Gentes cap. 159. Quin, & Patres Concilii Tridentini id palàm innuere videntur cap. 3. Seſſionis ſextæ, ubi ſic ſtatuunt: *Verùm, etſi ille* (id eſt, Chriſtus) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

Ex quo Concilii textu hoc argumentum elicio: His tantùm conferuntur auxilia ad ſalutem ſufficientia, qui recipiunt beneficium mortis Chriſti, & quibus communicatur meritum paſſionis illius, nempè aliquod auxilium, quod ad æternam ſalutem ordinatur: Atqui ex Concilio Tridentino, & ex ejuſdem Concilii Catechiſmo, beneficium, ſeu fructum mortis Chriſti non omnes homines recipiunt, nec ſingulis com-

communicatur meritum paſſionis Chriſti: igitur non omnes homines, ſed præſertim obdurati & excæcati, intrinsece non recipiunt Gratias ſufficientes, ſubindéque Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus hominibus, in eo ſenſu, quòd illis ſingulis actu conferat Gratias ſufficientes, ſed tantùm in hoc ſenſu, quòd per mortem ſuam omnibus (nemine excepto) vera ac ſincera voluntate generali & antecedenti præparaverit Gratias verè ſufficientes ad ſalutem (in ſenſu tamen Thomiſtico intellectas) eaſque Gratias, quantùm in ſe eſt, paratus ſit conferre, eaſque reverà conferret, niſi peccatores obdurati & excæcati obſtinatione ſua ac malitia omnem illis præcluderent aditum, eaſque, ſibi oblatas à Deo, pervicacitèr recipere detrectarent.

Prætereà, argumentum tuum pugnat cum experientia. Cùm enim Gratia interior ſufficiens in pia intellectus cogitatione, & in bono voluntatis deſiderio ſita ſit, certè, ſi obdurati & obcæcati peccatores intrinſecè reciperent Gratias ſufficientes, deberent, ſaltèm interdùm, perſentire pias, ſibi à Deo immiſſas cogitationes, inſpirationes, illuſtrationes, & excitationes; Atqui experientia conſtat, nihil horum planè perſentire peccatores obduratos & obcæcatos. Ecquis, quæſo te, ſibi perſuadeat, impudentiſſimam meretricem quæ, ardentiſſima libidine incenſa, nihil magis optat, quam ut corporis ſui copiam omnibus indiſcriminatim faciat, interim tamen piis ſervandæ continentiæ cogitationibus, illuſtrationibus, & bonis affectibus excitari? Quis etiam credat, perditiſſimum helluonem, cujus hæc unica cura eſt, ut impenſas, ſuæ intemperantiæ neceſſarias, reperiat; impium prædonem, qui nullam aliam artem novit, niſi latrocinandi; virum iracundum, aliqua injuria laceſſitum, & ex impotenti furore cum ſuo inimico, ad ſeſe ulciſcendum, in duello pugnantem; quis, inquam, credat, omnes iſtos, quoties horumce criminum aliquod patraturi ſunt, prævia aliqua mentis illuſtratione, aut pia voluntatis motione à Deo immiſſa, revocari à peccato? Quis denique ſuum in animum inducat, Epicureos, qui mundum negabant à divina providentia regi; cultores Idolorum atque Atheos, quotiès ad peccandum effrænis cupiditas alliciebat, totiès perſenſiſſe atque expertos fuiſſe pias cogitationes, illuſtrationes, & ſancta deſideria vitandi peccata, & orandi verum, quem ignorabant, Deum?

Nec mihi dicas. Peccatores obduratos & obcæcatos habere quidem illuſtrationes, pias cogitationes & inſpirationes, ſed præ tumultu paſſionum & ſtrepitu dominantium & æſtuantium cupiditatum eas non percipere.

Id profectò nolim ut mihi reponas, quia (ut rectè advertit Cardinalis *Bellarminus* cap. 6. libri 2. *D. Gratia & Libero Arbitrio*) hoc ipſum cum experimento apertiſſimè pugnat: *Dicunt aliqui* (ſunt verba doctiſſimi illius Cardinalis) *Deum quidèm perpetuò pulſare ad oſtium cordis, & peccatores vocare, ſed eos, aliis rebus intentos, non percipere vocationem. Sed hæc reſponſio cum ipſo experimento apertiſſimè pugnat. Nam cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei, ſit actio noſtra, quamvis non libera, nimirùm bona cogitatio, bonumque deſiderium repentè, ac divinitùs immiſſum; quomodò poteſt fieri, ut non ſentiatur à nobis, ſi ſit non ſolùm in nobis, ſed etiam à nobis?*

Addo ipſe, quod etiamſi darem, & concederem tibi, pias illas illuſtrationes, cogitationes, & excitationes peccatoribus obduratis & obcæcatis à Deo immitti, quas tamen illi non adverterent, non perſentirent; ſemper tamen verum eſſet dicere, eas fore prorsùs inutiles, quia nec peccatores obduratos excitarent, nec implendi officii admonerent, nec offenſæ gravitatem illis oſtenderent. Sicut enim vox clamantis, quæ ab homine, alto ſomno correpto, non percipitur, planè inutilis eſt, nec dormientem à ſomno excitare poteſt, ita nec illæ piæ cogitationes, & illuſtrationes, quæ peccatores, qui ſceleribus obduruerunt, è peccatorum

Digitized by Google

veterno, in quo jacent, excitare non poſſunt. Ad quid ergò, amabo te, utiles erunt iſtæ piæ cogitationes, de quibus minimè cogitabunt peccatores obdurati & obcæcati, & ad quid inſervient pii illi motus atque affectus, qui ab illis nullatenùs ſentientur? Quaſi verò fieri poſſit, ut aliqui excitentur non excitati, cogitent incogitantes, immoti moveantur.

Quantò verius (mea quidèm ſententia) & magis Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum doctrinæ conſentaneum videtur, aſſerere, ideò peccatores obduratos & obcæcatos non perſentire, non experiri pias illas cogitationes, illuſtrationes, & excitationes, quia in hoc ſtatu obdurationis carent omni gratia tàm remotè, quàm proximè ſufficienti, & eam ob cauſam Scriptura Sacra obduratos peccatores appellat *excæcatos*, *traditos in reprobum ſenſum*, *à Deo deſertos*, quia peccatores ita ſunt obcæcati, ut nullum illis cæleſte lumen affulgeat, non ſecùs ac ille verè dicitur *Cæcus*, qui nihil lucis percipit ac videre poteſt: *Excæcatus* (juxtà *Sanctum Auguſtinum* cap. 16. Lib. *De Perfectione Juſtitiæ*) *eſt deſertus omni lumine veritatis*. Et de obduratis peccatoribus intelligendus eſt Aquilinus ille Doctor, Epiſt. 217. ad *Vitalem*, ubi ait: *Scimus gratiam Dei non omnibus hominibus dari*, & in Sermone XI. *De Verbis Apoſtoli*, nunc Sermone 26. *communis eſt omnibus natura, non gratia*. Magiſtro ſuo ſuccinit *Sanctus Proſper*, qui in *Carmine De ingratis* Capit. XI. hæc ſcribit.

Dic, undè probes, quod gratia Chriſti
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit?

X. Tertium denique, quod proponis, argumentum, & quod, ut ingenuè dicam, non ſine admiratione legi; colligis ex *S. Auguſtino*, qui (ut ais) licèt doceat, dari aliquos peccatores ita obduratos & excæcatos, ut non ampliùs Gratiam ſufficientem, ſeu cæleſte aliquod lumen percipiant, aſſerit tamen, peccata, quæ in illo obdurationis ſtatu patrant, non eſſe illis imputanda, idque probat (*in Expoſitione quarumdam Propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos*, Propoſitione 62.) exemplo *Pharaonis*, de quo ità pronunciat: *Non ergò hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaret, quandò quidèm obdurato corde obtemperare non poterat: Sed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*. Igitur (ais) juxtà *S. Auguſtinum*, peccata *Pharaonis*, in malo obdurati, & omni Gratia ſufficienti planè deſtituti, ei ideò non imputantur, quia cùm *Pharao* obduratum cor haberet, *obtemperare haud poterat*.

Verùm, toto oſtio aberras à vera mente *S. Auguſtini*, eique imprudentèr inſulſum errorem affingis, dùm ais, Sanctum illum Doctorem exiſtimaſſe, Regem *Pharaonem*, obduratum peccatorem, & deſertione ſumma, in pænam graviſſimorum ipſius præcedentium peccatorum, à Deo mulctatum, fuiſſe liberum & immunem ab iis peccatis, quæ in hac ſua deſertione, & in ſtatu obdurationis perpetravit. Ab hoc inſulſo errore quàm maximè fuiſſe alienum *S. Auguſtinum* hìc brevitèr, & invictè ex eodem S. Doctore demonſtro. Primò, quia *S. Auguſtinus*, loco à te laudato, tantùm abeſt, ut dicat, *Pharaoni*, peccatori obdurato, non fuiſſe imputata peccata, quæ admiſit in ſtatu obdurationis, ut potiùs illa fuiſſe ei imputata certò ſupponat, ſed ibi dumtaxàt inquirit, quænam fuerit cauſa, cùr hæc peccata *Pharaoni* obdurato fuerint imputata? aitque S. ille Doctor, hanc imputationis cauſam non oriri ex obtemperandi impotentia, in qua verſabatur *Pharao* in ſtatu obdurationis, ſed veram iſtius imputationis cauſam ex iis dumtaxàt peccatis præcedentibus, quæ plena & integra voluntate commiſerat *Pharao*, repetendam cenſet *S. Auguſtinus*, quia illa impotentia obtemperandi in ſtatu obdurationis cùm eſſet voluntaria in cauſa, ſeù in præcedentibus actualibus peccatis *Pharaonis*, certiſſi-

tiſſimè illum non excuſabat à peccato, & hoc eſt, quod S. ille Doctor innuit his verbis: *Non ergò illi* (id eſt, Pharaoni) *hoc imputabatur, quia obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate*, ſeu præcedentibus ſuis peccatis, quibus obdurationem promeritus eſt, ſeſe-que conjecit in impotentiam (voluntariam tamen) non obtemperandi.

Hanc eſſe primam & veram rationem, ſeu cauſam peccatorum, *Pharaoni*, aliis peccatoribus obduratis & obcæcatis imputandorum, pluribus in locis docet *S. Auguſtinus*, ſed potiſſimùm Tractatu 53. in *Joannem*, ubi explicans hæc verba Prophetæ Iſaiæ: *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant, & excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*: ſic Prophetam interpretatur: *At etiam hoc eorum* (peccatorum obduratorum & excæcatorum) *voluntatem meruiſſe reſpondeo: ſic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hoc omninò pietas religioſorum inconcuſſum debet, inviolatumque ſervare, ſicut Apoſtolus dixit cùm eamdem ipſam tractaret difficillimam quæſtionem*: Quid ergò dicemus (inquit) numquid iniquitas apud Deum? Abſit. *Si ergò abſit, ut ſit iniquitas apud Deum, ſivè quando adjuvat miſericorditer facit; ſivè quandò non adjuvat, juſtè facit; quia omnia non temeritate, ſed judicio facit*. Viden, cariſſime Diſcipule, *S. Auguſtinum* diſertè aſſerere, primam & veram rationem & cauſam peccatorum, obduratis & obcæcatis imputandorum, eſſe perverſam in præcedentibus ipſorum peccatis voluntatem, qua deſertionem & cordis obdurationem juſto Dei judicio meruerunt, non verò illam (quam à ſe excogitatam tantoperè nunc jactant Moliniſtæ) nunquàm intermiſſam internarum gratiarum largitionem.

Præterea, ad cauſæ, quam defendo, cumulum, & ad uberiorem mentis *S. Auguſtini* intelligentiam, dico, obdurationem *Pharaonis*, & peccata eo in ſtatu admiſſa poſſe bifariàm ſpectari; videlicèt ut *peccata ſunt*, vel ut ſunt *pœnæ præcedentis peccati*. Quatenùs *peccata ſunt*, ſoli homini obdurato imputari debent, quatenùs verò *pœnæ ſunt*, non ſoli homini, ſed Deo, priorum delictorum gravitatem iſtorum permiſſione caſtiganti, tribui debent. Priora autem peccata, quibus peccator dignum ſe præbuit, ut à Deo desereretur, & cor illi obduraretur, ipſi ſoli imputantur, quia ſic peccata ſunt, ut non ſint pœnæ peccati, ſicut ait *S. Auguſtinus* lib. V. contra *Julianum* cap. 3. ubi hæc habet: *Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur; & cauſa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur*. Pharaoni itaque (juxtà *S. Auguſtinum*) non imputabatur quod tunc obtemperare non poterat, ſi ſpectetur ejus obduratio tanquàm pœna ei inflicta à Deo; ei tamen (ſecundùm *S. Auguſtinum*) imputabantur obduratio, & alia peccata ipſam conſecuta, quatenus peccata erant, quia reverà cenſebantur peccata propriè dicta, & quidèm graviſſima, pœniſque graviſſimis caſtiganda.

Plura de peccatoribus obduratis & obcæcatis non dicam, ſed tantùm hìc obitèr te monitum velim, ut ſeduiò caveas à tribus erroribus, quos Sancta Mater proſcripſit Eccleſia. Primus error eſt Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui impiè aſſerunt, his, qui Fidem habent in Chriſtum Mediatorem, peccata, quantumvìs graviſſima (excepto dumtaxàt Infidelitatis peccato) non imputari.

Alter error eſt propudioſi *Michaelis de Molinos*, qui eò impudentiæ prorupit, ut diceret, his, qui ſemèl elicuerunt actum puri amoris Dei, & ſeſe illi totos permiſerunt, omnia nefanda peccata, & horrenda libidinum monſtra non imputari.

Tertius denique error eſt Aſſertorum *peccati Philoſophici*, quos affirmare non puduit, eos, qui ſunt obdurati, & con-

ſummatæ malitiæ, qui Deum ignorant, vel de Deo actu non cogitant, nec habent præviam peccati malitiæ notitiam, excuſari à peccato, ſubindèque immania quæcumque peccata ipſis ad æternam damnationem imputari non debere. Hos igitur tres graviſſimos errores, qui ad eumdem ſcopum, videlicèt ad integrum totius doctrinæ Moralis Chriſtianæ exterminium, rectà collimant, omni execratione proſequi debes.

XI. Supereſt nunc ſub finem iſtius Epiſtolæ ut pauca dicam ſive de Infidelibus, qui dicuntur *poſitivi*, quòd ad ipſos pervenerit Evangelii tuba, & tamen credere nolunt; ſive de illis Infidelibus, qui dicuntur *negativi*, quia nihil de Chriſto, & de Fidei Articulis audierunt. Hæc autem inter Theologos ſolet ventilari quæſtio, utrùm Infideles tàm *poſitivi*, quàm *negativi* intrinſecè recipiant à Deo Gratias ſufficientes, queis poſſint obſervare præcepta, & æternam conſequi ſalutem? Quam quidèm quæſtionem ſequenti Aſſertione breviter dirimam.

Dico igitur tertiò, *Deum non tantùm Infidelibus, ſive poſitivis, ſive negativis, offerre vera ac ſincera voluntate antecedenti auxilia verè ſufficientia, ad ſalutem (in ſenſu Thomiſtico intellecta) ſed etiàm quandòque eis conferre auxilia remotè ſufficientia ad ſalutem, quibus ni propria culpa ac malitia reſiſterent; Deus alia uberiora & proximè ſufficientia (in ſenſu ſemper Thomiſtico intellecta) ſuppeditaret*.

Hanc Aſſertionem, quæ bonitati Dei, ac ſinceræ, quam habuit, voluntati antecedenti moriendi pro ſalute omnium omninò hominum, mihi magis conſentanea videtur, probo variis momentis. Primò damnata eſt hæc Propoſitio ab ALEXANDRO VIII. Pontifice Maximo: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente*. Undè manifeſta conſecutione infertur, Paganos, Judæos, Hæreticos, alioſque Infideles, recipere à Jeſu Chriſto aliquem influxum, ideſt, Gratiam ſaltèm remotè ſufficientem, cujus ope poſſint obſervare præcepta legis naturæ.

Præterea, Summi Pontifices URBANUS VIII INNOCENTIUS X. ALEXANDER VII. & CLEMENS XI. confixerunt hanc *Michaelis Baii, Janſenii, & Queſnelli* Propoſitionem: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata*. Igitur Infideles interdùm aliqua bona opera (non tamen meritoria vitæ æternæ) eliciunt, videlicèt eleemoſynas largiuntur indigentibus, imperitos docent, diſcordes conciliant, debita ſolvunt, parentes honorant, poteſtatibus ſuperioribus obtemperant, aliaque id genus edunt opera, quæ (ut ait *S. Auguſtinus* cap. 27. libri *de ſpiritu & littera*) *facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus; verùm etiàm meritò rectèque laudamus*.

Quo ſemel poſito, ſic argumentor: Infideles eliciunt aliquandò bona opera, ſeu exerunt aliquos politicæ, & moralis virtutis actus; Atqui bona illa opera Infideles faciunt, quia (juxtà *S. Thomam*) actuale habent Gratiæ adjuvantis auxilium, igitur Deus aliquandò actualem internam Gratiam confert Infidelibus, cujus ope non tantùm bene operari poſſint, ſed reverà actu benè operentur.

Mentem ſuam ſuper hac re diſertè aperit Doctor Angelicus Secundæ Secundæ Quæſt. 136. art. 3. ad 2. ubi hæc habet: *Bonum politicæ virtutis commenſuratum eſt naturæ humanæ, & ideò abſque auxilio gratiæ gratum facientis, poteſt voluntas humana in illud tendere, licèt non abſque auxilio Gratiæ Dei* (Actualis nimirùm & adjuvantis) Idem confirmat S. ille Doctor Quæſt. 24. *De Veritate* art. 13. dicens: *Quamvis hujuſmodi bona, naturæ humanæ proportionata, poſſit homo facere ſine gratia gratum faciente, non tamen poteſt ea facere ſine Deo . . . . . Undè ſi gratiam Dei, velimus dicere non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam*

Dei,

Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad ſalutem; ſic nec ullum bonum poteſt homo facere ſine gratia Dei: ſed communitèr loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali & juſtificante. Ex quibus faciliè intelligitur, *S. Thomam* diſertiſſimè propugnaſſe gratiam actualem adjuvantem neceſſariam eſſe ad bona moralis & politicæ virtutis opera, humanæ naturæ proportionata, ſed non gratiam habitualem & ſanctificantem. Qua in re in anteceſſum præfocavit S. Doctor *Michaelis Baii* errorem, ab Eccleſia damnatum, quo aſſerebat, bona opera moralis & politicæ virtutis abſque auxilio Gratiæ habitualis, ſeu ſanctificantis, fieri non poſſe.

XII. Sed hic opportunus videtur eſſe locus obitèr vindicandi *S. Thomam* à calumnia, quam nonnulli ei affingunt, dictitantes, S. illum Doctorem pluribus in locis docere, Deum homini Infideli, facienti, quod in ſe eſt, viribus naturæ, non denegare gratiam. Ab hac autem putida calumnia facili negotio vindicatur *Sanctus Thomas*, quippè qui lect. 3. in cap. X. Epiſt. ad Romanos loquendo de Infidelibus, ait: *Si qui eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis prædicatorem Fidei, ſicut Petrum Cornelio, Actorum cap. 10 & Paulum Macedonibus, ut habetur Actorum cap. 16. Sed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſcillicèt ſe ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, Threnorum cap. 15 converte nos, Domine, ad Te, & convertemur.* Et Primæ Secundæ Quæſt. 109. art. 6. ad 2. cùm in argumento ſecundo ſibi objeciſſet: *Si homo facit quod in ſe eſt, Deus ei non denegat Gratiam:* Reſpondet, *quod nihil homo poteſt facere, niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joannis cap. 15. ſine me nihil poteſtis facere: & ideò, cùm dicitur, hominem facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus à Deo.* Idem docet Primæ Secundæ Quæſt. 112. Art. 2. & 3.

Quandò ergò *S. Thomas* quibuſdam in locis ait, quòd homini, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam; & quòd homo ſe ſe diſponere ac præparare poteſt ad gratiam, vult dumtaxat Angelicus ille Doctor, homini facienti quod in ſe eſt viribus Gratiæ actualis & adjuvantis, Deum non denegare uberius auxilium, vel Gratiam ſanctificantem; Similitèr, hominem, inſtructum Gratia actuali & adjuvante, ſe diſponere ac præparare ad Gratiam juſtificantem. Hæc eſt vera ac genuina mens *S. Thomæ*, cujus verba alicubi obitèr dicta aucupantur, & in equuleum agunt nonnulli ut ex his ſenſum, ab ipſius mente prorsùs alienum, extorquere valeant.

Non ſic profectò *Ludovicus Molina* non ſic: ille quippè ſepoſita omni ambiguitate verborum, palàm ac diffusè docet, homini facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, Deum non denegare gratiam, & Infidelem poſſe viribus naturæ ſeſe diſponere ac præparare ad gratiam. Quam Molinæ doctrinam Clerus Gallicanus damnavit, dùm anno MDCC. in Comitiis generalibus cenſura perculit has duas ſequentes Propoſitiones, quarum prima hæc eſt: *Axioma iſtud Theologicum*, facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam, *non ſolùm veriſſimum eſt, atque doctrinæ Scripturæ Sacræ, Conciliorum, & Patrum maximè conſentaneum: Verùm etiàm per illud ſignificatur obligatio, quam Deus habet, dandi gratiam facienti quod eſt ex ſe viribus naturæ.* Altera Propoſitio his verbis concepta eſt: *Quia tamen opera, ſolius naturæ viribus, omninò ſterilia ſunt, atque incapacia merendi dona intrinſecè & Theologicè ſupernaturalia, ideò dicimus, obligationem, quam Deus habet, conferendi gratiam facienti quod eſt in ſe viribus naturæ, non oriri ex bonitate talium operum, ſed ex pacto inter Chriſtum fidejuſſorem noſtrum & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendam proptèr merita Chriſti, reſpiciendo ea opera naturalia ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigoroſam conditionem.* His duabus Propoſitionibus Clerus Gallicanus hanc

cenſuram juſſit: *Hæ duæ Propoſitiones; qua parte cauſam diſcernendi inter juſtos & non juſtos, in opera merè naturalia referunt, Semipelagianiſmum inſtaurant, mutatis tantùm vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Chriſtum aſſeritur, commentum eſt temerarium, erroneum, nec ſolùm tacente, ſed etiam adverſante Scriptura Sacra, & SS. Patrum Traditione prolatum*.

Sed, ut ab hoc diverticulo in viam redeam, ex his, quæ hactenùs dixi, colligo, *S. Thomam* docere, Infideles interdùm elicere, ope alicujus gratiæ actualis & adjuvantis, aliqua bona opera moralia, ſeu aliquos moralis virtutis, & civilis, ac politicæ honeſtatis actus, ſubindéque S. illum Doctorem ſupponere tanquàm certum, Infideles, ſivè *poſitivos*, ſivè *negativos* recipere quandoque à Deo internas actuales gratias adjuvantes.

Hanc *S. Thomæ* doctrinam amplectuntur (præter Thomiſtas) duo clariſſimi Theologi, Cardinalis *Henricus Noriſius*, & *Gabriel Vaſques*, quorum prior in ſuis *Vindiciis Auguſtinianis* probat, nullum opus morale, ex omnibus circumſtantiis bonum, fieri abſque auxilio gratiæ actualis adjuvantis; & dein dè evincit, Infideles recipere aliquandò à Deo Gratias ſpeciales actuales, quarum ope adjuti eliciunt opera moralia ex omnibus circumſtantiis bona. Eamdem planè doctrinam propugnat *Gabriel Vaſques* in primam Secundæ *S. Thomæ* Diſputatione 190. ubi latè probat, nullum opus morale, ex omnibus circumſtantiis bonum, fieri poſſe abſque auxilio gratiæ (non quidèm *habitualis & ſanctificantis*, ſicut per errorem obrepſit *Michaeli Bajo*, qui ideò ab Eccleſia fuit meritò damnatus) ſed actualis & adjuvantis.

Addo etiam, hanc doctrinam *S. Thomæ*, aſſerentis, Infideles ope Gratiæ actualis, quam à Deo percipiunt, bona opera moralia aliquandò elicere, manifeſta conſecutione deduci (ut mihi videtur) ex definitione Eccleſiæ, quæ adversùs *Paſchaſium Queſnellum* ſanxit, *Fidem non eſſe primam Gratiam*. Si igitur Fides non ſit prima gratia, neceſſariò admitti & agnoſci debent gratiæ actuales & ſupernaturales, quæ præcedant Fidem, & quarum beneficio Infideles opera moralia ex omnibus circumſtantiis bona eliciunt, ſicque ſenſim ſine ſenſu ad habendam Fidem ſeſe præparant ac diſponunt, ſicut nos docet exemplum *Cornelii*, qui licèt infidelis adhùc eſſet, ideſt, necdùm haberet notitiam explicitam Myſteriorum Fidei, nihilominùs, adjutus Gratiis actualibus ſupernaturalibus & per ſe efficacibus, producebat opera moralia ex omnibus circumſtantiis bona, ſeſeque ad recipiendam Fidem explicitam præparabat. Undè Actorum cap. 10. dicitur, quòd *Cornelius* eſſet *Vir religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper*, ita ut ejus *orationes & eleemoſynæ aſcenderent in memoriam in conſpectu Dei*. Porrò, quis, amabo, dicere audeat, *Cornelium*, adhùc infidelem & immundum, evaſiſſe, nulla adjutum gratia actuali, ſpeciali, ac ſupernaturali, virum religioſum, timentem Deum, illum jugitèr deprecantem, ejuſque orationes & eleemoſynas placuiſſe Deo.

Quòd autem *Cornelius* eſſet adhùc Infidelis & immundus, ideſt, carens fide explicita, quando hæc bona producebat opera moralia, conſtat, tum quia *Cornelius* nondùm fuerat ad Deum converſus per Judæos, quippè qui illum ut Infidelem, & immundum habebant, & *Petrum* reprehenderunt, quòd ad illum divertiſſet: Tùm quia *Cornelius* in viſione, quam habuit *S. Petrus*, fuit repræſentatus inter alios immundos ſecluſos à populo Iſraelitico: Tum quia denique *S. Petrus* poſteà dixit: *In veritate comperi, quòd in omni gente, qui timet Deum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*. Hinc enim innuitur, & *Cornelium*, & alios inter gentes, ſeu inter Infideles, alienatos à converſatione Iſrael, id præſtitiſſe. *Cornelius* igitur, licèt adhùc Infidelis eſſet, adjutus tamen gratia actuali, ſpeciali, & ſuper-

ſupernaturali edidit bona opera, quæ placuerunt Deo, & ſimilitèr plures alii Infideles, pari gratia actuali adjuti, bona effecerunt opera, quæ Deo placuerunt.

Et ratio eſt, quia etiamſi *impoſſibile ſit* (ut inquit Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. XI.) *ſine Fide placere Deo*, hoc eſt, licèt impoſſibile ſit, ut Infideles, quandiù in ſtatu infidelitatis verſantur, placeant Deo; attamen fieri poteſt ab Infidelibus, Gratia actuali, ſupernaturali adjutis, aliquod opus quod Deo placeat. Sic placuerunt Deo obſtetricum Ægyptiacarum benignitas, *Rabab* hoſpitalitas, Samaritani miſericordia, benevolentia, quam Judæis exhibuerunt *Cyrus*, & *Darius*, Perſarum Reges, qui præceperunt inſtaurari Templum Hieroſolymitanum, ac tandem juſtum judicium Regis *Aſſueri*, qui *Mardochæum* exaltavit, *Aman* verò affecit juſto, quod promerebatur, ſupplicio.

Patet itaque primò, Deum ſincera voluntate antecedenti præparaſſe & offerre omnibus Infidelibus tam *poſitivis*, quàm *negativis*, ſufficientia auxilia, quibus poſſent obſervare præcepta legis naturæ, & ſe convertere ad Deum quæ tamen plurimi ex ipſis propria ſua culpa ac malitia recipere nolunt.

Patet ſecundò, Deum conferre omnibus Infidelibus auxilia remotè ſufficientia ad ſalutem & ad obſervationem præceptorum legis naturæ, quibus auxiliis remotè ſufficientibus cùm reſiſtant ſua culpa, juſtè privantur aliis uberioribus, ſeu proximè ſufficientibus auxiliis, quæ paratus erat Deus illis dare, ni reſtitiſſent auxiliis remotè ſufficientibus. Patet denique, fuiſſe Infideles, quorum aliqui, Gratia actuali interna, non tantùm ſufficienti, ſed etiam efficaci à Deo donati, aliqua legis naturæ præcepta quandòque obſervarunt, & aliquot bona opera moralia exercuerunt; alii verò, & Gratiis actualibus ſufficientibus & per ſe efficacibus ſpeciali Dei miſericordia adjuti, obſervarunt præcepta legis naturæ, ſe ſe ad Deum converterunt, ac tandèm explicita Myſteriorum Fidei notitia fuerunt illuſtrati.

XIII. Quòd ſi à me perconteris, qui fieri poſſit, ut tot inter Infideles, qui vocantur *negativi*, quòd nihil audierunt de Chriſto, nullus reperiatur, qui præcepta legis naturæ obſervet, & ſeſe ad Deum convertat, quamvis tamen Deus eis conferat auxilium remotè ſufficiens, cui ſi propria ſua malitia non reſiſterent, Deus alia uberiora eis largiretur auxilia, queis adjuti, obſervarent præcepta legis naturæ, ſe ad Deum converterent, & Fide Myſteriorum Chriſti illuſtrarentur?

Id, inquam, ſi à me perconteris, reſpondebo primò, noſtrum non eſſe ſcire, an, & in quibus Infidelibus, Gratia remotè ſufficiens perveniat ad actum? Sufficit ut nobis conſtet, aliquos olim ex gentilibus, abſque externa prædicatione, ſola interiori Gratiæ actualis ſupernaturalis motione ad verum Dei cultum perveniſſe. *S. Auguſtinus* lib. 18. *De Civitate Dei* cap. 47. propoſito exemplo *Jobi* (qui ante *Moyſis* & populi Iſraelitici tempora vixit, & tamen verum Deum coluit) ſic effatur: *Divinitùs proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno* (ſeu Jobo) *ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Jeruſalem. Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitùs revelatus eſt unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui venturus in carne ſic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodùm nobis veniſſe nunciatus eſt*. Docet etiam *S. Thomas*, Primæ Secundæ Quæſt. 89. Art. 6. quòd ſi puer in ſilvis enutritus, & ſpeciali Dei Gratia adjutus, conſentiat auxilio ſufficienti & ſupernaturali, quod Deus ei confert, ut poſſit ſeſe, ubi attingit rationis uſum, in ipſum convertere, ſtatim juſtificabitur. Et Secundæ Secundæ Quæſt. 2. Art. 7. ad 3. apertè innuit Angelicus ille Doctor, aliquos fuiſſe Infideles, quibus facta eſt revelatio de Chriſto, quique æternam ſalutem ſunt aſſecuti: *Dicendum* (inquit) *quòd multis gentilium facta*

ſta fu:t revelatio de Chriſto . . . . . *Si qui tamen ſalvati fuerunt , quibus revelatio non fuit facta , non fuerunt ſalvati abſque Fide Mediatoris : quia etſi non babuerunt fidem explicitam , babuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia , credentes , Deum eſſe liberatorem bominum ſecundùm modos ſibi placitos* . Denique , refert Hiſtoria Eccleſiaſtica , Imperantibus anno Chriſti 780. *Conſtantino* , & ejus matre *Irene* , effoſſam eſſe ad longos Thraciæ muros ciſtam , in qua Vir proceræ magnitudinis jacebat cum hac inſcriptione : *Chriſtus è Virgine naſcetur , & in eum credo . Conſtantino , & Irene Imperatoribus , Sol me rursùs videbis* .

Verùm , licèt cum Sanctis *Auguſtino* , & *Thoma* certum eſſe putem , aliquos fuiſſe Infideles , qui gratiis actualibus ſupernaturalibus , non ſolùm ſufficientibus , ſed etiam per ſe efficacibus à Deo inſtructi , bona opera moralia effecerunt , præcepta Legis naturæ obſervarunt , ad Deum ſe converterunt , & tandèm Fide explicita Myſteriorum Chriſti divinitùs illuſtrati , æternam ſalutem ſunt adepti ; cenſeo attamen , fuiſſe jure ac meritò damnatam doctrinam quorumdam , qui non multis abhinc annis pertendebant , extitiſſe integram , extrà Populum Judaicum , Gentium nationem , quæ per duo circitèr annorum millia ante Chriſtum natum , puram & illibatam conſervavit unius ac veri Dei cognitionem , & in Templo , omnium antiquiſſimo , uni ac vero Deo ſacrificavit .

Hanc , inquam , doctrinam cenſeo eſſe verbo Dei , perpetuæ SS. Patrum Traditioni , & Sedis Apoſtolicæ definitionibus apertè contrariam ; tùm quia Scriptura Sacra , quotiès loquitur de Gentibus , quæ extra Populum Judaicum , extiterunt eas universìm Idololatras appellat : *Omnes Dii Gentium Dæmonia* , Pſalmo 95. *Simulacbra Gentium argentum , & aurum* , Pſalmo 113. *Notus in Judæa Deus* , Pſalmo 75. *Non fecit talitèr omni nationi , & judicia ſua non manifeſtavit eis* , Pſalmo 147. Tum quia etiam , teſtatur Apoſtolus *Paulus* , omnes Gentes , antè incarnationem Verbi Divini , fuiſſe *ſine Deo in boc Mundo* , Epiſtolæ ad *Epheſios* cap. 2. Et *S. Lucas* cap. 14. Actorum aſſerit , Deum , ante adventum Chriſti , permiſiſſe , ut omnes Gentes , excepto ſolo Populo Judaico , ingrederentur vias ſuas , id eſt , in denſiſſimis Idololatriæ tenebris jacerent immerſæ : *In præteritis generationibus* (inquit S. ille Evangeliſta) *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas* : Tum quia denique hæc doctrina , quæ ſtatuit , fuiſſe , aliquem Populum (extrà Gentem Judaicam , ſeu extrà poſteros Abrahæ) in unum Reipublicæ corpus adunatum , qui veram ac puram Religionem , antè Chriſtum , profeſſus eſt ; hæc , inquam , doctrina fuit , toto plaudente Orbe Chriſtiano , à Sacra Facultate Pariſienſi die 17. menſis Auguſti anni MDCC. hac cenſura confixa : *Eſt falſa , temeraria , ſcandaloſa , impia , Verbo Dei contraria , bæretica , Chriſtianæ Fidei & Religionis everſiva , virtutem Paſſionis Chriſti , & Cruci ejus evacuans* .

Prætereà Reſpondeo , auxilium illud remotè ſufficiens ad ſalutem , quod Deus Infidelibus tàm *poſitivis* , quàm *negativis* , largitur , ideò manere in illis infructuoſum , quia ipſimet , multis impedimentis , vitiis , ac ſceleribus implicati , in cauſa ſunt , cùr iſtud auxilium remotè ſufficiens ſine ullo fructu in ipſis maneat , & omni prorsùs germine careat . Hoc in miſerrimo ſtatu verſantur Infideles , qui errorem cum lacte biberunt . Quò fit , ut iſtud auxilium remotè ſufficiens ad ſalutem ſtatim ab Infidelibus conculcetur , vel à Dæmoniis ; quibus mancipantur , abripiatur , ſimilemque nanciſcatur ſortem , quam habet ſemen , quod (ſicut nos docet Parabola Evangelica apud *S. Lucam* cap. 8. verſ. 5. Evangelii) *cecidit ſecùs viam , & conculcatum eſt , & volucres cæli comederunt illud* .

XIV. Sed indè ſuboritur haùd levis difficultas , quam hic explanandi neceſſarium mihi incumbit officium . *Si*

enim

Digitized by Google

enim (omni procùl dubio dices) Infideles qui dicuntur negativi, quia nihil audierunt de Chriſto, recipiant à Deo Gratias, ad ſalutem & ad credendum remotè ſufficientes, & in eorum culpa ſit, quòd propria malitia & libera voluntate Gratiis illis remotè ſufficientibus reſiſtentes, alia uberiora à Deo non percipiant auxilia, & præſertim Gratiam Fidei, quam Deus ex ſe paratus erat iis dare, & reverà illis contuliſſet, ni reſtitiſſent, & impedimentum Gratiis remotè ſufficientibus, quas illis impertivit, poſuiſſent; Si ita ſit, inquies, indè planè conſequitur, Infidelitatem negativam, ſeu ignorantiam Fidei, in his, qui nihil unquàm audierunt de Chriſto, eſſe in ipſis voluntariam & culpabilem, ſubindèque ipſis imputari debere in formale & propriè dictum peccatum. At enim (ſicut me docuiſti) ea, quæ peccatores obdurati & obcæcati in ſtatu obdurationis contrà Legem Dei agunt, eis imputantur tanquàm formale & propriè dictum peccatum, quia licèt eo in ſtatu obdurationis non habeant ampliùs præviam notitiam malitiæ peccatorum, quæ committunt, non tamen hac ignorantia, vel inadvertentia illos excuſat à peccato formali & propriè dicto, quia hæc ignorantia, vel inadvertentia in his cenſetur voluntaria & culpabilis in cauſa, ſeu in præcedentibus actualibus peccatis, quæ plena, libera, & integra voluntate perpetrarunt, & ex quibus (tanquàm effectus è cauſa) ſequitur hæc ignorantia, vel impotentia, qua in ſtatu obdurationis laborant, & quæ proindè, cùm ſit voluntaria & libera in cauſa, illos à peccato formali & propriè dicto excuſare minimè poteſt: Atqui ſimiliter (dices) Infidelitas negativa, ſeu ignorantia Fidei explicitæ Myſteriorum Chriſti, in his, qui de Chriſto nihil audierunt, eſt in ipſis voluntaria & culpabilis in cauſa, ſeu in præcedentibus peccatis actualibus, quæ Gratiis ad ſalutem & ad fidem remotè ſufficientibus, ſibi à Deo collatis, pervicacitèr reſiſtentes, plena, libera, & integra voluntate perpetrarunt, & hac ſua reſiſtentia ac propria malitia aditum præcluſerunt: ad alias uberiores Gratias, & potiſſimùm ad Gratiam Fidei, quam Deus paratus erat illis conferre, & reverà eis contuliſſet, niſi perverſa & obſtinata voluntate his Gratiis ad ſalutem, & ad Fidem remotè ſufficientibus, ſibi à Deo datis, fuiſſent reluctati. Igitur Infidelitas negativa, ſeu ignorantia Fidei explicitæ Myſteriorum Chriſti, quæ (tanquàm effectus è cauſa) ſequitur ac pullulat ex illorum præcedentibus peccatis actualibus, erit in Infidelibus negativis, ſeu in his, qui nihil de Chriſto prorsùs audierunt, voluntaria & culpabilis in cauſa, adeòque ipſis imputabitur in formale & propriè dictum peccatum. Et tamen Eccleſia Catholica contra Michaelem Bajum definivit, Infidelitatem negativam, ſeu ignorantiam Fidei explicitæ Myſteriorum Chriſti in his Infidelibus, qui de Chriſto nihil omninò audierunt, non eſſe peccatum, nec illis, ut tale, imputari debere. Idem omnes Catholici Theologi cum Sanctis Auguſtino, & Thoma conſtantèr propugnant.

Hæc difficultas, ut candidè fatear, indiget aliqua explicatione, quam ut clariùs intelligas, velim in anteceſſum obſerves, *Bajum*, *Janſenium*, & *Queſnellium* in plures ſuper hac difficultate, quam impræſentiarùm verſamus, prorupiſſe errores, quos jure optimo proſcripſit Eccleſia. Ajunt enim primò, ignorantiam, quæ non eſt *voluntatis*, ſed *neceſſitatis*, ſeu ignorantiam invincibilem, & Infidelitatem negativam in his, qui de Chriſto nihil omninò audierunt, non excuſare à peccato formali & propriè dicto, quia (inquiunt) licèt Ignorantia invincibilis, & Infidelitas negativa, in his qui nihil de Chriſto audierunt, ſint in ſe ipſis involuntariæ, ſunt tamen in cauſa voluntaria in Adamo, qui integra & libera voluntate peccavit, indèque inferunt, peccatum, modò ſit voluntarium in Adamo, eſſe formale & propriè dictum peccatum. Hunc errorem in *Michaele Bajo* damnarunt Summi Pontifices S. PIUS V. & GREGORIUS XIII. Conſtat enim, inter 79 *Baii* Propoſitiones, quas iſti Summi Pontifices

fices

fices confixerunt, hanc unam eſſe, his verbis conceptam: *Infidelitas negativa* (quæ utiquè eſt invincibilis, & involuntaria in ſe ipſa, utpotè ex ſolo peccato originali profecta) *in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*. Statuit igitur Eccleſia, ad rationem peccati formalis & propriè dicti, non ſufficere ut ſit voluntarium in Adamo, & neceſſariò ex ejus peccato conſequatur, ſed oportere ut ſit voluntarium vel in ſe, vel in cauſa liberè appoſita, ſeu in præcedentibus actualibus peccatis, liberè admiſſis, ex quibus (tanquàm effectus è cauſa, vel rivus è fonte) derivatur.

Præterea, docebant iſti Novatores, ex peccato Adami invectam eſſe neceſſitatem abſolutam peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, eamque neceſſitatem non excuſare tamen à peccato, quia (inquiebant) etiamſi illa neceſſitas peccandi in ſtatu naturæ lapſæ ſit in ſe involuntaria, eſt tamen voluntaria in Adamo, & ex peccato originali neceſſariò profluit. Hunc etiam Novatorum errorem, qui (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis luculentèr oſtendi) penitùs exterminat liberum hominis arbitrium, ſolemni & æquiſſimo judicio profligarunt Summi Pontifices.

Hac præmiſſa obſervatione, propoſitam difficultatem facilè ſeco, & dico, ea, quæ peccatores obdurati & obcæcati agunt in ſtatu obdurationis contra Legem Dei, ideò ipſis imputari in peccata propriè dicta, quia ignorantia, qua eo in ſtatu laborant, eſt voluntaria & culpabilis in cauſa liberè ab ipſis appoſita, ſeu in præcedentibus actualibus delictis, quæ ipſi plena, integra & libera voluntate commiſerunt, & ex quibus ſobolescunt, ſeu prodeunt (tanquàm effectus è cauſa) peccata, quæ deinceps perpetrant in ſtatu obdurationis

Idem prorsùs dicendum eſt de neceſſitate peccandi, in qua verſantur obdurati & obcæcati, quia illa neceſſitas non eſt abſoluta & phyſica, quæ eis adimat liberum arbitrium (ſicut falsò aſſerunt Novatores) ſed eſt neceſſitas dumtaxàt moralis, voluntaria, & conſequens, contracta ex præcedentibus actualibus peccatis liberè a ſe admiſſis. Hæc autem neceſſitas peccandi, quæ non eſt abſoluta, ſed dumtaxàt moralis, voluntaria, & conſequens, non tollit liberum hominis arbitrium (ſicut ſuperiùs manifeſtò probavi) nec proindè excuſat à peccato. Habes modò veram & theologicam rationem, ob quam (juxtà Sanctos Doctores, *Auguſtinum*, & *Thomam*) ea, quæ peccatores obdurati & obcæcati agunt in ſtatu obdurationis contra Legem Dei, eis meritò imputentur, tanquàm peccata propriè dicta.

Jam verò, non eadem currit ratio de infidelitate negativa, ſeu de ignorantia Fidei explicitæ in his, qui nihil audierunt de Chriſto. Ea quippè infidelitas negativa non eſt voluntaria, & culpabilis in cauſa liberè ab ipſis appoſita, ſeu in præcedentibus actualibus peccatis, quæ plena & libera voluntate admiſerunt, neque ex illis ſequitur neceſſitate morali voluntaria & conſequente, quæ certè illos non excuſaret à peccato Infidelitatis; ſed hæc Infidelitas negativa in his, qui de Chriſto nihil audierunt, eſt dumtaxàt voluntaria in Adamo, & neceſſariò ſequitur è ſolo peccato originali, cujus eſt infelix appendix, ſurculus & pœna, ob quam Infidelibus negativis Evangelii prædicatio, ſeu Fides explicita Myſteriorum Chriſti denegatur, cum igitur infidelitas negativa non ſit voluntaria in peccatis præcedentibus actualibus, quæ ipſi liberè commiſerunt, nec ex illis ullo pacto ſequatur, ſed ſit tantùm voluntaria in Adamo, & neceſſariò effluat ex peccato originali, non poteſt eſſe culpabilis nec vitio verti Infidelibus negativis, qui de Chriſto nihil audierunt, nec eis ſubindè imputari debet tanquàm formale & propriè dictum peccatum, ſed tantummodò hæc Infidelitas negativa in his, qui nihil audierunt de Chriſto, habet rationem pœnæ, quæ ſequitur ex peccato originali, ſicut Eccleſia ſæpiùs definivit contra *Bajum*, alioſque Novato-

vato-

vatores, qui aſſerebant, motus primò primos, ignorantiam invincibilem, & Infidelitatem negativam eſſe peccata propriè dicta, & ut talia imputari debere, quia (inquiebant) hæc omnia ſunt voluntaria in Adamo, & neceſſariò conſequuntur ex peccato originali. Quod certè horribile dogma fuit meritò ab Eccleſia anathemate percuſſum.

In hoc ſenſu Infidelitatem negativam in his, qui de Chriſto, Salvatore noſtro, nihil audierunt, nec culpabilem nec peccatum eſſe, monet pluribus in locis Doctor Angelicus. Et ſanè, ut obitèr dicam, ſi contingeret Evangelii prædicationem Infidelibus, dictis *negativis*, denegari non ob unius culpæ originalis cauſam, ſed & propter alia actualia præcedentia delicta, ab iiſdem Infidelibus liberè admiſſa; jam non poſſet eſſe in illis Infidelitas, purè *negativa*, quæ culpabilis non eſt, ſed eſſet Infidelitas *poſitiva*, ſeu *contrarietatis* (ut dicunt Theologi) atque ita culpanda, quia ipſi per præcedentia actualia peccata receptioni Fidei fuiſſent jam reluctati, ſicque nulla eſſet ampliùs Infidelitas purè *negativa*, quæ (ſicùt ſtatuit Eccleſia) non eſt peccatum; ſed omnis Infidelitas eſſet *poſitiva*, ſeu *contrarietatis*, quæ (ſicut docent omnes Theologi) culpanda eſt, & ipſis Infidelibus imputari debet, tanquàm propriè dictum peccatum, quia ſequitur ex præcedentibus actualibus eorum peccatis, quibus plena, integra & libera voluntate prædicationi Evangelii, & Fidei receptioni impedimentum poſuerunt. *Infidelitatem* autèm purè *negativam* non eſſe peccatum docet *S. Thomas* 2. 2. Quæſt. 10 Art. I. ubi ait: *Qui ſic infideles ſunt* (ideſt, infidelitate negativa, quia nihil de Chriſto audierunt) *damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine Fide remitti non poſſunt, non autem propter infidelitatis peccatum*.

Quam doctrinam hauſit Doctor Angelicus ex *S. Auguſtino*, qui Tractatu 89. in *Joannem* hanc quæſtionem movens, *utrùm hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis* (per ſe videlicèt, vel per ſuos miniſtros) *habeant excuſationem de peccato ſuo?* reſpondet Aquilinus ille Doctor, *habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt*. Et Epiſt. 105 ait S. Auguſtinus: *Ipſa ignorantia in his, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati eſt*, ideſt, pœna eſt peccati originalis, ex quo ſolo hæc Fidei ignorantia, ſeu Infidelitas negativa neceſſariò ſequitur, & eſt dumtaxàt voluntaria in Adamo, proindèque nec culpabilis, nec tanquàm veri nominis peccatum in Infidelibus negativis cenſeri debet.

Hæc eſt (ni mea me fallat mens) verior, clarior, & expeditior via ad explanandam præſentem difficultatem, quæ Theologis, etiam doctiſſimis, crucem figit, & eis ſummum faceſſit negotium, quæque in hoc ſita eſt, *cùr Infidelibus, qui de Chriſto nihil audierunt, Infidelitas negativa, ſeu ignorantia Fidei explicitæ, non debeat (juxtà Eccleſiæ definitionem & doctrinam S. Thomæ) imputari in peccatum formale & propriè dictum, quamvis (juxtà doctrinam ejuſdem S. Thomæ) Deus non ſolùm offerat, ſed etiam conferat Infidelibus negativis & ad ſalutem & ad credendum auxilia actualia, remotè ſufficientia, quibus ipſi propria culpa ac malitia reluctantes, ſibi ad uberiora, quæ Deus ex ſe paratus eſt illis conferre, auxilia, aditum præcludunt?*

XV. Hæc, quæ hactenùs dixi, de peccatoribus obduratis & obcæcatis, necnon de Infidelibus negativis, qui nihil audierunt de Chriſto; ſi Moliniſtis non arrideant, illos etiam atquè etiam rogo, ut non graventur diluere (ſed remota omni verborum acerbitate) hæc duo, quæ brevitèr propono, argumenta, & quæ, juxta eorum doctrinæ principia, videntur mihi omninò peremptoria.

Primum argumentum iſtud eſt: *Eccleſia ſæpiùs contrà Baunium, alioſque Modernos Laxiores Caſuiſtas, definivit, eos, qui in pœnam præcedentium*

actua-

actualium peccatorum, non habent ampliùs prævіam notitiam malitiæ peccati, reverà peccare dùm tranſgrediuntur Legem Dei, & ea peccata meritò ipſis imputari tanquàm veri nominis & propriè dicta peccata: Atqui Moliniſtæ docent, præviam notitiam malitiæ peccati ita eſſe neceſſariam ad rationem peccati propriè dicti, ut peccatores, etiam graviſſimi, qui in pœnam præcedentium actualium peccatorum, quæ libera voluntate patrarunt, hac prævia notitia malitiæ peccati ſunt planè deſtituti, non peccent ampliùs, nec omnes divinæ Legis tranſgreſſiones, in quas ſæpius prolabuntur, non debeant ipſis imputari, tanquàm peccata propriè dicta, & æterna pœna digna: Ergò exponant, quæſo, mihi Moliniſtæ, quo pacto elabantur è Cenſura, quam ALEXANDER VIII. *Summus Pontifex, tulit contra errorem de peccato philoſophico, quod non diſſolvit amicitiam Dei cum homine, nec eſt æterna pœna dignum? Quomodò etiam non incurrant in cenſuram vibratam à Summis Pontificibus in Baunium, alioſque Modernos laxiores Caſuiſtas, qui temerè aſſerebant, peccatoribus, quibus non affulgeret prævia notitia malitiæ peccati, omnes legis divinæ tranſgreſſiones, in quas laberentur, non fore illis imputandas tanquàm veri nominis & propriè dicta peccata?*

Alterum argumentum, quod Moliniſtis (cum bona illorum venia) propono, quodque juxtà illorum doctrinæ principia, invictiſſimum eſſe reor, hoc ipſum eſt, à quo ſeſe expediant, ſi poſſint: *Ignorantia, ſicut & Infidelitas, quæ eſt voluntaria, quæque, tanquàm ex cauſa, ſequitur ex actualibus præcedentibus peccatis, plena & libera voluntate commiſſis, non excuſat à peccato (ſicut conſtans eſt omnium ſanioris Moralis doctrinæ Theologorum ſententia) Atqui, juxtà intima Molinianæ doctrinæ principia, ignorantia Fidei explicitæ in Chriſtum, ſeu Infidelitas negativa in his, qui de Chriſto nihil audierunt, & eſt voluntaria, &, tanquàm ex cauſa, & liberè ab iis poſita, ſequitur, ſeu ex præcedentibus actualibus peccatis, quæ plena & libera voluntate commiſerunt; ergò ignorantia Fidei explicitæ in Chriſtum, ſeu Infidelitas negativa in his qui de Chriſto nihil audierunt, eſt culpabilis, & illis imputari debet tanquàm peccatum propriè dictum. Probo Minorem Propoſitionem: Docent Moliniſtæ, Deum omnibus Infidelibus negativis, qui nihil de Chriſto audierunt, conferre ad credendum Gratiam eo in ſenſu ſufficientem, ut penès eos ſit eam per aſſenſum ſolius liberi arbitrii ſui reddere efficacem, vel eam per diſſenſum ſuum reddere inefficacem, ita ut ſi, aſſentiendo, hanc Gratiam ſufficientem, ſibi datam à Deo ad credendum, reddant efficacem, habituri ſint Fidem explicitam Myſteriorum Chriſti; ſi verò propria malitia & per diſſenſum ſuum hanc Gratiam ſufficientem ad credendum reddant inefficacem, in culpa ſint, cur non habeant notitiam explicitam Fidei Myſteriorum Chriſti, & remaneant in ſua infidelitate negativa. Ex quo ſemèl jacto Moliniſtarum principio infero ipſe, ignorantiam illam Fidei, ſeu Infidelitatem ipſorum negativam, quæ (ut volunt Moliniſtæ) tanquàm effectus ex cauſa, ſequitur ex præcedenti actuali reſiſtentia qua infideles negativi plena & libera voluntate Gratiæ ſufficienti, quam habent ad credendum, reluctantur, eamque propria ſua malitia ac culpa reddere efficacem detrectant; infero, inquam, ipſe ex hoc Molinianæ doctrinæ principio, Infidelitatem negativam eſſe in his, qui nihil audierunt de Chriſto, voluntariam in cauſa, quam ipſimet liberè appoſuerunt, proindèque culpabilem eſſe, eiſque imputari debere tanquàm veri nominis & propriè dictum peccatum.* Porrò, ut candidè dicam, certè non video, quo pacto hæc Moliniana doctrina conciliari poſſit cum hac cenſura, quam *Sanctus Pius V.* inuſſit huic Propoſitioni *Michaelis Baii*, quæ his verbis concepta eſt: *Infidelitas negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Profectò, facilè crediderim, Moliniſtas, dum omnibus omninò hominibus, etiam Infidelibus negativis, qui nihil audierunt de Chriſto, Gratias ſufficientes ad credendum,

eorum permiſſas libero arbitrio, promiſcuè ac plena manu concedunt, incidiſſe in ſcyllam, volendo vitare charybdim.

Tu verò, dilectiſſime Diſcipule, doctrinæ, quam hactenùs in meis Epiſtolis tradidi & expoſui, indivulsè adhære, & diurna ac nocturna manu verſa noſtri Angelici Præceptoris *S. Thomæ Aquinatis* Opera, de quorum lectione id jure optimo dicere poſſum, quod *S. Joannes Chryſoſtomus*, de *S. Pauli*, Apoſtoli, Epiſtolarum, lectione ait in Proæmio ſuæ Interpretationis in Epiſtolam ad Romanos: *Ego* (inquit eloquentiſſimus ille Eccleſiæ Græcæ Doctor) *præ dolore diſcrucior hoc ipſo, quod virum hunc non omnes, ſicùt par eſt, intelligunt; verùm, non nulli ità ignorant, ut ne Epiſtolarum quidèm ejus numerum planè norint. Hoc verò non ignorantia facit, ſed quòd nolint hujus viri ſcripta aſſiduè in manibus habere. Neque enim nos, quæ ſcimus (ſi qua ſcimus) ab ingenii bonitate atque acumine ſcimus, ſed quòd illi nos viro impensè affecti, ab illius lectione nunquàm diſcedimus.*

Te etiam atque etiam adhortor, ut ſæpiùs præ manibus habeas aureum Opus *De Imitatione Chriſti*, cujus incertus, ſed piiſſimus Author multa docet, quæ te ad magnificè de Gratia, & ad modeſtè de te ſentiendum, excitare poſſunt, & ex quibus pauca hìc ſeligam, quæ altè memoriæ tuæ infigere debes: *Deus benè facit, conſolationis gratiam dando* (ait ille Clariſſimus Scriptor cap. x. lib. I.) *ſed homo malè agit, non totum Deo, cum gratiarum actione retribuendo. Et ideò non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati ſumus auctori, nec totum refundimus fonti originali .... Doctus dono gratiæ non ſibi audebit quidquam boni attribuere, ſed potiùs ſe pauperem & nudum confitebitur. Da Deo quod Dei eſt, & tibi adſcribe quod tuum eſt; hoc eſt, Deo gratias pro gratia tribue, tibi autem ſoli culpam & dignam pœnam pro culpa deberi ſentias .... Summi Sancti apud Deum minimi ſunt apud ſe, & quantò glorioſiores, tantò in ſe humiliores ..... Et qui totum Deo adſcribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam adinvicem non quærunt.* Et cap. xi. tertii libri ſic Deum alloquitur idem Scriptor: *Domine, quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis quia viſitas eum? Quid promeruit homo, ut dares illi gratiam tuam. Certè, hoc in veritate cogitare poſſum, & dicere: Domine, nihil ſum, nihil poſſum, nihil boni ex me habeo, ſed in omnibus deficio, & ad nihil ſemper tendo; & niſi à te fuero adjutus & interiùs informatus, totus efficior tepidus & diſſolutus. Gratias tibi, unde totum venit, quotieſcùmque mihi bene ſuccedit. Ego autem vanitas & nihilum ante te, inconſtans homo & infirmus. Undè ergò poſſum gloriari, aut cur appeto reputari? Numquid de nihilo? & hoc vaniſſimum eſt. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei. In te gloriabor, exultabo tota die; pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis.*

Audi etiam, ſi placet, quàm piè, quàmve ſublimitèr idem eximius & verè Spiritu Dei repletus Scriptor cap. 55. ejuſdem libri tertii *De Imitatione Chriſti* diſſerat de neceſſitate Gratiæ: *O quàm maximè* (inquit) *eſt mihi neceſſaria, Domine, tua gratia ad incoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum! Nam ſine ea nihil poſſum facere: omnia autem poſſum in te, confortante me gratia. O vere cæleſtis gratia, ſine qua nulla ſunt propriè merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda! nihil artes, nihil divitiæ, nihil pulchritudo, nihil fortitudo, nihil ingenium, vel eloquentia valent apud te, Domine, ſine gratia. O beatiſſima gratia, quæ pauperem ſpiritu virtutibus divitem facis, & divitem multis bonis humilem cordis reddis. Veni, deſcende ad me, reple me manè conſolatione tua, ne deficiat præ laſſitudine & ariditate mentis anima mea. Obſecro, Domine, ut inveniam gratiam in oculis tuis: ſufficit enim mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ deſiderat natura. Si fuero tentatus, & vexatus & tribulationibus multis, non timebo mala, dùm mecum fuerit gratia tua. Ipſa fortitudo mea, ipſa conſilium confert & auxilium. Cunctis*

Digitized by Google

hoſtibus potentior eſt, & ſapientior univerſis ſapientibus; Magiſtra eſt veritatis, doctrix diſciplinæ, lumen cordis, ſolamen preſſuræ, fugatrix triſtitiæ, ablatrix timoris, nutrix devotionis, productrix lacrymarum. Quid ſum ſine ea, niſi aridum lignum, & ſtipes inutilis ad ejiciendum? Tua ergò me, Domine, gratia ſemper & præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugitèr præſtet eſſe intentum.

Poſtremò, diſce ab eodem Authore non eſſe curioſum in perſcrutatione hujus profundiſſimi Myſterii, quia (ſicut ait cap. ultimo lib. IV. *De Imitatione Chriſti*) *qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria; plus valet Deus operari, quàm homo intelligere poteſt. Tolerabilis, pia & humilis, inquiſitio veritatis, parata ſempèr doceri, & per ſanas Patrum ſententias ſtudens ambulare. Beata ſimplicitas, quæ difficiles quæſtionum relinquit vias, & plena ac firma pergit ſemita mandatorum Dei. Multi devotionem perdiderunt, dùm altiora ſcrutari voluerunt. Fides à te exigitur & ſincera vita, non altitudo intellectus, neque profunditas myſteriorum Dei. Si non intelligis nec capis quæ infrà te ſunt, quomodò comprehendes quæ ſuprà te ſunt? Subde te Deo & humilia ſenſum tuum, & dabitur tibi ſcientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac neceſſarium. Perge ergò cum ſimplici & indubitata Fide, & quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti ſecurè committe. Graditur Deus cum ſimplicibus, revelat ſe humilibus, dat intellectum parvulis, aperit ſenſum puris mentibus, & abſcondit gratiam curioſis & ſuperbis. Ratio humana debilis eſt & falli poteſt, Fides autem vera falli non poteſt. Omnis ratio & naturalis inveſtigatio Fidem ſequi debet, non præcedere nec infringere. Deus æternus, & immenſus infinitæque potentiæ facit magna & inſcrutabilia in Cælo & in terra, nec eſt inveſtigatio mirabilium operum ejus. Si talia eſſent opera Dei, ut facilè ab humana ratione caperentur, non eſſent mirabilia nec ineffabilia dicenda.* Vale, dilectiſſime Diſcipule, & eſto ſemper memor iſtius ſaluberrimi conſilii quod dat Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ſecunda ad ſuum Diſcipulum *Timotheum*: *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium . . . . Permane in iis, quæ audiſti; ſciens à quo didiceris. Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coarcervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidém auditum avertent, ad fabulas autem convertentur &c.* Interim, Deum Optimum, Maximum, concordibus votis adprecemur, *ut id ipſum dicamus omnes perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia; cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis & unanimes in uno ſpiritu collaborantes Fidei Evangelii*: ſicque, divina opitulante gratia, una nobis Fides ſit, ſpes una, finis unus, Gloria ſcilicèt Dei Patris per Dominum Jeſum Chriſtum, Salvatorem, & Redemptorem noſtrum, ad perpetuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ munimentum.

Tertiæ & ultimæ Epiſtolarum Claſſis

FINIS.

I N-

INDEX MATERIARUM,

Quæ in hac tertia Epiſtolarum Claſſe continentur.

Numerus Paginam indicat.

A

ADÆ peccatum non invexit neceſſitatem peccandi. 35

Adam in ſtatu Innocentiæ indiguit gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci ad bene agendum. 190.

Adrianus. Vid. *Vryck*.

Aguirre, Cardinalis, irridet quoſdam in Janſeniſmo improperando nimiùm faciles. 234.

Ambroſius. Vid. *Catharinus*.

Andreas. Vid. *Duvallius*.

Angeli indiguerunt gratia ſe ipſa, & ab intrinſeco efficaci, ad benè operandum, & ad perſeverandum. 190.

Angelorum prædeſtinatio ad gloriam gratuita fuit. 190.

P. *Annatus* candidè fatetur, *Clementem* VIII. à Scientia media fuiſſe alienum. 76.

Antoninus. Vid. *Reginaldus*.

S. *Auguſtini* mens, dùm loquitur de præſcientia. 28. De congruitate gratiæ. 33. 127. & ſeq. Ejus de Prædeſtinatione doctrina. 136. 139. & ſeq. 146. & ſeq. Ejus de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci doctrina, nullum detrimentum paſſa eſt in condemnatione Janſenii 187.

Auguſtiniani, quidam Theologi ſic dicti, quid de reprobatione doceant? 193. Eorum principium *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ è diametro oppoſitum eſt. Ibid. & ſeq. Rejicitur eorum ſententia. 204.

S. *Auguſtinus* improbavit Scientiam mediam. 2. & ſeq. 7. & ſeq. 16. 17. 69. Quid reſponderit *S. Proſpero*? 6. Quid *S. Hilario*? 7. Efficaciam gratiæ repetit ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo ejus in creaturas Dominio. 8. Nunquàm agnovit Scientiam mediam Molinianam. 29 Non docuit, Deum cognoviſſe *Luciferi*, & *Adami* peccatum per Scientiam mediam. 32. Sed per ſuum decretum. Ib. Scientiam mediam repudiavit non ſolùm quantùm ad abuſum, quo eam deturpabant *Semipelagiani*, ſed etiam quantùm ad ſubſtantiam. 34. Docuit, neceſſariam eſſe præmotionem phyſicam ad omnes actus, & in omni ſtatu. Ibid. Clarè docet, in Deo dari certam, & infallibilem notitiam omnium futurorum, etiam conditionatorum. 54. & ſeq. Negat, præſcientiam futurorum præcedere Decretum Dei. 56. Docet, Deum in ſua Prædeſtinatione, ſeu Decreto præſcire omnia futura. Ib 67 & ſeq. 81. Nihil habet, quod faveat decretis Dei indifferentibus. 69. Confutavit olim, quæ hodiè à Moliniſtis objiciuntur. 75. Quid reprehendit in Semipelagianis? 80 & ſeq. Contrarius eſt doctrinæ de partialitate cauſarum in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu. 119. & ſeq Non favet doctrinæ de gratia congrua. 125. & ſeq. Gratiam congruam *Moliniſtarum* æquè ac *Janſenii* rejicit. 126. Perperàm à Moliniſtis, pro eorum de gratia congrua doctrina, adducitur. 127. & ſeq. Se quandoque erraſſe fatetur. 180 Docet, peccatum originale eſſe ſufficiens motivum reprobationis. 206. Aſſerit, reprobationis negativæ relativè ſumptæ nullam aliam eſſe cauſam, præter voluntatem divinam. 207. In quo ſen-

ſenſu dicat, Deum obdurare quoſdam peccatores? 214. Numquam docuit, *Pharaonem* immunem fuiſſe ab iis peccatis, quæ in ſtatu obdurationis perpetravit. 244. & ſeq. Docet, aliquos ſine externa prædicatione ad verum Dei cultum perveniſſe. 249. Docet, infidelitatem negativam non eſſe peccatum. 253.
Auctoris operis, de *Imitatione Chriſti*, pulcherrimum Dictum. 99. Ejus quædam magnificæ de gratia per ſe efficaci Sententiæ. 256. & ſeq.
Auxilium Sufficiens eſt duplex. 223.

B

BAII circa Prædeſtinationem errores. 168. Ejus circa infidelitatem negativam error. 251. A S. *Pio* V. & *Gregorio* XIII. damnatus eſt. Ib.
Bancel peregrinam quamdam *Cajetani* circa pueros ſine Baptiſmo morientes opinionem amplexus eſt. 226.
Baſilidis error circà Prædeſtinationem. 131.
P. *Baſtida* Soc. Jeſu, fruſtrà probare conatus eſt in Congregationibus de *Auxiliis*, Prædeterminationem phyſicam cum errore Calvini convenire. 108. Fruſtrà quoque plures Theologos in ſubſidium adducit. 113.
P. *Becheſer*, Soc. Jeſu ad palinodiam obligatur. 237.
Bellarmini Scriptum quoddam *Clementi* VIII. oblatum, *Patri Meyer* non ſuffragatur. 113. 114. & ſeq. Ejus de parvulis ſine Baptiſmo decedentibus doctrina. 205. 227.
Bellarminus Ruardum Tapperum inadvertentiæ arguit. 116. & ſeq.
BENEDICTUS XIII. laudat *Thomiſtas*, quòd conſtanter adhæreant *Sancti Auguſtini* de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita doctrinæ. 188.
S. *Bernardus* docet, ignorantia peccari. 238.
P. *Beſe* Soc. Jeſu de Ordine Prædicatorum teſtimonium. 117.
D. *Le Boſſu* Ordinis *S. Benedicti*, in ſuo Diario Hiſtorico dicit, Congregationes de *Auxiliis* favere Dominicanis. 76.

C

CAlvini circà Prædeſtinationem errores. 167. In ejus de Reprobatione Syſtemate, pœna præcedit culpam. 213. & ſeq.
Calviniſtarum circa non imputationem peccatorum error. 245.
Calvinus docet, Deum decreto poſitivo hominum culpam decernere. 200. 203. 215. Eumque eis peccandi neceſſitatem imponere. 214. & authorem eſſe peccati. Ibid. Admittit in ſtatu naturæ lapſæ ſolam libertatem à coactione. Ibid.
Campanellæ de Prædeſtinatione ſententia. 153.
Catharini de Prædeſtinatione doctrina. 153.
Catharinus quis fuerit? 154.
Cenſura Facultatis Pariſienſis contra tres Propoſitiones *Joannis de Mercuria*. 111.
Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus. 242.
Clemens VIII. à Scientia media remotiſſimus fuit. 76.
Clemens XI. declaravit, ſe, damnando *Queſnelli* Propoſitiones, *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita doctrinam, non attigiſſe. 187. *Launojum*, malè de S. Auguſtino loquentem, damnavit. 188.
Clerus Gallicanus *Baunii* quandam Propoſitionem condemnavit. 237. Duas etiam Molinæ Propoſitiones cenſura confixit. 248.
Congregatio de Auxiliis ſtatuit, doctrinam Molinæ de partialitate cauſarum, non poſſe ex S. Auguſtino deduci. 119.
Congregationum de Auxiliis de Prædeterminatione phyſica judicium. 108.
Cornelius gratiis actualibus adjutus, opera moraliter bona elicuit, & ad Fidem explicitam recipiendam ſe præparavit. 248.

P. *Da-*

Digitized by Google

D

P. *Daniel* Soc. Jeſu perperàm gloriatur patrocinio *S. Auguſtini* pro ſtabilienda Scientia media. 1. A modeſtia *P. Alexandri* alienus. 2. Fatetur, *S. Auguſtinum* uſum non fuiſſe Scientia media, prout docetur à Moliniſtis, contra Semipelagianos. 3. Et verè. ibid. & ſeq. Non rectè oſtendit, Scientiam mediam nihil detrahere omnipotentiæ Dei. 14. Non ſibi conſtat. 15. 26. Fatetur, ante tempora Molinæ ſolùm fuiſſe duplicem Scientiam in Deo. 21. Perperam oſtendere nititur, *S. Auguſtino* cognitam & probatam fuiſſe Scientiam mediam. 25. 27. & ſeq. Calumniam *Thomiſtis* affingit. 29. 31. 32. Malè afferit, *S. Auguſtinum* docuiſſe, Deum in concedendo dono perſeverantiæ, dirigi per Scientiam mediam. 32. Falsò dicit, Thomiſtas antè ortum Molinæ docuiſſe, Deum non habere certam ſcientiam futurorum conditionatorum. 43. 44. 53. 54. Et eos non niſi tricis, & argutiis probare conatos fuiſſe, Deum certo cognoſcere in Decreto ſuo abſoluto futura conditionata. 43. Calumnias, quas Thomiſtis affingit, legit in libris Moliniſtarum. 44. Inanem decantat victoriam. 48. Male vindicat Molinam. 49. Non rectè proponit ſtatum Quæſtionis de Scientia futurorum conditionatorum. 52. Fruſtrà de mente *S. Auguſtini* pro ſententia de *Gratia congrua* gloriatur. 126. & ſeq. Iiſdem *S. Auguſtini* verbis ſuam probat ſententiam, quibus ſuam olim probavit *Janſenius*. ibid. Hallucinatur, dùm dicit, quæſtionem de Prædeſtinatione *Thomiſtas* inter & *Moliniſtas*, eſſe de ſolo nomine. 134. 140. Perperàm hallucinationis arguit Theologos, qui dicunt, Syſtema de gratuita prædeſtinatione cum Scientia media cohærere non poſſe. 181. Fruſtrà oſtendere conatur, Prædeſtinationem in *Suareſii* Syſtemate eſſe gratuitam. 185. Eamque meliùs explicari, quàm à *Thomiſtis*; 186.

P. *Danielis* ad P. *Alexandrum* reſponſio. 9. 11. 93. Non ſolvit tamen difficultatem. 12. Inanis contrà Thomiſtas argumentatio. 12. Ejus de Prædeſtinatione Placitum. 134.

Decreta abſoluta Dei non tollunt libertatem humanam. 34. Conditionata verò, quæ à Moliniſtis Deo tribuuntur, plures pravas ſequelas videntur ſecum afferre. 59. & ſeq. Adverſanturque *D. Auguſtino*. 62.

Decretum, In quo Deus cognovit *Luciferi*, & *Adami* peccatum, fuit permiſſivum. 31. Et ſimul effectivum. 32. Decretum dicitur conditionatum dupliciter. 50. Dicitur conditionatum ex parte objecti, non à conditione, quæ pendeat à voluntate creata, ſed à voluntate Dei. 58. In quo ſenſu nullam arguit imperfectionem in Deo. 59. 82. Neque eſt vanum, & irriſorium. 69. Sed maximè commendat divinam providentiam. 70. & ſeq.

Deo nihil eſt contingens. 73.

Deum aliquod decretum efformaſſe de merè poſſibilibus, incertum omninò eſt. 72. 73.

Deus decreto permiſſivo permittit mala ut indè eliciat bona. 28. Ad ea tamen non determinat voluntatem. 29. Quomodò influat in materiale peccati? 30. In formandis decretis abſolutis de Prædeſtinatione, & Reprobatione hominum, dirigitur per Scientiam ſimplicis intelligentiæ. 41. Habet independenter à Scientia media certam, & infallibilem futurorum conditionatorum notitiam. 53. & ſeq. Conditionatè futura neceſſaria cognoſcit per Scientiam ſimplicis intelligentiæ. 57. Contingentia verò per Scientiam viſionis. ibid. Non poteſt habere in cauſis liberis certam, & infallibilem notitiam de veritate futurorum conditionatorum. 58. Interdùm multa promittit hominibus ſub conditione. 71. Omnia in ſe ipſo tanquam in cauſa videt. 73. 74. 78. Plura certò prædi-

Digitized by Google

xit ſub conditione. 82. Incipit reprobationem negativam à Decreto merè permiſſivo, quo permittit, ut aliqui labantur in culpam mortalem. 197. Non eſt cauſa, cur aliquis excludatur à Gloria. 200. Etiam obduratis offert gratias ſufficientes ad peccata vitanda. 241. Infidelibus quoque tùm poſitivis, tùm negativis offert & confert auxilia ſufficientia, quibus ad illum ſe convertere poſſunt. 249.

Differentia. Vid. *Diſcrimen*.

Diſcrimen inter *Moliniſtarum*, & *Thomiſtarum* Syſtema in materia de *Præſcientia*, & *Decretis* Dei. 5. Inter judicium Adami innocentis apprehendentis aliquod objectum, & judicium hominis lapſi. 30. Triplex eſt diſcrimen inter principia Moliniſtarum, & Thomiſtarum circà Scientiam Dei. 41. Inter Præſcientiam, & Prophetiam. 84. Inter Gratiam *congruam* Moliniſtarum, & Gratiam *per ſe*, *& ab intrinſeco efficacem* Thomiſtarum. 87. Inter actum Dei prædeſtinantis, & reprobantis. 215. & ſeq. Inter peccatum actuale, & originale. 240. Inter peccatum, & pænam peccati. 245. Inter Infideles poſitivos, & negativos. 246.

Durandus in varios errores lapſus eſt. 154. A *Durandello* Nepote ſuo increpitus. ibid.

Duvallii Epiſtola ad D.D. *Crellium*, & *Boſſutium*. 110.

E

Eccleſia quid in prima *Janſenii* propoſitione damnavit? 234.

Eleutherius. Vid. *Meyer*.

Epiſtola Duvallii ad D.D. *Crellium*, & *Boſſutium*. 110.

Epiſtola Adriani Van Vvyck cenſuris confixa eſt. 220.

Excæcati privantur, in pænam præcedentium peccatorum, omni gratia ſufficienti. 231. & ſeq. Laborant ignorantia ſolùm vincibili, & voluntaria. 234. 252. Quantumvis gratia ſufficienti ſint deſtituti, non propterea excuſantur a peccatis. 238.

Excluſio à Gloria dupliciter accipi debet. 218. & ſeq.

Ezechiæ mors in quo ſenſu dicebatur futura? 84.

F

Facultas Theologica Pariſienſis nunquàm probavit doctrinam, de partialitate cauſarum, Dei, ſcilicet, & hominis. 110. Cenſuravit tres *Joannis de Mercuria* propoſitiones. 148. Damnavit doctrinam aſſerentium, fuiſſe aliquam Gentem, extrà populum Judaicum, quæ ante Chriſtum veram Religionem profeſſa eſt. 250.

Fatum quomodo à SS. *Auguſtino*, & *Thoma* aliquando intelligitur? 76.

Ferdinandus. Vid. *Baſtida*.

Fidei myſteria humanæ rationi impervia ſunt. 158. & ſeq.

P. *Florentini* reprobandum novum, baptizandi in utero materno pueros, inventum. 226.

P. *Fonſeca* inventor Scientiæ Mediæ 37.

G

Gabriel Vid. *Daniel*. Vid. *Henna*o.

Vid. *Vaſquez*.

Germanus. Vid. *Becheſerius*.

Gonet rectè bifariàm ſumit Decretum conditionatum. 50. Ejus de reprobatione negativa ſententia. 195.

Gratia congrua Moliniſtarum, quænam ſit? 9. Unde dicta? 82. 88. 94. Ejus efficacia à quo habeatur? 86. 90. 91.

Gratia ſanctificans non eſt neceſſaria ad opus moraliter bonum eliciendum. 248.

Gratiæ congruæ Syſtema nimiùm tribuit libero arbitrio. 86. & ſeq. Favere videtur humanæ ſuperbiæ. 87. 91. Voluntatem creatam certò determinare non poteſt. 95. Derogare videtur omnipotentiæ Dei. ibid. & ſeq; hominemque non debere in

Deum

Deum referre, quidquid boni habet. 95. Videtur diminuere dominium Dei in actiones humanas. 96. Tollere aliqualiter orationis neceſſitatem. 96. & ſeq. Sequi ex eo etiam videtur, non debere hominem gratias Deo agere pro bono uſu gratiæ. 98. & ſeq Nec debere multùm eſſe ſollicitum de ſancto Dei timore. 99. Et alia id genus multa. 100.

Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis Syſtema humanam ſuperbiam deprimit. 87 Orationis neceſſitate probatur. 98. Modeſtiam, & Chriſtianam humilitatem ſummoperè commendat. 101. & ſeq.

S. Gregorius Nazianzenus, egregio Dicto doctrinam Thomiſticam commendat 85

Grimani (Joannis) Epiſtola erroris immunis judicata fuit à P. P. Concilii Tridentini. 112.

H

P. HEnnao Soc. Jeſu fatetur, ſe, in actis originalibus Congregationum de *Auxiliis*, nihil inveniſſe, quod faveat Scientiæ Mediæ. 76. & ſeq. Immò proſcriptam aſſerit. 77. Thomiſtarum verò doctrinam, de Gratia phyſicè prædeterminante, intactam remanſiſſe dicit. 77.

Hyacinthus. Vid. *Serry*.

S. Hilarius in Epiſt. ad *S. Auguſtinum* refert Maſſilienſium errorem. 5.

Honoratus. Vid. *Tournellius*.

Huetii de Origene teſtimonium. 132.

I

JAnſenii mens de poſſibilitate præceptorum Dei. 129. Ejus errores circa Prædeſtinationem. 168., & circa Infidelitatem negativam. 251.

Janſeniſtæ in materia de Scientia conditionatorum partim cum Moliniſtis conveniunt. 50. & partim ab eiſdem differunt. 51.

Janſeniſtarum de futuris conditionatis doctrina. 50. 51.

Janſenius fatetur, ſe à Thomiſtis in materia de prædeterminatione phyſica recedere. 129., & ſeq Malè de quibuſdam *Patribus* loquitur 179. Docet, ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato. 231. 233. 251.

Ignorantia vincibilis, & voluntaria non excuſat a peccato. 235. & ſeq.

Increpatio, ut juſta ſit, tria requirit. 24.

Infideles, poſitivi, & negativi quinam ſint? 246. Non deſtituuntur omni gratia ſufficienti. Ibid. & 459 Omnia eorum opera non ſunt peccata. 246.

Infidelitas negativa non eſt peccatum. 239. 253. & ſeq.

Innocentius XI. præcepit Theologis, ut in ſcribendo, & diſputando, paci, & charitati conſulant. 106.

Joannes de Bononia perperàm à *P. Meyer* in patrocinium vocatur. 114.

Judæi præ Tyriis rectè a Deo objurgati fuerunt. 27.

L

LAunojus à *Clemente* XI. condemnatus 178.

Laureæ Cardinalis de parvulis ſine Baptiſmo decedentibus doctrina. 205. In quorumdam Theologorum, in hac materia, Placita invehitur. Ibid. & 227.

P. *Lemos* nomine omnium *Thomiſtarum* dicit, Deum cognoſcere certò in ſuo Decreto futura conditionata. 44., & ſeq. Non receſſit, impugnando Scientiam Mediam, à doctrina Theologorum Hiſpanorum. 45. 46.

P. *Leonardus* perperàm aſſerit, primos Scientiæ Mediæ impugnatores non tribuiſſe Deo certam futurorum conditionatorum notitiam. 45.

Leſſij de Prædeſtinatione doctrina. 132. & ſeq Item 156. 158. & ſeq. Impugnantur 158. & ſeq. Ejus contrà Prædeſtinationem gratuitam argumenta, fuerunt olim à Semipelagianis *S. Auguſtino* propoſita, & ab eodem ſoluta. 160. 165 & ſeq.

Claſſis III. R 3 *Li-*

Livinus. Vid. *Meyer*.
Lovanienſis facultas Theologica laxas quaſdam propoſitiones condemnavit. 237.
Lutheranorum circà non Imputationem peccatorum error. 245.
Lutherus, in Thomiſtas impudens, æquior eſt Patre Meyer. 108. Ejus circa Prædeſtinationem errores. 167.

M

Manichæorum circa Prædeſtinationem error. 131.
P. *Martinonus*, Soc. Jeſu, quid dixerit de *Gratiæ congruæ* Syſtemate? 102. Eo derelicto, Moliniſmum amplectitur 186.
Maſſoulejus quid Eccleſia in prima Janſenii propoſitione condemnavit, oſtendit. 234.
P. *Meyer* invehitur in Conſultores Congregationum de Auxiliis. 40. Non diffitetur, in illis Congregationibus Scientiam Mediam fuiſſe proſcriptam. 77. Thomiſtarum verò, de Gratia phyſicè prædeterminante doctrinam, intactam remanſiſſe. Ibid. & 108. Quid dixerit de Opere P. *Reginaldi*? 107. Ejus argumenta celat. 107. iiſque opprimitur. 109. Thomiſmum Lutheraniſmi, & Calviniſmi inſimulat. 107. 117. Fatetur, id fruſtra tentatum fuiſſe à P. *Baſtida* in Congregationibus de Auxiliis. 108. Perperàm probare nititur, Syſtema de partialitate cauſarum ab Eccleſia probatum eſſe. 109. & ſeq.; Et anteà ab Univerſitate Lovanienſi. 111. Fruſtrà pro hac ſententia ad *Pighium* provocat, 113. Alioſque Theologos adducit. Ibid. Diſſimulat argumenta quæ *Thomas de Lemos* oppoſuit Patri *Baſtidæ*; 114., & Declarationem Congregationis XVIII. *de Auxiliis*, in favorem Prædeterminationis phyſicæ Ibid. Objicit eadem argumenta, quæ olim P. *Lemos* à Patre *Baſtida* objecta, confutavit. 118 Fruſtrà de *S. Auguſtini* mente gloriatur. 120. & ſeq. Patrem adducit pro ſententia de *gratia congrua*. 125. & ſeq. Eadem *S. Auguſtini* verba adducit pro ſua ſententia, quæ adducit *Janſenius* pro ſua. 126. Perperàm tradit, Thomiſtas cum Janſenio in prima ſua damnata propoſitione convenire 129. Fruſtrà aſſerit, in Syſtemate *Suareſii* meliùs explicari gratuitam Prædeſtinationem, quàm in Syſtemate *Thomiſtarum*. 186.
Molina author eſt Scientiæ Mediæ. 22. 37. Docet, Deum homini facienti quod in ſe eſt viribus naturæ, non denegare gratiam. 247.
Molinæ doctrina de Scientia Media graves turbas excitavit, & à tribus Academiis cenſuris perſtricta fuit. 20. Ejus mens de duobus hominibus æquali gratia præditis. 124. & ſeq. Ejus de Prædeſtinatione doctrina. 132. & ſeq. 158. Impugnatur. 158. & ſeq. Ejus contra Prædeſtinationem gratuitam argumenta, fuerunt olim à Semipelagianis *S. Auguſtino* propoſita, & ab eo ſoluta. 160. & ſeq. 165. & ſeq. Ejus de reprobatione negativa ſententia. 192 Ejus de parvulis, ſine baptiſmo morientibus, doctrina. 227.
Moliniſtæ malè colligunt, ex *Thomiſtarum* Syſtemate ſequi, Deum eſſe authorem peccati. 35. Et gratiam, quam Thomiſtæ ſufficientem vocant, inſufficientem eſſe. 36. Docent, antè omne Divinum Decretum poſſe efformari duas propoſitiones contradictorias de futuro contingenti determinatè veras, vel falſas. 36. Sed falſò. 37. & ſeq. Triplicem Scientiam in Deo admittunt. 37. Sed malè. 39. 40. Aliqui duriùs, quàm par eſt, de Conſultoribus Congregationum de Auxiliis obloquuntur. 40. Diviſi ſunt in aſſignando Medio, in quo Deus certò cognoſcit futura conditionata. 47. & ſeq. 66. Non rectè proponunt ſtatum quæſtionis, de Scientia futurorum conditionatorum. 52. & ſeq. Docent, Decreta Dei conditionata pendere à determinatione voluntatis creatæ. 59. & ſeq. Non ſibi conſtant, 61. 77 78. Aſſerunt, Deum, & ho-

homines ſe habere ut cauſas partiales reſpectu ad actionem voluntatis humanæ. 63. Eorum objectionibus ſatisfaciunt Thomiſtæ. 66. & ſeq. per totam Epiſt. Quæ Semipelagiani olim objecerunt *S. Auguſtino*, obiiciunt ipſi Thomiſtis. 73. A *S.Thomæ*, & Veterum Theologorum doctrina, in materia de divinis decretis receſſerunt. 74 Nullas admittunt gratias per ſe, & ab intrinſeco efficaces. 86. Docent, Deum offerre hominibus gratias verſatiles, indifferentes, & ſubditas eorum arbitrio, eoſque illas reddere efficaces. 89. In quo cum Janſeniſtis conveniant, & in quo ab illis differant? 104. Iiſdem cum Janſeniſtis armis utuntur, ad oppugnandos Thomiſtas. 126. Falsò aſſerunt, Prædeſtinationem gratuitam inducere in hæreſim *Prædeſtinatianorum*. 166. Adducunt pro ſua ſententia quoſdam, priorum ſæculorum, *Patres* minùs Orthodoxos. 178. Fruſtrà etiam pro ſe afferunt plures Sacræ Scripturæ authoritates. 169 & ſeq. In explicanda reprobatione negativa, relativè ſumpta; cum Thomiſtis convenire debent. 202. Secundùm ſua principia admittere debent, Infidelitatem negativam eſſe peccatum. 254.

Moliniſtarum de *gratia congrua* Syſtema. 9. & 10. Ex illo ſequi videtur, Deum non eſſe omnipotentem. 10. 12. 16. Hominem poſſe juſtè inſuperbire quod melior ſit, quàm alter. 12. Se gratiam, quam à Deo accepit, perfectiorem reddidiſſe. 13. Eumque Deo aliquo modo potentiorem eſſe. 16. Hominem ſe meliorem facere per vires liberi arbitrii. 17. Deſtrui Chriſtianam humilitatem, & plura id genus alia. 18. & ſeq Eorum objectiones à Thomiſtis in eos retorquentur. 23. Eiſque ſatisfit. 23. 25. Eorum de Scientia, quam Deus habet de futuris conditionatis doctrina. 48. 50. Ex eorum de decretis conditionatis Syſtemate videtur ſequi, Deum non eſſe cauſam primam. 59. 60. Deprimi Supremum Dei in creaturas dominium. 61. Humanæ voluntatis determinationem reſpectu Dei, eſſe caſualem. 62. Voluntatem humanam quodammodò impedire voluntatem divinam. Ibid. Hominem in ſeipſo, & non in Deo poſſe gloriari. 63. In voluntate creata etiam ſalutis ſpem ponere poſſe. 89. & ſeq. Actionem ab humano arbitrio haberi, & non à Deo. 93. Eorum de partialitate cauſarum doctrina. 120. Ejus pravæ conſecutiones. 121. & ſeq. A *S. Auguſtini* mente alieniſſima eſt. 123. & ſeq. Eorum de Prædeſtinatione Syſtema multis, à Thomiſtarum doctrina differt. 134. & ſeq. A ſententia *S. Auguſtini* alienum eſt. 137. Pravas ſecum adfert ſequelas. 153. Eorum argumentis ſatisfaciunt Thomiſtæ. 162. & ſeq. uſque 180. Aliqua, quæ proponunt, in eos retorquentur. 164. 173. Ex eo inter alia ſequitur, pauciores homines ſalvari, quàm in Syſtemate Thomiſtarum. 174. Eorum de reprobatione negativa Syſtema rejicitur. 204.

Molinoſi circa non imputationem peccatorum error. 245.

N

Natalis. Vid. *Alexander*.

Niniviitarum ſubverſio quomodo dicenda fuit futura? 84.

Noaillius Cardinalis ad palinodiam adegit *P. Germanum* Becheferium Soc. Jeſu Theologum. 237.

Noriſius Cardinalis quoſdam Scholaſticos, pueris ſine Baptiſmo decedentibus beatitudinem naturalem promittentes, redarguit. 205. Docet, Infideles tùm poſitivos, tùm negativos, recipere aliquando à Deo internas gratias adjuvantes. 248.

Notitia malitiæ peccati non eſt neceſſaria ad peccandum. 235. 237. & ſeq.

Novitas in rebus Theologicis rejicienda eſt. 22.

Obdu-

Digitized by Google

O

Obdurati privantur in pœnam præcedentium peccatorum, omni gratia ſufficienti. 231. & ſeq. Laborant ignorantia ſolùm vincibili, & voluntaria. 235. 252. Omni gratia ſufficienti deſtituti, non excuſantur à peccatis. 238.
Orationis neceſſitas Syſtema Thomiſtarum de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci ſummoperè probat. 97.
Origenis circa Prædeſtinationem error. 131.
Originale peccatum eſt motivum ſufficiens reprobationis negativæ eorum, in quibus non remittitur. 205. Non verò eorum, in quibus remiſſum eſt. 211.

P

Palavicini de Campanella judicium. 154.
Pariſienſis. Vid. *Facultas*.
SS. *Patres*, qui dicunt, aliqua præſcîri à Deo, quia futura ſunt, quomodò ſint intelligendi? 78. In materia de Prædeſtinatione aliqui cum *D. Auguſtino* conciliantur. 175. & ſeq.
Patres Societatis quid in libello ſupplici a *Clemente* VIII. petierint? 107.
S. Pauli de Prædeſtinatione gratuita doctrina. 141. & ſeq. Moliniſtis minimè ſuffragatur. Ibid.
Peccati Philoſophici condemnatio. 236. Ejus error. 245.
Peccatori propria culpa reſiſtenti ſufficienti gratiæ, Deus denegat gratiam efficacem. 36.
Peccatum Luciferi, & Adami ex quo judicio proceſſerit? 30. 31.
Pelagius, in quo cum *Origene* conveniat? 132. Docuit, hominem ſuam mereri electionem. 140.
Petrus à S. Joſeph fatetur, Congregationes de *Auxiliis* apertè faviſſe Dominicanis. 76.
P. *Philippæus* affingit SS. PP. *Auguſtino*, *Proſpero*, & *Fulgentio*, quod Deo omnem futurorum conditionatorum notitiam eripuerint. 47.
Pighius in plures errores impegit. 112.
Potentia obedientialis elicitiva actuum ſupernaturalium, quam admittit Pater *Meyer*, rejicitur. 124. & ſeq.
Prædeſtinatianorum errores 167. & ſeq.
Prædeſtinatio gratuita ad Gloriam dupliciter ſpectatur à Thomiſtis. 163. 168. Non adimit ſollicitudinem bonorum operum. 165 Nullam humanæ voluntati neceſſitatem imponit. Ibid. Non facit Deum perſonarum acceptorem. 166. Cùm Syſtemate Scientiæ mediæ ſtare non poteſt. 181. & ſeq.
Prædeſtinationis gratuitæ myſterium populo prædicari poteſt, adhibitis quibuſdam cautionibus. 161. & ſeq.
Propoſitiones de futuro contingenti ante Divinum Decretum, ſunt indifferentes ad veritatem, & falſitatem. 38.
S. *Proſper* quid reprehenderit in Semipelagianis? 80.
Pueri ſine Baptiſmo morientes, deſtituuntur gratia ſufficienti ad ſalutem. 225. Eos non pati pœnam ſenſus, probabilius eſt. 230.

Q

Queſnelli circà Prædeſtinationem errores. 168. Et circà Infidelitatem negativam. 251.
Queſnellus docet, ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato. 251.

R

Ainaudus. Vid. *Theophilus*.
P. *Reginaldi* opus eruditum fruſtrà à P. *Meyer* impetitur. 117.
Reprobatio quotupliciter intelligi poſſit? 192.
Reprobatio negativa conſiſtit in voluntate Dei permittentis, ut aliqui in peccata labantur 195. & ſeq. 219. Dupliciter conſiderari poteſt. 202.
Ab-

Abſoluta, pro fundamento habet reproborum defectibilitatem. 202. 209. & ſeq. Relativa verò, nullam aliam habet cauſam, præter divinam voluntatem. 202. 207. 209.
Reprobi ſunt cauſa ſuæ excluſionis à Gloria. 200.
Reproborum, in ſententia quorumdam Theologorum, juſtæ querimoniæ. 198. & ſeq.
P. *Ripalda* perperàm aſſerit, primos Scientiæ mediæ impugnatores non tribuiſſe Deo certam futurorum conditionatorum notitiam. 45.

S

SCientia conditionatorum in Deo reduci debet ad Scientiam Viſionis. 41.
Scientia media ſecum affert plures pravas conſecutiones. 24. Semipelagiana fuit *S. Auguſtino* nota, ſed ab eo improbata: Moliniana verò, nec nota, nec probata. 26. & ſeq. 102. Unde dicta? 37. Ejus inutilitas. 38. 39. & ſeq. Novitatis arguitur. 40. Toti antiquitati incognita fuit. 102. Plures tumultus in Eccleſia excitavit. 181. & ſeq.
Scientiæ mediæ non ſavet *D. Thomas*. 19. Immo ex Diametro ei oppoſitus eſt 19. & ſeq. Ejus definitio. 21. Ortus. 21. Fundamenta excutiuntur. 22. & ſeq.
Semipelagianorum de Prędeſtinatione doctrina. 132. 140.
Scriptura Sacra teſtatur, decreta ſubjectivè abſoluta, & objectivè conditionata in Deo eſſe. 54.
Serry contrà Joannem *Launoium* lucubratio. 178.
Sfondrati de parvulis, ſine baptiſmo morientibus, ſententia. 227. 229. & ſeq. Ejus de infidelibus nova doctrina. 228.
Suarez facit Deum authorem malorum æquè, ac bonorum operum. 183.
Suareſii de Prædeſtinatione Syſtema. 133. 140. 156. Facilè admitti poteſt ab illis, qui exteriores ſolùm gratias admittunt, & repudiant gratias interiores. 136. & 138. A mente SS *Auguſtini*, & *Thomæ* alienum eſt. 182. & ſeq. iiſdem difficultatibus premitur, ac Syſtema *Molinæ*, & *Leſſii*. 186.
Syſtema de *gratia congrua*. 9. Docet, voluntatem humanam reddere gratiam efficacem, vel inefficacem. 10. Non debet confundi cum erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum. Ibid. Derogat omnipotentiæ divinæ. 10. 11. 12. 15. 16. 95. 101. 185. Nimium tribuit libero hominum arbitrio. 86. 94. Favet humanæ ſuperbiæ. 87. Tollere videtur Dei in humanas actiones dominium. 96. 185. Et aliqualitèr Orationis neceſſitatem. 94. & ſeq. & 185. Item gratiarum actionem pro bono uſu gratiæ. 98. 185. & Sancti timoris neceſſitatem. 99. & ſeq. Et alia id genus multa. 100. & ſeq. & 185. Ruinoſo nititur fundamento. 101. & ſeq.
Syſtema de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci Dei dominium attollit. 86. 96. Humanam ſuperbiam deprimit. 87.
Syſtema de Scientia media toti antiquitati incognitum fuit. 19.

T

THeologi quidam à P. *Meyer*, pro ſententia de partialitate cauſarum, adducti, minùs Catholici ſunt. 115. & ſeq.
Theologorum quorumdam, de Parvulis ſine Baptiſmo decedentibus doctrina. 205.
Theophilus Raynaudus ineptiſſimum ponit *Medium*, in quo Deus cognoſcat futura conditionata. 48.
S. *Thomas* non favet Scientiæ mediæ. 19. Immò ei è diametro eſt oppoſitus. 19. & ſeq. Docet, Deum in ſuo decreto cognoſcere omnia, ſivè abſolutè, ſive conditionatè futura. 68. Contrarius eſt doctrinæ de partialitate cauſarum in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu. 119. & ſeq. Ejus pro gratuita Prædeſtinatione ratio-

Digitized by Google

tiones. 148. & ſeq. Docet, peccatum originale eſſe ſufficiens motivum reprobationis. 207. Aſſerit, reprobationis *negativæ* relativè ſumptæ, nullam aliam eſſe cauſam, præter voluntatem divinam. 207. & ſeq. In quo ſenſu dicat, Deum quoſdam obdurare? 214. Docet, ignorantia peccari. 239. Ejus de voluntario in cauſa, doctrina. 240. & ſeq. Docet, nullum opus bonum fieri poſſe ſine auxilio gratiæ Dei. 246. Nunquàm docuit, Deum homini infideli facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non denegare gratiam. 247. Probat, pluribus Gentilibus revelationem factam eſſe de Chriſto. 250. Docet, Infidelitatem negativam non eſſe peccatum. 254.

Thomaſſini Congregationis Oratorii, de Decretis Dei conditionatis ſententia. 79. & ſeq. Ejus objectionibus ſatisfit. 80. & ſeq.

Thomiſtæ quàm remoti ſint à Moliniſtis. 14. Ex eorum Syſtemate non ſequuntur inconvenientia, quæ fluunt ex Syſtemate *Molinæ*. Ibid. Duplicem ſolùm in Deo admittunt Scientiam. 21. A Moliniſtis objecta, in eos retorquent. 23. Eiſque ſatisfaciunt. 23. 25. Semper docuerunt, Deum in ſuo Decreto certam habere notitiam futurorum conditionatorum. 41. 46. 52. Semper quoque aſſeruerunt, dari in Deo, abſque imperfectione voluntatem antecedentem conditionatam ex parte objecti de ſalute omnium hominum. 46. Eamque eſſe veram, & ſinceram voluntatem beneplaciti. Ibid. Duplex ponunt in Deo Decretum in ordine ad Scientiam conditionatorum. 49. A Janſeniſtarum æquè ac Moliniſtarum doctrina ſunt remotiſſimi. 51. Meliùs, quàm Moliniſtæ proponunt ſtatum quæſtionis, de Scientia futurorum conditionatorum. 52. Docent, Deum habere veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines, 53. 172. Eodem modo loquuntur de Decretis Dei conditionatis, ac de voluntate Dei conditionata. 59. Satisfaciunt Moliniſtarum objectionibus. 66. & ſeq. per totam Epiſt. Nullam in Dei voluntate conditionata imperfectionem agnoſcunt. 71. Ex eorum de Decretis Dei conditionatis Syſtemate non ſequuntur inconvenientia, quæ illis objiciunt Moliniſtæ. 73. & ſeq. Negant, admitti debere gratias verſatiles, indifferentes, & ſubditas humano arbitrio. 89. Gratiæ efficaciam repetunt ex omnipotentiſſima Dei voluntate. Ibid. Æquè Moliniſtarum, ac Janſeniſtarum de gratia Syſtema rejiciunt. 104. A Janſenii doctrina ſunt remotiſſimi. 129. Admittunt in Deo voluntatem efficacem, & conſequentem circa electos. 172.

Thomiſtarum doctrina de Scientia, quam Deus habet de futuris conditionatis. 48. 51. 85. Eorum doctrina de Decretis Dei, actiones humanas prædeterminantibus, velut ſana, & SS. *Auguſtino*, & *Thomæ* conſentanea judicata eſt in Congregationibus de *Auxiliis*. 76. Eorum de Prædeſtinatione gratuita doctrina, multis Paraſangis à Moliniſtarum Syſtemate diſtat. 134. & ſeq. Item 140. & ſeq. Aliquorum de Reprobatione *negativa* doctrina. 195. Aliorum, quos hic ſequitur author, in eadem materia ſententia. 195. 196.

Ex Thomiſtarum Syſtemate non ſequitur, Deum eſſe authorem peccati. 35.

Thomiſtica Schola inter Janſeniſmum, & Moliniſmum media eſt. 2.

Tournellius, relicta doctrina Facultatis Pariſienſis, Moliniſmum amplectitur. 3. Lectoribus ſuis illudit. Ibid. & ſeq. Non rectè oſtendit, Scientiam Mediam nihil detrahere omnipotentiæ Dei. 14. Quid Eccleſia in prima Janſenii propoſitione condemnavit, oſtendit. 234.

Vaſen-

Digitized by Google

V

Valentini circà Prædeſtinationem error. 131.

P. *Vaſquez* candide fatetur, S. Thomam alitèr, quàm Molinam locutum fuiſſe de Divinis Decretis. 74. Docet, Infideles tùm poſitivos tùm *negativos* recipere aliquando à Deo actuales gratias internas adjuvantes. 248.

P. *Vegæ* ſingularis, de Pueris in utero materno morientibus, opinio. 226.

Voluntas creata, ſub gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, manet libera. 35.

Voluntas Dei conſequens excludendi aliquos a Gloria, citrà ullum eorum præviſum demeritum, ſtare non poteſt cum ſincera voluntate antecedenti ſalvandi omnes homines. 197. & ſeq.

Voluntas quam Deus habet, de ſalute omnium hominum, eſt formaliter in Deo, & eſt voluntas *beneplaciti*. 53. Involvit Decretum abſolutum *ex parte Dei*, & conditionatum *ex parte objecti*. 54 Hoc decretum nullam in Deo arguit imperfectionem. 71.

W

Van Wick convitiis ſcatentem in Thomiſtas ſcripſit Epiſtolam. 220. Romæ damnatus obtemperare renuit. ibid. Suam in doctrina Thomiſtica ignorantiam in libris, quos ſcripturivit, apertè prodit. 221.

FINIS.

Digitized by Google

200

O P E R A

Admodum Reverendi Patris Fr. Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon, impreſſa Venetiis à Jo: Baptiſta Recurti Bibliopola in via Mercatoria.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti, in rem Theologiæ Candidatorum, per ſex Mundi Ætates ab Orbe condito ad Natale uſque Jeſu Chriſti, Servatoris Noſtri, continenti ordine producta, variiſque Colloquiis digeſta: Ubi Res præcipuæ, quæ vel ad Hiſtoriam Sacram & ejus Chronologiam, Legem, ac Diſciplinam Hebræorum ſpectant, vel quæ ad Prophetarum Geſta, Vaticinia in Jeſu Chriſto ad amuſſim impleta, & ad Divinam Sacrorum Librorum, quibus continetur Hiſtoria Veteris Teſtamenti, Auctoritatem attinent; per breves Interrogationes & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

Hiſtoria Eccleſiaſtica variis Colloquiis digeſta ubi pro Theologiæ Candi[illegible] præcipuæ, non ſolum ad Hi[illegible], ſed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

Tractatus de Vita, Myſteriis, & Annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri, contra Infideles, Judæos, & Hæreticos, Diſſertationibus Dogmaticis, & Chronologicis, necnon Obſervationibus Hiſtoricis, & Criticis, juxtà germanam Divi Thomæ mentem illuſtratus, & ad uſum Scholæ accommodatus, ad cujus calcem, in rem Chronologiæ ſacræ ſtudioſorum, attexuntur Apparatus & Canon Chronologicus per ſex Mundi Ætates, & præcipuas Periodos, ac nobiliores Epochas à Creatione Mundi uſque ad Aſcenſionem Chriſti Domini digeſtus. Editio ab Auctore recognita, tribus novis Diſſertationibus, multiſque Obſervationibus Hiſtoricis, Criticis, necnon Tabulis Chronologicis auctior, locupletior & emendatior.

Tractatus de Scriptura Sacra, in quo ex ipſius Revelatione, Expiratione, & Antiquitate evincitur contra Ethnicos, Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, & omnium Librorum cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, quos Sacro Canoni accenſuit Concilium Tridentinum, Divina Auctoritas contra Hæreticos aſſeritur, ac vindicatur. Exhibentur Sacrorum Librorum primigenii Textus, Verſiones, Senſus, Auctores, Idioma, Analyſis, & Oracula, quæ ad Jeſum Chriſtum verum Meſſiam referuntur.

Epiſtolæ ad Amicum Scriptæ Theologico Hiſtorico-Polemicæ, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Scholæ Thomiſticæ Adverſarios aſſeritur ac vindicatur. In tres Claſſes ſeu Tomos diſtributæ.

9.2.149
Z

Digitized by Google